
HIERONYMUS
ANDOVER-HARVARD
THEOLOGICAL LIBRARY

BIBLIOTHECA

RERUM GERMANICARUM

EDIDIT

PHILIPPUS JAFFÉ

TOMUS QUARTUS

MONUMENTA CAROLINA

BEROLINI
APUD WEIDMANNOS
MDCCCLXVII

THEODORO MOMMSEN

PROOEMIUM.

Principi imperatorum medii aevi quartus hic bibliothecae tomus adhibitus est. Atque ut Caroli Magni res gestas ad memoriam universam generis humani unice pertinere constat, sic amplissima litterarum monumenta in hoc volumen conducta etiam longe extra Germanorum fines lucem historicae cognitionis et nominatim quidem ad res Italicas Gallicasque deferunt, imo vero communem tum ascensionem duarum illarum potestatum aperiunt, pontificiae et imperatoriae, quarum gravissima et perdiuturna certamina deinceps consecuta complurium saeculorum memoriam maxime continent.

Huius operis fundamenta me iacere ingressum posteaquam aliquantum temporis detinuit id, quo omnes animi summe sollicitabantur, vehementissimum bellum superiore anno gestum, ad receptum studium obii bibliothecas imperialem Parisiensem, Mettensem, Sancti Galli, regiam Monacensem, Sancti Floriani, caesaream Vindobonensem. Itemque domi praesto mihi fuerunt nonnulli externarum bibliothecarum libri manu scripti, velut bibliothecae caesa-

reae Vindobonensis, unde eximius codex Carolinus intercedentibus summis regni nostri administris benevolentissime ad me missus est; ut Guelferbytanae, Havniensis, Lugdunensis, regiae Stuttgartensis, Wirziburgensis, quarum bibliothecarum praefecti Ludovicus Bethmann, P. G. Thorsen, Pluygers, Chr. Fr. de Stälin, Antonius Ruland roganti mihi praeclare gratificati sunt. Ad haec accessit etiam, ut veris beneficiis me augerent, partim consulentes partim communicantes, Mauritius Haupt, Ernestus Dümmler, E. G. Gersdorff, Geroldus Meyer de Knonau, Carolus Müllenhoff, Rieu, Theodorus Sickel, Hermannus Wartmann, Wilhelmus Wattenbach, Fridericus de Weech.

Berolini 13 Kal. Septembres 1867.

INDEX.

		pag.
I.	Codicis Carolini epistolae	1—306
II.	Leonis III epistolae	307—334
III.	Epistolae Carolinae	335—436
IV.	Einharti epistolae	437—486
V.	Einharti vita Caroli Magni	487—541
VI.	Poetae Saxonis vita Caroli Magni	542—627
VII.	Monachus Sangallensis de Carolo Magno	628—700
VIII.	Visio Caroli Magni	701—704
	Initia epistolarum huius tomi	705—707
	Index rerum memorabilium	708—720

MONUMENTA CAROLINA

CODICIS CAROLINI EPISTOLAE.

Prioribus aevi medii temporibus haud scio an nullam ob causam celerius exstinguebantur pontificum Romanorum litterae, quam quod eas in fragilissima re scribebant, in p a p y r o. *Tantumque tenuit hic Romanae curiae mos usque ad initum seculum undecimum, ut ipse papyrus vocaretur „charta Romana“ et, si quando esset de adhibenda membrana impetratum, diligenter significaretur, id „contra consuetudinem“ factum esse*[1]. *Eiusmodi vero scripta quam cito interierint, epistolarum liber mihi edendus affatim declarat; in quem quidem cum monumenta tantummodo annorum fere quinquaginta proxime praeteritorum referenda essent, eadem teste librario „nimia vetustate iam ex parte diruta atque deleta“ erant*[2].

Carolus enim Magnus rex, ut ingravescentem hunc interitum cohiberet, anno 791 omnes quaecunque remansissent litteras et a pontificibus Romanis et ab imperatoribus Graecis ad avum suum Carolum Martellum, ad patrem Pippinum regem, ad sese missas in „m e m o r a l i b u s m e m b r a n i s“ *describi iussit*[3]. *Quod qui-*

1. V. Regesta pontificum Romanorum p. 311 n. 2728. 2. V. prooemium codicis Carolini infra. Cf. etiam summarium epistolae 15, spatio annorum 758—759 scriptae, quae anno 791 i. e. p o s t t r i g i n t a t r e s a n n o s item „prae nimia vetustate iam ex parte diruta“ erat. 3. V. prooemium codicis Carolini infra: „ut universas epistolas, quae tempore bonae memoriae domni Caroli avi sui nec non et gloriosi genitoris sui Pippini suisque temporibus d e s u m m a s e d e a p o s t o l i c a beati Petri apostolorum principis seu e t i a m d e i m p e r i o ad eos directae esse noscuntur“. Quae verba planiora sunt, quam ut cum Cennio (Monumenta dominationis pon-

dem effectum est; licet neque imperialium, quae separatim congestae esse videntur, epistolarum strues omnino hodie exstet, neque iam ipsum pontificiarum litterarum codicem a primo conscriptum habeamus.

Nam qui vocatur Codex Carolinus, *membranaceus foliorum 98, forma quadrata, in bibliotheca Caesarea Vindobonensi servatus (449, Ius can. 83, Theol. Lat. 198), quo unico epistolae illae papales a Carolo rege colligi iussae ad nos pervenerunt, quantumvis ille pretio excellat, neque tamen octavo seculo labente*[1], *sed, ut ex ipso litterarum ductu firmissime comprehenditur, exeunte seculo nono exaratus est. Qua de causa, cum in scidula membranacea tegmini codicis anteriori agglutinata manu sec. IX sic scriptum sit:* LIBER WILLIBERTI ARCHIEPI *itemque in posterioris tegminis folio:* Liber Williberti, *a vero eos abesse patet, qui Williberti archiepiscopi Rotomagensis circiter anno 825 fuisse librum rentur*[2]. *Sed apertissime fuit Williberti archiepiscopi Coloniensis (870—889*[3]*), „viri bene eruditi*[4] *et in divinis humanisque rebus prudentissimi"*[5].

Penitus ignoramus, quando liber Colonia asportatus sit et quando pervenerit in bibliothecam Vindobonensem[6]. *Ibi autem*

tificiae T. I praefatio p. XXII—XXIII) consentiam, auctorem epistolas non ab imperatoribus sed super eisdem scriptas intelligi voluisse.

1. Vehementer erravit Lambecius (v. infra p. 4 n. 1), qui codicem „ad ipsius Caroli Magni bibliothecam cubicularem pertinuisse" opinatus est. 2. In anteriore codicis tegmine ad verba LIBER WILLIBERTI ARCHIEPI apposuit manus recentior haec: „ut probabile est, Rotomagensis, qui memoratur in capitulis Ludovici Pii inter legatos diversarum provinciarum, qui conventui Aquisgranensi A. C. 819 habito interfuerunt". (V. Capitulare missorum, Mon. Germ. LL. I 246). Idque etiam Lambecii assensu probatum est; v. infra p. 4 n. 1. 3. V. Dümmler Geschichte des ostfränkischen Reichs II 401 n. 31. 4. V. Guntharii deiecti archiepiscopi Coloniensis ad Adrianum II epistolam ap. Floss: Leonis P. VIII privilegium de investituris p. 70. 5. Reginonis chronicon ad 890, Mon. Germ. SS. I 602. 6. V. Lambecii Commentarii de bibliotheca Caesarea Vindobonensi (ed. I) T. II 322: „Caeterum, per quam varias rerum vicissitudines et quo tempore ac modo idem ille praestantissimus codex tandem pervenerit in augustissimam bibliothecam caesaream Vindobonensem, id est mihi prorsus incognitum".

iam tenebatur Sebastiano Tengnagelio bibliothecam eandem administrante ab a. 1608 ad a. 1636[1]*; qui, rusticitate quadam litterata sinceram epistolarum barbariem aggressus, ipsum codicem stolidissime inducendo et emendando inquinavit*[2]. *Quod eo valebat, ut, quidquid editionum codicis Carolini adhuc paratum est, Tengnagelii insulsitatem alia magis alia redoleat.*

Totam enim illam sarturam exhibet princeps codicis editio[3],

1. V. Lambecii Commentarii (ed. I) T. I 57 et 68. 2. Codicis deformationem a Tengnagelio esse, successor eius Gentilotus in suo catalogo codd. iuris canon. n. LXXXIII testatus est his verbis: „Librarii menda confixit pleraque omnia Tengnagelius sua manu, sed nimia licentia non modo ad marginem veram lectionem ascribens, sed passim radens, inducens, reficiens et inculcans“ cet. V. Kollarii Supplementa in Lambecii Commentarii (ed. II) T. I p. 544. 3. Iam quinquagesimo circiter anno ante primam editionem anno 1613 a Gretsero curatam Matthias Flacius Illyricus eiusque socii, cum easdem epistolas accepissent, sine ulla dubitatione ex ipso codice hodie Vindobonensi promptas, earum octo (epp. 1, 2, 3, 7, 8, 10, 11, 47) integras pervulgaverunt anno 1565 in Octava Centuria ecclesiasticae historiae p. 687, 694, 714, 707, 711, 718, 734; ceterarum autem epistolarum fere omnium argumenta tantum, neque vero ea quae in codice singulis epistolis praescripta inveniuntur sed quae ipsi formaverant, proposuerunt ibidem p. 725, 731, 733, 739. Onuphrius autem Panvinius qui, vita posita anno 1568 id est triennio post publicatam Centuriam octavam, grande opus de Vitis pontificum Romanorum (bibliothecae Vaticanae cod. 6104, v. Cenni Monumenta dominationis pontificiae I 116) imperfectum reliquit, eidem operi item epistolarum illarum argumenta inseruerat, quae quin ex ipsa Centuria octava hausta sint dubitari non potest. Nam ea, et a Baronio (anno 1600 in Annal. eccles. T. IX p. 277, 281, 307, 442) et a Cennio (Monum. dom. pont. I p. 133 n. 1 sequ.) ex opere Panviniano ms. repetita, cum Centuriatorum summariis non solum paene omnino concinunt, sed etiam interdum sic sunt in angustius deducta, ut mutilatio a Panvinio facta appareat. Quare in maximo errore versantur Gretserus (Volumen epistolarum cet. p. 5 sequ.) et Cennius, quibus non displicet, fieri potuisse ut perfidus quidam ex ipsius viventis Panvinii libro idiographo argumenta illa ad Flacium mitteret. Contra veri simillimum est, Panvinium, qui epistolas illas „integras haberi in Vaticana bibliotheca testatur“, id paullo levius professum esse, ne a vehementissimis adversariis didicisse videretur; cum praesertim Baronius (IX p. 277) ostendat, se in bibliotheca Vaticana easdem epistolas „diu quaesitas minime invenire valuisse“. Ceterum apud eundem Baronium (IX p. 132, 161, 223, 225, 238, 300) non reperiuntur nisi septem epistolae integrae (ep. 2 ex „duobus exemplaribus“; ep. 3, 7 „ex bibl. Vatic. scrip. cod. concil.“; ep. 8, 10 „duorum facta exempla-

quam epistolis a Tengnagelio acceptis Iacobus Gretserus („Volumen epistolarum, quas Romani pontifices Gregorius III, Stephanus III, Zacharias I, Paulus I, Stephanus IV, Adrianus I et pseudopapa Constantinus miserunt ad principes et reges Francorum" cet.) anno 1613 Ingolstadii curavit. Eadem repetita est anno 1641 Parisiis ap. Duchesne Historiae Francorum Scriptores T. III 701—827, anno 1735 Ratisbonae in Gretseri Opp. T. VI 679—790, maximam partem anno 1744 Parisiis ap. Bouquet Recueil des historiens T. V 485—591.

Nec Petrus Lambecius, quamvis vitia Gretseriani exempli intellexisset, Tengnagelii maculas prorsus abstergere scivit in nova editione ad ipsum codicem adornanda. Hic enim, magni „Syntagmatis rerum Germanicarum" consilio capto, anno 1673 exorsus opus[1] *est ab ipso „Codice epistolari Carolino"; epistolas vero in paginis 208 typis descriptas neque „chronologia accurata atque necessariae annotationes" subsecutae sunt, quas Lambecius appromiserat in inscriptione*[2]*, neque omnino quidquam*

rium collatione"; ep. 11 „ex scrip. cod. Panvini"; ep. 47), in quibus praestandis, nisi multum fallor, praeter ipsam Centuriam octavam dumtaxat exempla ex eodem Flacii sociorumque opere tracta adhibuit.

1. Quod opus Lambecius sic inscripturus erat: „Syntagma Rerum Germanicarum, sive Germanicarum Rerum scriptores varii, variaque acta publica, ex Augustissima Bibliotheca Caesarea Vindobonensi in lucem edita cum Annotationibus necessariis, Chronologia accurata, et amplissimis indicibus, Geographico inprimis et Genealogico; Vindobonae sive Wiennae, typis Matthaei Cosmerovii S. Caes. Maiestatis Typographi, A. 1673 (aliquot Tomis in folio) cum multis Iconismis et Tabulis aeri incisis". V. Catalogus librorum, quos Petrus Lambecius composuit et in lucem edidit, Vindobonae 1673 p. 45. 2. facta his verbis: „Codex epistolaris Carolinus, continens Romanorum Pontificum Gregorii III, Zachariae, Stephani III vel secundum alios II, Pauli I, Stephani IV vel secundum alios III, Hadriani I et Pseudo-Papae Constantini epistolas nonaginta novem ad Principes et Reges Francorum, Carolum Martellum, Pippinum et Carolum Magnum, anno Christi septingentesimo nonagesimo primo cura et auspicio Ipsius Caroli Magni, ne vetustate et per incuriam perirent, studiose collectas et in unum redactas, Volumen membranaceum, quod olim, primo quidem ad Ipsius Caroli Magni Bibliothecam Cubicularem, deinde autem ad Willibertum Archiepiscopum Rotomagensem pertinuit, nunc vero authenticum asservatur in Augustissima Bibliotheca Caesarea Vindobonensi. Petrus Lambecius Hamburgensis totum hoc Opus summa fide et diligentia recognovit ac

aliorum monumentorum[1], *ex quibus ut Syntagma constitueretur animum induxerat. Quid fuerit causae, cur hoc opus anno 1673 inchoatum, etsi Lambecius de vita demum anno 1680 exiit*[2], *non longius processerit ignoratur. Exempla autem incepti Syntagmatis tam rara facta sunt, vix ut in amplissimis bibliothecis reperiantur. Hac Lambecii editione Muratorius anno 1734 ita usus est, ut in Rerum Italicarum Scriptorum T. III*ɪɪ *p. 73—282 epistolis ad Gretserianam formam propositis lectiones Lambecianas subiceret.*

Maiore quidem nec tamen magis idoneo conatu egit Caietanus Cenni, novissimus codicis Carolini editor. Is enim collationem Gentiloti (bibliothecae Vindobonensis praefecti ab a. 1706 ad a. 1723[3]*) nactus, Romae anno 1760 in Monumentorum dominationis pontificiae tomo primo repetiit recensionem Gretserianam, trium bibliothecae Vindobonensis praefectorum Tengnagelii Lambecii Gentiloti lectionibus variis adauctam*[4].

Sed omnium assensu probari confido, si ex ipso codice haurire liceat, de illorum qui eundem descripserunt discrepantiis laborare nihil opus esse. Nempe igitur, cum nobilissimum illum Caesareae bibliothecae Vindobonensis C o d i c e m C a r o l i n u m *summe gratiosa liberalitate huc missum accepissem, in hac mea editione procuranda unam solam veteris sec. IX librarii manum rimabar, non negligens emendationes a correctore*[5] *item seculi IX hic illic appositas, sed putida Tengnagelii splenia omnino respuens. Ac licet non sit infitiandum, ipsius nativae epistolarum Latinitatis vitia ab inferioribus librariis sive iam principis co-*

contulit, et Chronologia accurata atque necessariis annotationibus in fine adiunctis illustravit".

1. quorum dinumerationem v. in „Catalogo librorum, quos Petrus Lambecius composuit" cet. p. 46—65. 2. V. Kollarii Supplementa in Lambecii Commentar. (ed. II) T. I 538. 3. V. Kollarii Supplementa l. l. T. I 730 et 748. 4. Praef. p. XXIII: „Gretserianam et ipse editionem adhibere constitui pro textu, trium Caesareae bibliothecae praefectorum variantes lectiones subiiciendo". 5. Is interdum librarii menda non sustulit, sed suppositis punctis significare satis habuit, hoc pacto: „filius" (pro quo scribendum fuit: „fides"), „desimulantes" (pro quo „dissimulantes" scribendum fuit).

dicis, qui evanuit, sive eius qui ad praesentem aetatem remansit, non modice aucta esse, tamen corrigendi illecebrae usque quaque micanti tanto firmius obsistebam[1], *quanto minus tute ad suam proprietatem id scribendi genus reduci potest, quod ab omnibus fere grammaticorum praeceptis abhorreat.*

Erat autem harum epistolarum ad cursum temporis disponendarum summa difficultas. Etenim qui a Carolo Magno mandatum faciendae collectionis acceperat, is rerum gestarum ordinem tam parvi sua interesse existimavit, ut et omnium litterarum clausulas chronicas tolleret radicitus et coacervatas quidem singulorum paparum epistolas sed permixtas tamen proderet. Unde factum est, ut inaestimabilis huius operis pretium gravissime imminueretur; nam indiciorum illorum tam certorum tamque utilium detrimentum vel exquisitissima doctrina versutissimoque ingenii acumine ne minimum quidem resarseris.

Ex superiorum editionum auctoribus ordinem epistolarum reficiendum inprimis duo susceperunt, Martinus Bouquet et Caietanus Cenni. Quorum prior de hac re non potius iudicium veris argumentis confirmatum quam arbitrium Cointii et Pagii secutus est, posterior eximia cum cura et industria seriem litterarum scrutatus, etsi multa bene vidit tamen saepe inani vitiosoque studio motus verae cognitionis lineas transiluit. In hoc enim potissimum peccandi genere versabatur Cennius[2], *ut, obscurarum rerum impatiens, incerta pro exploratissimis haberi vellet et omnem epistolam, utcumque tempus eius ignoraretur, ad certum tamen annum revocaret; velut annum 786 ascripsit epistolae 95 ob eam maxime causam diserte appositam*[3], *„ne amplius vagetur tempore incerto".*

In his igitur pervestigationibus a me multa opera posita, cum epistolae novo modo ordinarentur, singularum collocationem in adnotationibus probare non negligebam. Sed nonnullae ra-

1. paucis locis exceptis, ubi manifestae librariorum corruptelae non ambiguam emendationem requirebant. 2. cuius auctoritati in Regestis pontificum Romanorum plerumque cedebam. 3. V. Monumenta dominationis pontif. T. I p. 467 n. 2.

tiones latius patentes, quibus simul plurium epistolarum tempora confirmentur, opportunissime hoc loco afferendas duxi.

Ac Paulus I quidem papa (757—767), accepto sabano, quod in Gisilae Caroli regis filiae baptismate adhibitum erat, regem anno 758 suum spiritalem compatrem vocare coepit[1]. *Quocirca eas pontificis huius epistolas, in quibus id appellationis regi tribuitur, nisi aliis argumentis in angustius tempus concludantur, ad spatium annorum 758—767 referri oportuit. E quo numero sunt epp. 38, 39, 40, 41.*

Sub similem rationem cadunt indicia, quae in Hadriani I papae (772—795) epistolis inveniuntur. Et omnes codicis Carolini, anno 791 formati, epistolas Hadrianinas, ubi Carolus „rex Langobardorum" dictus est, annorum 774—791 esse, facile perspicitur. Die autem 15 Aprilis a. 781 Romae, praesentibus Carolo rege Hildigardaque regina, cum eorum filius Pippinus ab Hadriano baptizatus esset, hic papa Carolum spiritalem compatrem suum et Hildigardam suam commatrem orsus est nominare. Sequitur, quae epistolae in Galliam missae de hac Caroli regis Langobardorum compaternitate nihil habent, ut eae annis 774—780 scriptae sint; velut epp. 63 et 64 (cf. etiam epp. 65, 66, 67). Reliquarum vero epistolarum, quas ob compaternitatis titulum inditum intervallo annorum 781—791 prodiisse apparet, duae partes internoscuntur. Aliae enim, ubi reginae „spiritali commatri suae" i. e. Hildigardae, quam quidem die 30 Apr. a. 783 obiisse scimus, salutem impertitur Hadrianus, sine controversia annorum 781—783 spatio tribuendae sunt, quod genus epp. 75 et 76 (cf. epp. 73 et 74); aliae, in quibus regina vel „filia" vel „spiritalis filia" papae nuncupatur ideoque Fastrada, quam uxorem Carolus duxit exeunte anno 783, intelligenda est, ad intervallum annorum 784—791 pertinent; cuiusmodi sunt epp. 90, 91, 92, 93, 95, 96, 98.

Verum Stephani III papae (752—757) epistolarum plurimae ad magnos aliquot eventus pertinent, quorum tempora iam accuratius cognoscenda sunt.

1. V. ep. 14.

De annorum 754—757 memoria.

De digerendis compluribus, quae inter se cohaerent, annorum 754—757 rebus cognitione dignis dissensione historicorum certatur, quamvis multa argumenta in promptu sint, ex quibus verus rerum ordo plane perspici potest.

Pippinum quidem anno 754 primum bellum Aistulfo Langobardorum regi intulisse, compertum habemus[1]*. Nec dubium esse potest, quin ipsa pax intervallo mensium Septembris — Decembris eiusdem anni 754 conciliata sit, quandoquidem definite ad „elapsam octavam indictionem", a die 1 Sept. 754 ad diem 31 Aug. 755 decurrentem, foedus revocatur in Vita Stephani III (Lib. pontif. ed. Vignolius II p. 119).*

Id vero maxime dubitari reperimus, utrum anno 755[2] *an anno 756*[3] *et Aistulfus violata pace Romam „per trium mensium spatia" (i. e. a die 1 Ianuarii ad exeuntem mensem Mar-*

1. Sigurdus Abel (Der Untergang des Langobardenreichs in Italien p. 122 squ.), Fredegariani chronici continuati verbis ap. Bouquet Rec. V 2 non recte sic interpretandis, quasi ex ipso conventu Bernacensi Pippinus in Italiam profectus sit, Langobardicum bellum prius, postquam Stephanus III papa in Gallia bis hiemaverit, anno 755 gestum esse arbitratur. Sed ut praetermittam, neque in libro pontificali neque apud Fredegarii continuatorem legi, Stephanum plus quam semel hiemasse in Gallia, veterrimi annales, non modo Mosellani (Mon. Germ. SS. XVI 495) et qui cum eisdem coniuncti sunt Petaviani ac Laureshamenses (Mon. SS. I 63), sed etiam Sangallenses (Mon. SS. I 63) et bellum prius ad a. 754 referunt et inter idem bellum et Langobardicum bellum posterius (anno 756 administratum) definite totum anni spatium (755) interponunt. Immo vero etiam Annales Guelferbytani (Mon. SS. I 29) eandem rem praeclare confirmant; licet enim, frequenti annalium ex prioribus exemplis repetitorum depravatione plurium annorum memoriis pari modo simul traiectis, bellum prius perperam ad a. 753 et posterius bellum item falso ad a. 755 revocatum sit, tamen ad eum, qui inter duo bella intericitur, annum 754 exhibent haec: „Franci absque bello quieverunt". 2. Hunc annum tuentur Pagius crit. in annales Baronii 755, Muratorius Annali d'Italia 755, Bouquet Recueil V praef. p. XXXVIII; et eadem sententia fui in Regestis pontificum Romanorum p. 192. 3. Anni 756 argumenta quaedam attulit Mansi in Baronii Annalium (Lucae 1743) T. XII 633; quem secuti sunt Troya Codice diplomatico Longobardo IV 581 squ. et Abel Der Untergang des Langobardenreichs p. 126.

tium) obsidione presserit, et Pippinus Langobardico bello posteriore fregerit Aistulfum, isque subita morte exstinctus sit.

At quo temporis spatio Aistulfus regnaverit, omni accuratione traditum est in Chronico Brixiensi (Mon. Germ. SS. III 239) his verbis: Anno incarnationis domini nostri Iesu Christi 749 ... accepit regnum Langobardicae gentis vir gloriosissimus Aistulfus rex in mense Iulio[1] indictione 2 ... Non longe post ipse Aistulfus rex obiit. Gubernavitque palacium Ticinense Ratchis, gloriosus germanus eius — a Decembrio usque Martium. In mense vero Martio suscepit regnum Langobardorum vir gloriosissimus Desiderius rex anno incarnationis Domini 757 indictione 10. *Ex quo intelligi debet, Aistulfum, cum mense Iulio 749 praeesse Langobardis coepisset, mense Decembri a. 756 desivisse vivere*[2].

Stephanus III quoque papa in epistola 11 de Aistulfo haec protulit: In ipsis quippe diebus, quibus hanc Romanam urbem devastandam profectus est, post anni spatii circulum ita divino mucrone percussus est, ut profecto in eo tempore, quo, fidem suam temptans, diversa piaculi scelera perpetratus est, in eo suam impiam finiret vitam. *Itaque, cum ipso die 1 Ianuarii inchoatam Romae obsidionem sciamus proindeque Aistulfum liqueat iam mense Decembri „Romanam urbem devastandam profectum esse", Stephani III relatio non modo Decembrem supremum eiusdem regis mensem corroborat, verum etiam eo*

1. In Benedicti S. Andreae monachi chronico (Mon. Germ. SS. III 703) Aistulfi initia ad mensem Iunium referuntur. 2. Aistulfum etiam die 25 Oct. 756 in vita fuisse, ostendit tabula ap. Troya Codice dipl. Longob. IV p. 625. — Regnavit igitur Aistulfus a. mense Iulio 749 ad m. Decembrem 756, hoc est annos 7 et menses fere 5. Neque vero hoc temporis spatium accurate computatum est nisi semel in Chronico Salernitano (Mon. Germ. SS. III 475) sic: „Aystulfus rex — regnavit annos 7 menses 5". De reliquo attribuuntur eidem regi anni 5 et menses 6 in Chronica S. Benedicti (Mon. SS. III 200); anni 7 in catalogo regum Veneto (Mon. SS. VII 38); anni 8 in duobus catalogis (Mon. SS. III 218 et 872) et in Andreae Bergomatis chronico (ibid. III 233); anni 8 et menses 6 in catalogo Chronicon Salernitanum praecedente (ibid. 470); anni 9 in catalogo Pistoriensi (Baluzii Miscellanea ed. Mansi I 434): „Aistulphus regnavit a. 9; quando obiit, erat ind. 10", et in catalogo qui est in Mon. Germ. SS. III 873.

valet, ut, adhibitis chronici Brixiani numeris, Aistulfum intelligamus, ipsius anni 755 mense Decembri ad devastandam Romam profectum, urbem a die 1 m. Ianuarii ad exeuntem mensem Martium oppugnavisse anno 756.

Quibus ex omnibus necessarie concluditur, quod obsessionem Romae consecutum est, Langobardicum bellum posterius ad illum ipsum annum 756 pertinere. Eandemque rem etiam planissima testimonia confirmant. Quo in genere sunt Annales Sangallenses (Mon. Germ. SS. I 63) 756: „Hoc anno item rex[1] *Pippinus super Langobardos"; Annales Mosellani (Mon. SS. XVI 495) 756: „Pippinus fuit in Italia et Haistulfus mortuus"; cf. etiam Annales Petaviani, Laureshamenses, Laurissenses (Mon. SS. I 11, 28, 140)*[2].

Omnis vero eorum, quibus bellum secundum anno 755 gestum esse videbatur, error ex Fredegariani chronici continuatione (ap. Bouquet Recueil des hist. V 3) natus est, ubi post belli anno 754 acti memoriam ista legimus: „Sequenti anno Aistulfus rex Langobardorum fidem suam, quam regi Pippino promiserat, peccatis facientibus fefellit. Iterum ad Romam cum exercitu veniens, finibus Romanorum pervagans, atque regionem illam vastans, ad ecclesiam S. Petri perveniens, et domos quas ibidem reperit maxime igne concremavit. Haec Pippinus rex cum per internuntios audisset, nimium furore et ira motus, commoto iterum omni exercitu Francorum" *cet. Sed nihil apertius est, quam continuatorem, cum „sequenti anno" 755 recte tribuisset initium novorum hostilium, ab eisdem res gestas anni 756 non satis secrevisse. Et sane, quidquid protulit, huius unius scriptoris omnino parum tempora distinguentis auctoritas obsistere tot argumentorum illorum consensioni non potest.*

1. sic est in ipso annalium codice S. Galli 124. 2. In aliis annalibus videmus una cum variorum annorum rebus loco suo motis Langobardicum bellum secundum apertissimo librariorum vitio relatum aut ad a. 755 (v. Annales Alamannici, Guelferbytani, Nazariani, Sangallenses maiores, Mon. Germ. SS. I 28, 29, 74) aut ad a. 757 (v. Ann. S. Amandi et Laubacenses, ibid. I 10).

Quocirca rerum illarum ordo paucis comprehensus hic est:

755	*Dec.*	*Aistulfus ad Romam oppugnandam proficiscitur.*
756	*Ian. 1 — Mart.*	*Aistulfus Romam obsidet.*
„	—	*Pippinus Langobardico bello secundo Aistulfum perdomat.*
„	*Dec.*	*Aistulfus moritur. Ratchis iterum regnum suscipit.*
757	*Mart.*	*Desiderius regnare incipit.*

Verum haec de indagato litterarum ordine hactenus. Restat ut addam, me cuique epistolae, quoto loco et in codice et apud Cennium inveniatur, ascripsisse tali ratione: (Cod. 5, Cen. 3), (Cod. 10, Cen. 4). Quoque plus commoditatis habeat serierum collatio, has duas tabulas feci:

Ordo		Ordo		Ordo		Ordo		Ordo	
codicis	noster	codicis	noster	codicis	noster	codicis	noster	codicis	noster
1	2	21	19	40	35	60	60	80	81
2	1	21b	15	41	26	61	67	81	83
3	10	22	38	42	33	62	63	82	92
4	8	23	18	43	41	63	59	83	93
5	3	24	20	44	48	64	66	84	94
6	9	25	24	45	47	65	64	85	98
7	6	26	37	46	50	66	82	86	87
8	11	27	14	47	46	67	89	87	95
9	7	28	31	48	49	68	72	88	86
10	4	29	16	49	61	69	74	89	96
11	5	30	39	50	53	70	75	90	84
12	23	31	27	51	56	71	88	91	80
13	12	32	29	52	55	72	68	92	85
14	21	33	39	53	54	73	62	93	76
15	17	34	30	54	51	74	90	94	97
16	42	35	40	55	52	75	77	95	79
17	34	36	13	56	70	76	71	96	78
18	43	37	32	57	65	77	91	97	99
19	22	38	28	58	57	78	73	98	44
20	36	39	25	59	58	79	69	99	45

Numeri		Numeri		Numeri		Numeri		Numeri	
Cenniani	nostri	Cenniani	nostri	Cenniani	nostri	Cenniani	nostri	Cenniani	nostri
1	2	21	18	41	42	61	53	80	90
2	1	22	26	42	22	62	63	81	89
3	3	23	28	43	44	63	64	82	99
4	4	24	27	44	45	64	65	83	94
5	5	25	30	45	50	65	66	84	80
6	6	26	31	46	48	66	67	85	81
7	7	27	32	47	46	67	74	86	95
8	8	28	33	48	49	68	72	87	82
9	9	29	34	49	47	69	79	88	83
10	10	30	35	50	52	70	78	89	84
11	11	31	40	51	51	71	70	90	85
12	12	32	23	52	54	72	71	91	86
13	14	33	39	53	55	73	73	92	87
14	38	34	43	54	56	74	75	93	88
15	13	35	41	55	60	75	76	94	93
16	24	36	29	56	57	76	77	95	96
17	16	37	36	57	58	77	69	96	97
18	17	38	20	58	59	78	68	97	98
19	25	39	21	59	61	79	91	98	92
20	19	40	37	60	62				

Berolini 9 Kal. Februarias 1867.

REGNANTE IN PERPETUUM DOMINO ET SALVATORE NOSTRO IESU CHRISTO, ANNO INCARNATIONIS EIUSDEM DOMINI NOSTRI DCCXCI CAROLUS, EXCELLENTISSIMUS ET A DEO ELECTUS REX FRANCORUM ET LANGOBARDORUM AC PATRICIOS ROMANORUM, ANNO FELICISSIMO REGNI IPSIUS XXIII[1], DIVINO NUTU INSPIRATUS, SICUT ANTE OMNES QUI ANTE EUM FUERUNT SAPIENTIA ET PRUDENTIA EMINET, ITA IN HOC OPERE UTILISSIMUM SUI OPERIS INSTRUXIT INGENIUM, UT UNIVERSAS EPISTOLAS, QUAE TEMPORE BONAE MEMORIAE DOMNI CAROLI AVI SUI NEC NON ET GLORIOSI GENITORIS SUI PIPPINI SUISQUE TEMPORIBUS DE SUMMA SEDE APOSTOLICA BEATI PETRI APOSTOLORUM PRINCIPIS SEU ETIAM DE IMPERIO AD EOS DIRECTAE ESSE NOSCUNTUR, EO QUOD NIMIA VETUSTATAE ET PER INCURIAM IAM EX PARTE DIRUTA ATQUE DELETA CONSPEXERAT, DENUO MEMORALIBUS MEMBRANIS SUMMO CUM CERTAMINE[a] RENOVARE AC RESCRIBERE DECREVIT. 791

INCIPIENS IGITUR, UT SUPRA DIXIMUS, A PRINCIPATU PRAEFATI PRINCIPIS CAROLI AVI SUI, USQUE PRAESENS TEMPUS ITA OMNIA EXARANS, UT NULLUM PENITUS TESTIMONIUM SANCTAE ECCLAESIAE PROFU-

a. CERIAMINE *c.*

1. qui a die 9 Oct. 790 ad d. 8 Oct. 791 patebat.

791 TURUM SUIS[a] DEESSE SUCCESSORIBUS VIDEATUR, UT SCRIPTUM[b] EST: „SAPIENTIAM OMNIUM ANTIQUORUM EXQUIRET SAPIENS“[1] ET CETERA.

---

1. *Gregorius III papa Caroli Martelli auxilium iterum implorat contra Langobardos. Derideri se scribit, quod spem suam in eo constituerit*[c]. (Cod. 2, Cen. 2)

739 Domino excellentissimo filio Carolo subregulo Gregorius papa.

Ob nimium dolorem cordis et lacrimas iterata vicae[2] tuae excellenciae necessarium duximus scribendum; confidentes, te esse amatorem filium beati Petri principis apostolorum et nostrum, et quod pro eius reverencia nostris oboedias mandatis ad defendendam eclesiam Dei et peculiarem populum. Quia[d] iam persecucionem et oppręssionem gentis Langobardorum sufferre non possumus. Omnia enim luminaria[3] ad ipsius principis apostolorum, et quae a vestris parentibus vel a vobis offerta sunt, ipsi abstulerunt. Et quoniam ad te post Deum confugium fecimus, propterea nos ipsi Langobardi in obprobrium habent et opprimunt. Unde et eclesia sancti Petri denudata est et in nimiam dessolacionem redacta.

Tamen omnes nostros dolores subtilius in ore posuimus praesenti portitori, tuo fideli, que in auribus tuae excellenciae[e] suggerere debeat.

Tu autem fili habeas cum ipsi principe apostolorum hic et in futura vita coram omnipotenti Deo nostro, sicut pro eius eclesia et nostra defensione disposueris et decertaveris sub omni velocitate; ut cognoscant omnes gentes tuam fidem et puritatem atque amorem, quae habes erga principem apostolorum beatum

a. SUAE *c.* b. SCRPPTUM *c.* c. *ex cod. f.* 2 – 2*v. Lemma:* Item epistola Gregorii secunda ad Carolum missa similiter pro defensione sanctae Dei ecclesiae. d. q *c.* e. excellencae *c.*

1. Eccli. 39, 1. 2. de priore, quae periit, sollemnissima imploratione v. Regesta pont. Rom. p. 182 n. 1732. 3. donaria, bona.

Petrum et nos eiusque peculiarem populum zelando et defen- 739
dendo. Ex hoc enim tibi poteris memorialem et aeternam atquirere vitam.

---

2. *Gregorius III papa Carolum Martellum reprehendit, quod regibus Langobardorum permiserit, ut fines Ravennates et Romanos denuo vexarent. Spoletinum et Beneventanum duces ob ecclesiae amorem a regibus infestari. Auxilium petit*[a].

(Cod. 1, Cen. 1)

Domino excellentissimo filio Carolo subregulo Gregorius 740
papa.

Nimia fluctuamur tribulacione et lacrime die noctuque ab oculis nostris non deficiunt, quando[b] conspicimus, cotidie et undique eclesiam sanctam Dei a suis, in quibus spes erat vindicandi, destitui[c] filiis. Propter ea, coartati dolore, in gemitu et luctu consistimus; dum cernimus id, quod modicum remanserat praeterito anno[1] pro subsidio et alimento pauperum Christi seu luminariorum concinnacione in partibus Ravennacium, nunc gladio et igni cuncta[d] consumi a Liudprando et Hilprando regibus Langobardorum. Sed in istis partibus Romanis, mittentes plura exercita, similia nobis fecerunt et faciunt, et omnes salas[2] sancti Petri destruxerunt et peculia[3] quae remanserant[4] abstulerunt.

Et nulla nobis, apud te excellentissime fili refugium facientibus, pervenit actenus consolacio. Sed ut conspicimus — dum indultum a vobis eisdem regibus est mocione faciendi — quod eorum falsa suggestio plus quam nostra veritas apud vobis recepta est. Et timemus, ne tibi respiciat ad peccatum; quando[e] nunc, ubi resident ipsi reges, ad exprobracionem nostram ita proferunt verba dicentes: *Adveniat Carolus, apud quem refugium*

a. *ex cod. f.* 1*v* — 2. *Lemma:* Epistola Gregorii papae ad Carolum maiorem domus missa pro defensione sanctae Dei ecclesiae. b. qño *c.* c. destitu *c.* d. conta *correctum est eadem manu in* cuncta. e. qn̄o *c.*

1. anno 739. 2. aedificia agrestia. 3. pecora. 4. anno 739. Nam „per mensem Augustum ind. VII" Roma reversum esse Liutprandum regem, apparet e Vita Zachariae in Vignolii Lib. pont. II 60. Cf. Regesta pont. Rom. p. 182 n. 1732.

740 *fecistis, et exercita Francorum; et si valent, adiuvent vos et eruant de manu nostra.* O quam insanabilis dolor pro his exprobracionibus in nostro retinetur pectore, dum tales ac tanti filii suam spiritalem matrem sanctam Dei eclesiam eiusque populum peculiarem non conantur defendere. Potens est, carissime fili, ipse princeps apostolorum, o per a Deo[a] sibi concessam potestatem: suam defendere domum et populum peculiarem, atque de inimicis dare vindictam. Sed fidelium filiorum mentes probat.

Non credas, fili, falsidicis suggestionibus ac suasionibus eorundem regum. Omnia enim false tibi suggerunt, scribentes circumventiones: quod quasi aliquam culpam commissam habeant eis eorum duces, id est Spolentinus[1] et Beneventanus[2]. Sed omnia mendacia sunt. Non enim pro alio — satisfaciat te veritas, fili — eosdem duces persequitur capitulō nisi pro eo, quod noluerunt praeterito anno[3] de suis partibus super nos inruere et,

a. apostolorum opera dō *c*.

1. Trasimundus. 2. Godescalcus. 3. a. 739. Quo quidem anno propter Trasimundum ducem a Liutprando rege „ablatas esse a Romano ducatu civitates quatuor, id est Ameria, Hortas, Polimartium et Blera", intelligimus e Vita Zachariae l. l.; eiusdemque rei documento est, quae desumpta ex cardinalis Deusdedit collectione canonum (cod. Vatic. 3833) legitur ap. Fontanini De antiquitatibus Hortae (Romae 1708) p. 385 et Zaccagni Diss. de apostolicae sedis imperio in urbem Comacli (1709) app. p. 1 epistola Gregorii III die 15 Oct. 741 data haec: „Gregorius omnibus episcopis in Tuscia Langobardorum. Meminit fraterna sanctitas vestra, tempore ordinationis suae per chirographum et sacramenti vinculum beato Petro principi apostolorum spopondisse, ut in emergentibus sanctae eius ecclesiae totis viribus elaboretis. Igitur, quia praesentes viros Anastasium dilectum filium nostrum presbyterum et Adeodatum regionarium subdiaconum nostros fideles ad obsecrandum et Deo favente obtinendum pro quatuor castris, quae anno praeterito beato Petro ablata sunt, ut restituantur a filiis nostris Liutprando et Hilprando supplicare destinavimus, ecce, dilectissimi fratres, tempus acceptabile, ut iuxta chirographum vestrum boni operis fructum beato Petro feratis. Cuius auctoritate vos hortamur in Domino, ut ad eosdem cum praedictis filiis nostris properetis, ut a Deo inspirati protectoribus eorum beatis principibus apostolorum Petro et Paulo eadem castra restituantur. Nam si, quod non credimus, distuleritis iter arripere, propter Deum ego, quanquam imbecillis sim prae infirmitate cor-

sicut illi fecerunt, res sanctorum apostolorum destruere et peculiarem populum depraedare; ita dicentes ipsi duces: *Quia contra*[a] *eclesiam sanctam Dei eiusque populum peculiarem non exercitamus; quoniam et pactum cum eis habemus et ex ipsa eclesia fidem accepimus.* Ideoque mucro eorum desevit contra eos. Nam ipsi predicti duces parati fuerunt et sunt, secundum antiquam consuetudinem eis hobedire. Sed illi, retinentes iram pro eo quod superius diximus, per exquesitam occasionem volentes illos et nos destruere et invadere, ideo, utrosque persequentes, vestre bonitati suggerunt falsa: ut et duces illos nobilissimos degradent; et suos ibidem pravos ordinent duces; et multo amplius cotidie et ex omni parte Dei ęclesiam expugnent et res beati Petri principis apostolorum dissipent atque populum peculiarem captivent. 740

Tamen ut rei veritas vobis declaretur, christianissime fili, iubeas post ipsorum regum ad propria[b] reversionem tuum fidelissimum missum, qui non a praemiis[c] corrumpatur, dirigere: ut propriis oculis persecutionem nostram et Dei aeclesiae humiliationem et eius rerum dissolationem et peregrinorum lacrimas conspiciatur; et tue bonitati omnia pandantur.

Sed ortamur bonitatem tuam coram Domino et eius terribili iudicio, christianissime fili: ut propter Deum et animae tuae salutem subvenias aeclesiae sancti Petri et eius peculiari populo; eosdemque reges sub nimia celeritate refutes et a nobis repellas, et iubeas eos ad propria reverti. Non despicias deprecationem meam nequę claudas aures tuas a postulacione mea; sic non tibi ipse princeps apostolorum claudat caelestia regna. Coniuro te in Deum vivum et verum et ipsas sacratissimas claves confessionis[d] beati Petri, quas vobis ad rogum[1] direxsimus[2]: ut non proponas amicitiam regum Langobardorum amori prin-

a. ipsi .q.[1] (.duces.) contra *c.* b. propriam *c.* c. p̄nii[1]:is *c.* d. confessiones[1] *c.*

poris, iter arripiam laboriosum; et videbo, ne vestra negligentia vobis ad obligationem ex nodo pacti pertineat. Data Idus Octobris, indictione 9ᵃ.

1. rogationem, obsecrationem. 2. a. 739. V. Regesta pontificum Romanorum p. 182 n. 1732.

740 cipis apostolorum, sed velocius et sub nimia festinacione senciamus post Deum tuam consolacionem ad nostram defensionem; ut in omnibus gentibus declaretur vestra fides et bonum nomen, quatenus et nos cum prophaeta mereamur dicere: *Exaudiat te Dominus in die tribulacionis, protegat te nomen Dei Iacob*[1].

Harum autem litterarum portitor, Antház vester fidelis, quod oculis suis vidit et nos ei iniunximus, omnia tuae benignae excellenciae viva voce enarrat.

Et petimus bonitatem tuam coram Deo teste et iudice, ut nimis festinanter nostros linias dolores et laetabunda nobis caeleriter mittes nuncia; ut, laeti effecti animo, die noctuque pro te tuisque fidelibus coram sacris sanctorum principum apostolorum Petri et Pauli confessionibus Domino fundamus praeces.

---

3. *Zacharias papa Pippino maiori domus de diversis rebus consulenti respondet*[a]. (Cod. 5, Cen. 3)

747 c. Ian. 5 Domino excelentissimo atque christianissimo Pippino maiori domus seu dilectissimis nobis universis episcopis aeclesiarum et religiosis abbatibus atque cunctis Deum timentibus principibus in regione Francorum constitutis Zacharias episcopus sanctae Dei catholicae et apostolicae Romanae ecclesiaę in Domino salutem.

Gratia vobis et pax a Deo patre omnipotente et domino Iesu Christo unico filio eius et ab Spiritu sancto ministretur.

Gaudio magno gaudemus in Domino, addiscentes per relationem sublimissimi et a Deo servati praedicti filii nostri Pippini vestram omnium bonam conversationem, et quod in bonis et Deo placitis dispositionibus unanimes[b] atque cooperatores estis; ita ut et aeclesiae Dei et venerabilia loca per universam vestram provinciam sita adque earum praesules sacerdotes et religiosi

a. *ex cod. f.* 6v — 11r. *Lemma:* Item epistola Zachariae papae ad domnum Pippinum missa — quae pretitulata est sub maiorum domus nomine, eo quod nondum in regis dignitatem esset elevatus — una cum capitulis suis consultis a iam dicto domno Pippino vel sacerdotibus partibus Franciae, qualiter respondendum, scripsit iam dictus pontifex. b. unianimes *corr. in* unanimes *cod.*

1. Ps. 19, 2.

abbates, ut condecet, in sancto habitu et conversacione sacerdotali conversetis, vacantes orationibus, insistentes precibus ad implorandam divinam potentiam et caelitus victoriam tribuendam adversus paganas et infideles gentes propugnatoribus vestris. Etenim vobis in vera confessione et simplici corde ad Deum accedentibus — sicut Moyses ille amicus Dei orando pugnabat[1] et, Iesu Nave[2] cum populo Israel bella Domini praeliando, vincebat — ita et vos agere oportet, karissimi mihi; ut sitis adiutores populo vestro, orando et bonis actibus inherendo, declinantes a curis et negotiis secularibus. Scriptum est enim: *Vacate, et videte quoniam suavis est Dominus*[3]; et iterum: *Accedite ad eum, et inluminamini; et vultus vestri non erubescent*[4]. Principes et seculares homines atque bellatores convenit curam habere et sollicitudinem contra inimicorum astutiam et provintiae defensionem, praesulibus vero sacerdotibus adque Dei servis pertinet salutaribus consiliis et oracionibus vacare; ut, nobis orantibus[a] et illis bellantibus, Deo prestante, provincia salva persistat, fiatque[b] vobis in salutem laudem et mercedem perpetuam. Ex hoc quippe praesulatus vester apparebit in sanctitate, et principatus dilecti filii nostri Pippini adprobabitur per subiectorum potestatem et bonum dispositum.

747 c. Ian. 5

Itaque, ut flagitavit a nobis cum vestro consultu superius effatus filius noster Pippinus, ut de omnibus capitulis, quibus innotuit, responsum demus[5], in quantum Domino dante valemus, de uno quoque capitulo inferius conscriptum, iuxta quod a sanctis patribus traditum habemus et sacrorum canonum sanxit auctoritas, etiam et nos, quod Deo inspirante apostolica auctoritate decernere potuimus, mandavimus in responsis[6].

a. horantibus *corr. in* orantibus *c.* b. si adque *corr. in* fiatque *c.*

1. V. Exod. 17, 9 squ. 2. i. e. Iosue; cf. Eccli. 46, 1. 3. Ps. 45, 11. 4. Cf. Ps. 33, 6. 5. Cf. S. Bonifatii ep. 63 (in huius Bibliothecae tomo III 181), unde animadverti potest, quo tempore haec Zachariae ad Pippinum epistola missa sit. 6. Quae sequuntur capitula, ea omnino fere ducta sunt e Dionysii Exigui collectione canonum, in eo libro edita qui inscribitur: Codex canonum vetus ecclesiae Romanae (ed. Pithoeus), Lutetiae 1609.

747 c. Ian. 5 Primum capitulum, quomodo honorari debeat metropolitanus episcopus a chorepiscopis et parrochialibus presbiteris. In canone sanctorum apostolorum, capitulo tricesimo quinto[1] scriptum est: *Episcopos gencium singularum scire convenit, quis inter eos primus habeatur, quem velud caput existiment; et nihil amplius praeter eius conscienciam gerant, quam illa sola singuli, quae parroechiae propriae et villis, quae sub ea sunt, competunt. Sed nec ille praeter omnium conscienciam faciat aliquid. Sic enim unanimitas erit et glorificabitur Deus per Christum in Spiritu sancto.* Item in canone Antiochęni concilii capitulo nono[2] continetur[a] ita: *Per singulas regiones episcopos convenit nosse, metropolitanum episcopum tocius provinciae sollicitudinem gerere. Propter quod ad metropolim omnes undique, qui negocia videntur habere, concurrent[b]. Unde placuit: eum et honore praecellere, et nihil amplius praeter eum caeteros episcopos agere secundum antiquam a patribus nostris regulam constitutam, nisi ea tantum, quae ad suam diocesim pertinent possessionesque subiectas. Unus quisque enim episcopus habeat suae parrochiae potestatem, ut regat iuxta reverenciam singulis competentem, et providenciam gerat omnis possessionis, quae sub[c] eius est potestate; item ut presbiteros et diaconos ordinet et singula suo iudicio comprehendat. Amplius autem nil agere temptet praeter antestitem metropolitanum; nec metropolitanus aliquid gerat sine caeterorum sacerdotum consilio.* Item ex libro decretorum beati Leonis papae; capitulo tricesimo secundo[3] continetur: *Igitur secundum sanctorum patrum canones, spiritu Dei conditos et tocius mundi reverencia consecratos, metropolitanos singularum provinciarum episcopos, quibus ex delegacione nostra fraternitatis tuae cura praetenditur, ius traditae sibi antiquitus dignitatis intemeratum habere decernimus; ita ut a regulis prestitutis[d] nulla aut neglegencia aut praesumpcione discedant, aut[4] in habitu aut*

a. etur *in litura.* b. concurrere *corr. in* concurrent *c.* c. sub *addidit corrigens manus antiqua.* d. prestitutitis *corr. in* prestitutis *c.*

1. ap. Dionysium l. l. 2. ap. Dionysium l. l. p. 59. 3. ap. Dionysium l. l. p. 466. 4. „aut — sanctitatis" non leguntur ap. Dionysium l. l.

in incessu sanctitatis. Nam et nos ab apostolica auctoritate subiungimus, ut episcopus iuxta dignitatem suam indumentis utatur; simili modo et presbiteri cardinales. Et si monachica vita velle habeant vivendi, plebi quidem sibi subiectae preclariori vestę induti debitum praedicationis persolvant, et in secreto propositum sui servent[a] cordis; ut, qui videt in abscondito, Deus reddat illis in palam. Scriptum quippe est: *Quae dicitis in cordibus vestris, et in cubilibus vestris conpungimini*[1]. Non enim nos honor commendat vestium, sed splendor animarum. Monachi vero lanea indumenta iuxta normam et regulam monachicae disciplinae atque traditionem sanctorum probabilium patrum sine intermissione utantur. Si enim, abrenuntiantes ea quae saeculi sunt, tota se Deo intentione contulerunt, de omnibus inlicitis debent abstinere, ut, quantum corpori suo sustinuerint laborem, tantum remunerationis praemium a Deo percipere mereantur. Apostolis quippe divinum datum est mandatum, duas tunicas non habendi[2]. Tunicas dixit utique laneas, non lineas. Qui ergo oboedierit dominico praecepto[b], bonis actibus inhaerens, habebit vitam aeternam. Item ex canone Antioceni concilii; capitulo decimo[3] de his, qui vocantur chorepiscopi, decretum est: *Qui in vicis vel possessionibus chorepiscopi nominantur, quamvis manus impositionem episcoporum perceperint et ut episcopi consecrati sint, tamen sanctae sinodo placuit, ut modum proprium recognoscant, et gubernent subiectas sibi aeclesias earumque moderamine curaque contenti sint. Ordinent etiam lectores et subdiaconos atque exorcistas, quibus promotiones istae sufficiant. Nec presbiterum vero nec diaconum audeant ordinare praeter civitatis episcopum, cui ipse cum possessione subiectus est. Si quis autem transgredi statuta temptaverit, depositus, quo utebatur, honore privetur. Chorepiscopum vero civitatis episcopus ordinet, cui ille subiectus est.*

747 c. Ian. 5

Secundo capitulo de episcopis presbiteris et diaconibus

a. servent *addidit in margine corrigens manus antiqua, erasa in textu voce alia.*
b. dominicum praeceptum *corr. in* dominico praecepto *c.*

1. Ps. 4, 5. 2. Matth. 10, 10. 3. ap. Dionysium l. l. p. 60.

747 dampnatis, *quod pristinum officium usurpare non de-*
c. Ian. 5 *beant.* Ex libro canonum sanctorum apostolorum; capitulo vicesimo nono[1] dictum est: *Si quis episcopus aut presbiter aut diaconus, depositus iuste*[a] *super certis criminibus, ausus fuerit attrectare ministerium dudum sibi commissum, hic ab aeclesia penitus abscidatur.*

Tertium capitulum de presbiteris supervenientibus. Ex concilio Cartaginense; capitulo undecimo[2]: *Si quis presbiter contra episcopum suum inflatus schisma fecerit, anathema sit. Ab universis episcopis dictum est ter, anathema sit*[b]. *Si quis presbiter a praeposito suo correptus fuerit, debet utique apud*[c] *vicinos episcopos conqueri, ut ab ipsis eius causa possit audiri, ac per ipsos suo episcopo reconciliari. Quod nisi fecerit, sed superbia, quod absit, inflatus secernendo sę ab episcopi sui communione subduxerit, ac separatim*[d] *cum aliquibus faciens, sacrificium Deo obtulerit, anathema habeatur, et locum amittat. Si querimoniam iustam adversus episcopum non habuerit, inquirendum erit.*

Quartum capitulum *de presbiteris agrorum,* quam obedienciam debent exhibere episcopis et presbiteris cardinalibus. Ex concilio Neocesariensi; capitulo 13[3] ita continetur: *Presbiteri ruris in eclęsia civitatis, episcopo praesente vel presbiteris urbis ipsius, offerre non possunt nec panem sanctificatum dare calicemque porrigere. Si vero absentes hi fuerint, et ad dandam oracionem vocentur, soli dare debebunt. Chorepiscopi quoque ad exemplum quidem et formam septuaginta videntur esse; ut quod ministraverint propter studium, quod erga*[e] *pauperes exhibent, honorentur.*

Quintum capitulum de monachis, id est ancillis Dei; de quibus flagitatum est, si liceat, eas ad missarum solemnia aut

a. *sequitur rasura trium fere litterarum.* b. .t̄. anathema sit *addidit in margine inferiore corrigens manus antiqua. Sed haec non leguntur ap. Dionysium.* c. aput *corr. in* apud *c.* d. separatum *corr. in* separatim *c.* e. ergo *corr. in* erga *c.*

1. ap. Dionysium l. l. 2. ap. Dionysium l. l. p. 189. 3. ap. Dionysium l. l. p. 40.

sabbato sancto pubplice lecciones legere et ad missas psallere aut alleluia vel responsorium. De his in libro decretorum beati Gelasii pape, capitulo 26[1] destinatum est: *Quod nefas sit, feminas sacris altaribus ministrare vel aliquid ex his, quae virorum sunt officiis deputata, praesumere. Nihilhominus inpacienter audivimus, tantum*[a] *divinarum rerum subiisse despectum, ut feminae sacris altaribus ministrare firmentur, cunctaque*[b] *non nisi virorum famulatui deputata sexum, cui non competit, exhibere; nisi quod omnium delictorum, quae singillatim perstrincximus, noxiorum reatus omnis et crimen eos respicit sacerdotes, qui vel ista committunt vel committentes minime publicando pravis excessibus sę favere significant.* 747 c. Ian. 5

Sextum capitulum de viduis, si possint im propriis habitaculis suis salvare animas. Item ex eodem libro; capitulo 21[2] ita continetur: *Ut viduae non velentur*[c], *et si professam continenciam, proposito mutato, calcaverint, ipsae pro se racionem Deo pro suis sint actibus redditurae. Nam de viduis sine ulla benediccione velandis superius latius*[d] *duximus disserendum, quae si propria voluntate professam pristini coniugii castitatem, mutabili mente, calcaverint, periculi eius*[e] *intererit, quali Deum debeat satisfaccione placare. Sicut enim si se forsitan continere non poterat, secundum apostolum, nullatenus nubere vetabatur, sic habitam secundum deliberacionem promissam Deo pudiciciae fidem debuit*[f] *custodire. Nos autem nullum talibus laqueum debemus inicere; sed solum adhortaciones praemii sempiterni poenasque proponere divini iudicii, ut nostra sit absoluta conscientia, et illarum pro se rationem Deo reddat intentio.*

Septimum capitulum de laico pellente suam coniugem. Ex canone sanctorum apostolorum 48[3]: *Si quis laicus, uxorem pro-*

a. tantum — subiisse *partim in litura.* b. cunctaque quae *c.* c. a pontificibus *corrigens manus antiqua addidit.* d. late *corr. in* latius *c.* e. ēı; *c.* f. buit *corr. in* debuit *c.*

1. ap. Dionysium l. l. p. 539. 2. ap. Dionysium l. l. p. 536. 3. ap. Dionysium l. l.

747 c. Ian. 5 *priam pellens, alteram vel ab alio dimissam duxerit, communione privetur.*

Octavum capitulum de presbiteris et diaconibus, *qui se a ministerio aeclesiastico subtrahunt et seorsum collectas faciunt.* Ex canone Antioceni concilii; capitulo 5[1] promulgatum est: *Si quis presbiter aut diaconus, episcopum proprium contempnens, se ab aeclesia sequestraverit et seorsum colligens altare constituerit*[a] *et commonenti episcopo non adquieverit, nec consentire vel obedire voluerit semel et iterum convocanti, hic dampnetur omnimodo nec ultra remedium consequatur, quia suam recipere non potest dignitatem. Quodsi aeclesiam turbare et sollicitare persistit, tamquam seditiosus per potestates exteras obprimatur.*

Nonum capitulum *de clericis et monachis non manentibus in suo proposito,* quod interrogatum est. In canone Calcedonensi, capitulo 7[2] decretum est: *Qui semel in clero deputati sunt aut monachorum vitam expetiverunt, statuimus neque ad militiam neque ad dignitatem aliquam venire mundanam; sed*[b] *hoc temptantes et non agentes penitentiam, quo minus redire*[c] *debeant ad id*[d]*, quod propter Deum primitus elegerant, anathematizari.*

Decimum capitulum *de clericis, qui sunt in ptochiis, monasteriis atque martyriis.* Ex canone Calcedonensis concilii; capitulo 9[3] ita decretum est: *Clerici, qui praeficiuntur ptochiis vel ordinantur in monasteriis et basilicis martyrum, sub episcoporum, qui in unaquaquę civitate sunt, secundum sanctorum patrum traditiones, potestate permaneant, nec per contumatiam ab episcopo suo desiliant. Qui vero audent evertere huiusmodi formam quocumque modo nec proprio subiciuntur episcopo, si quidem clerici sunt, canonum correptionibus subiacebunt, si vero laici vel monachi fuerint, communione priventur.*

a. constituit *corr. in* constituerit *c.* b. aut *c.* c. commonere *corr. manus antiqua in* quominus redire. d. ad id *addidit manus antiqua.*

1. ap. Dionysium l. l. p. 58. 2. ap. Dionysium l. l. p. 124. 3. cap. 8 ap. Dionysium l. l. p. 124.

Undecimum capitulum: *qui clerici etiam ab uxoribus abstinere debeant.* Ex concilio Affricano; capitulo 37[1] ita continetur: *Preterea, cum de quorundam*[a] *clericorum, quamvis erga uxores proprias, incontinentia referretur*[b], *placuit: episcopos et presbiteros seu diaconos secundum propria statuta etiam ab uxoribus contineri*[c]; *quod nisi fecerint, ab aeclesiastico removeantur officio. Caeteros autem clericos ad id*[d] *non cogi, sed secundum uniuscuiusque aeclesiae consuetudinem observari debere.* 747 c. Ian. 5

Duodecimum capitulum *de his, qui uxores aut quae viros dimittunt, ut sic maneant.* Ex concilio supra scripto Africano; capitulo 69[2] ita continetur: *Placuit, ut secundum euuangelicam et apostolicam disciplinam neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito, alteri coniungantur; sed ita maneant, aut sibi invicem reconcilientur. Quod si contempserint, ad penitentiam redigantur.*

Tertium decimum capitulum inquisitum est, *quod monachus, si clericus factus fuerit,* quid agi debeat. Ex decreto beati Innocencii papae; capitulo 17[3] continetur: *De monachis, qui diu morantur in monasteriis et postea ad clericatus ordinem pervenerint, non debere eos a proprio*[e] *proposito deviare. Aut enim, sicut in monasterio fuit et quod diu servavit, in meliori gradu positus, amittere non debet; aut si corruptus*[f], *postea baptizatus et in monasterio sedens, ad clericatus ordinem accedere voluerit, uxorem omnino habere non poterit; quia nec benedici cum sponsa potest iam antea corruptus*[f]. *Quae forma servatur in clericis maximae, cum vetus regula hoc habeat, ut, quisque corruptus*[f] *baptizatus clericus esse voluisset, sponderet, se uxorem omnino non ducere.*

Quartum decimum capitulum: *quod presbiteri aut diaconi, si in aliquo crimine prolapsi fuerint, non pos-*

a. curandam *corr. manus antiqua in* quorundam *c.* b. referetur *corr. manus antiqua in* referretur. c. continere *corr. manus antiqua in* contineri *c.* d. ad id *addidit manus antiqua.* e. propria *corr. manus antiqua in* proprio. f. correptus *corr. manus antiqua in* corruptus.

1. ap. Dionysium l. l. p. 234. 2. ap. Dionysium l. l. p. 257. 3. ap. Dionysium l. l. p. 344.

747 *sint per manus inpositiones penitentiae remedium*
c. Ian. 5 *consequi.* In decreto[a] beati Leonis papae, capitulo 16[1] decretum est ita: *Alienum est a consuetudine aeclesiastica, ut, qui in presbiterali honore aut diaconii gradu fuerint consecrati, hii pro crimine aliquo suo per manus impositionem remedium accipiant penitendi. Quod sine dubio ex apostolica traditione descendit, secundum quod scriptum est: „Sacerdos si peccaverit, quis orabit pro illo?" Unde huiusmodi lapsis ad promerendam misericordiam Dei secreta[b] est expetenda secessio, ubi illis[c] satisfactio, si[d] fuerit digna, sit[e] etiam fructuosa.*

Quintum decimum capitulum pro eo, quod interrogatum est de laicis, qui aeclesias in suis proprietatibus construunt, quis ipsas debeat regere aut gubernare. A sanctis patribus ita statutum est et in praeceptis apostolicis continetur: *Iuxta petitoris imploratum, ut, si in quolibet fundo cuiuscumque iuris oratorium sive basilica fuerit constructa, pro eius devotione in honorem cuiuscumque sancti, in cuius episcopi parroechia fuerit fundatum oratorium aut basilica, percepta primitus donatione legitima, id est praestantem tot, gestisque municipalibus allegatis, praedictum oratorium atque missas publicas solemniter consecratis; ita ut in eodem loco nec futuris temporibus baptisteria construantur nec presbiter constituatur cardinalis; sed et si missus ibi forte maluerit, ab episcopo noverit presbiterum postulandum; quatenus nihil tale a quolibet alio sacerdote nullatenus resistatur, nisi ab episcopo fuerit ordinatum*[2].

a. decreta *corr. manus antiqua in* decreto. b. probata *corr. manus antiqua in* secreta. c. illi *c.* d. si *addidit manus antiqua.* e. sed *corr. manus antiqua in* sit.

1. ap. Dionysium l. l. p. 455. 2. Haec ex Pelagii I ad Eleutherium episcopum epistola (ap. Holstenium Coll. Romana I p. 234, cf. Regesta pont. Rom. n. 664) hausta esse videntur, ubi sic est: „Maximus ... nobis suggessit, in fundo qui appellatur Pancellus oratorium se pro sua devotione fundasse, quod in honore beatae Cantianae martyris desiderat consecrare. Et ideo ... si in tua diocesi memorata constructio iure consistit ......, percepta prius donatione legitima vel possessione illa et illa, praestantes liberos a fiscalibus titulis solidos tot, gestisque municipalibus allegatis, praedictum oratorium absque missis publicis solemniter consecrabis; ita tamen,

Sextum decimum capitulum *de clericis, qui proprias eclesias relinquunt,* quid de eis agi debeat. Ex canone sanctorum apostolorum; capitulo 15[1] ita continetur: *Si quis presbiter aut diaconus aut quilibet de numero clericorum, relinquens propriam parroechiam, pergat ad alienam et, omnino declinans, praeter episcopi sui conscienciam in aliena parroechia commoretur, hunc ulterius ministrare non patimur; praecipue, si vocatus ab episcopo redire contempserit, in sua inquietudine perseverans. Tamen tamquam laicus ibi conmunicet.* 747 c. Ian. 5

Septimum decimum capitulum item pro episcopis, qui alterius clericos susceperint, ut excommunicentur[a]. In eodem canone[b] capitulo 16[2] continetur: *Episcopus vero, apud quem memoratos*[c] *esse constiterit, si, contra eos decrętam cessationem pro nihilo reputans, tamquam clericos forte susceperit, velut magister inquietudinis communione privetur.*

Octavum decimum capitulum, qui clerici uxores sortiri debeant. In 27 capitulo canonum sanctorum apostolorum[3] decretum est: *Innuptis autem, qui ad clerum provecti sunt, praecipimus: ut, si voluerint, uxores accipiant, sed lectores cantoresque tantummodo.*

Nonum decimum capitulum, *ut nullus presbiter aut diaconus sine commendaticiis suscipiatur epistolis.* In eodem canone sanctorum apostolorum[4] continetur: *Nullus episcoporum peregrinorum aut presbiterorum seu diaconorum sine commendatitiis suscipiatur epistolis; et cum scripta detulerint, discuciantur attentius et ita suscipiantur; si predicatores pietatis exstiterint minus, ne, quae sunt necessaria, subministrentur eis, et ad communionem nullatenus admittantur; quia*[d] *subreptione multa proveniunt.*

a. excommucentur *corr. manus antiqua in* excommunicentur. b. concilio *c.* c. memoratus *c.* d. qui a *corr. manus antiqua in* quia.

ut in eodem loco nec futuris temporibus baptisterium construatur nec presbyterum constituas cardinalem. Sed quotiens missas ibi fieri forte maluerit, a dilectione tua presbyterum noverit postulandum, quatenus nihil tale a quolibet alio sacerdote ullatenus praesumatur".

1. ap. Dionysium l. l. 2. ap. Dionysium l. l. 3. ap. Dionysium l. l. 4. cap. 34, ibid.

747 c. Ian. 5 Vicesimum[a] capitulum *de virginibus velatis, si deviaverint*, quid de illis agendum sit. In libro decretorum beati Innocencii papae, capitulo 19[1] adsertum est: *Que Christo spiritaliter nubunt et a sacerdote velantur, si postea vel puplice nupserint vel se clanculo corruperint, non eas admittendas esse ad agendam penitentiam, nisi is, cui se coniunxerat, de mundo recesserit. Si enim de hominibus haec ratio custoditur, quecunque, vivente viro, alteri nupserit, habeatur adultera nec ei agendi poenitentiam licencia concedatur, nisi unus ex his fuerit defunctus; quanto magis de illa tenenda est, que ante inmortali se sponso coniunxerat, et postea humanas ad*[b] *nuptias transmigravit.*

Vicesimum primum capitulum item[c] *de non velatis virginibus, si deviaverint.* In eodem libro, 20 kapitulo[2] continetur: *Hae vero, que, necdum sacro velamine tectae, tamen in proposito virginali semper se simulaverunt permanere, licet velatae non fuerint, si forte nupserint, his agenda aliquanto tempore paenitencia est; quia*[d] *sponsio eius Domino tenebatur. Si enim inter homines solet bone*[e] *fidei contractus nulla racione dissolvi, quanto magis ista pollicitacio, quam cum Deo pepigit, solvi sine vindicta non poterit. Nam si apostolus Paulus, quae a proposito*[f] *viduitatis discesserant, dixit eas habere dampnacionem, quia*[d] *primam fidem irritam fecerunt, quanto pocius virgines, que prioris promissionis fidem frangere sunt conatae? Haec itaque, fratres karissimi, si plena vigilancia fuerint ab omnibus Dei*[g] *sacerdotibus observata, cessabit ambicio, iniquitas superata calcabitur, veritas spiritali fervore fraglabit, pax predicata labiis cum voluntate animi concordabit. Implebitur edictum apostoli, ut unanimes una sentientes permaneamus in Christo, nihil per contentionem*[h] *nobis neque per inanem gloriam vindicantes, non hominibus sed Deo nostro salvatori placentes.*

a. Vicesant *corr. manus antiqua in* Vicesimum. b. ad *addidit manus* 2. c. idem *c.* d. q *c.* e. bene *c.* f. preposito *c.* g. dō *c.* h. contionem *corr. manus* 2 *in* contentionem.

1. ap. Dionysium l. l. p. 345. 2. ap. Dionysium l. l.

Vicesimum secundum capitulum *de his, quae duobus fratribus nupserint vel qui duas*[a] *sorores uxores acceperint.* In concilio Neocesariense, capitulo 2[1] continetur: *Mulier, si duobus fratribus nupserit, abiciatur usque ad mortem; verumtamen in exitu propter misericordiam, si promiserit, quod, facta incolumis, huius coniunccionis vincla dissolvat, fructum poenitentiae consequatur*[b]. *Quod si defecerit mulier aut vir in talibus*[c] *nubtiis, difficilis erit poenitentia*[b] *in vita permanenti.* Nos autem, gracia divina suffragante, iuxta praedecessorum et antecessorum pontificum decreta multo amplius confirmantes dicimus: ut, dum usquae sese generacio cognoverit, iuxta ritum et normam christianitatis et religionem Romanorum non copulentur coniugiis. Sed nec spiritalem[d] commatrem[e] aut filiam, quod absit, quis ducat temerario ausu uxorem. Est namque nefas et perneciosum peccatum[f] coram Deo et angelis eius. In tantum enim grave est, ut nullus sanctorum patrum atque sacrarum sinodorum adsertiones vel etiam in imperialibus legibus quippiam iudicatum[g] sit; sed, terribile Dei iudicium metuentes, siluerunt sententiam dare[2]. 747 c. Ian. 5

Vicesimum tertium capitulum de his, qui homicidium sponte perpetraverunt. In vicesimo primo capitulo Anquirani concilii[3] continetur: *Qui voluntariae homicidium fecerint, poenitentie iugiter se submittant; perfeccionem vero circa vite exitum consequantur.*

Vicesimum quartum capitulum item *de his, qui homicidium*[h] *non sponte perpetraverunt.* In eodem concilio[i], capitulo 22[4] continetur: *De homicidiis non sponte commissis prior quidem definitio post septem annorum*[k] *poenitenciam per-*

a. duos *corr. manus* 2 *in* duas. b. consequatur — poenitentia *in margine inferiore addita sunt manu sec. IX.* c. tallibus *c.* d. *sequitur* ē; *sed manus* 2 *linea subducenda litteram delevit.* e. cum matrem *corr. man.* 2 *in* commatrem. f. peccatorum *c.* g. iudicatus *corr. manus* 2 *in* iudicatum. h. homicidicium *c.* i. canone *c.* k. anniorum *c.*

1. ap. Dionysium l. l. p. 37. 2. Cf. Bonifatii epp. 29, 30, 31, supra Tom. III p. 94—98. 3. ap. Dionysium l. l. p. 33. 4. ap. Dionysium l. l. p. 33.

747 c. Ian. 5 *feccionem consequi praecepit; secunda vero quinquennii tempus explere.*

Vicesimum quintum capitulum *de his, qui adulteras habent uxores, vel si ipsi adulteri conprobantur.* In concilio Anquirano, capitulo 19[1] continetur: *Si cuius uxor adulterata fuerit, vel si ipse adulterium commiserit, septem annorum poenitentia oportet eum perfeccionem consequi secundum pristinos gradus.*

Vicesimum sextum capitulum *de monachis et virginibus propositum non servantibus.* In libro decretorum beati Siricii papae, capitulo 6[2] continetur: *Praeterea monachorum quosdam atque monacharum, abiecto proposito sanctitatis, in tantam*[a] *protestaris demersos esse lasciviam, ut prius clanculo vel sub monasteriorum praetextatu inlicita ac sacrilega se contagione miscuerint; postea vero, in abruptum conscienciae dissperacionem perducti, de inlicitis complexibus libere filios procrearent. Quod et publice leges et eclesiastica iura condempnant. Has igitur inpudicas detestabilesque personas a monasteriorum coetu, aeclesiarumque conventibus eliminandas esse mandamus; quatenus, retrusae in suis ergastulis, tantum facinus*[b] *continua lamentatione deflentes, purificato possint penitudinis igne decoquere*[c]*, ut eis*[d] *vel ad mortem saltim solius misericordiae intuitu per communionis graciam possit indulgentia subvenire.*

Vicesimum septimum capitulum de his, *quae*[e] *non coacte sed voluntate propria virginitatis propositum susceperunt, quod delinquant cum nupserint, etsi nondum fuerint consecratae*[f]. In libro decrętorum[g] beati Leonis papae, capitulo 28[3] continetur: *Puelle, quae non parentum coacte imperio sed spontaneo iudicio virginitatis propositum adque habitum susceperunt, si postea nuptias eligunt, praevaricantur, etiam si nondum eis gracia consecrationis ac-*

a. tantum *c.* b. facimus *c.* c. dequoquere *c.* d. eius *c.* e. qui *c.* f. consecrati *corr. manus 2 in* consecratae. g. secrętorum *c.*

1. ap. Dionysium l. l. 2. ap. Dionysium l. l. p. 317. 3. ap. Dionysium l. l. p. 460.

cessit; cuius utique non fraudarentur[a] *munere, si in proposito permanerent.* 747 c. Ian. 5

Haec itaque, carissimi nobis et dilectissimi, que superius annexa sunt — in quantum miserante Deo valuimus, inter cetera capitula deflorantes tam de sanctorum apostolorum quamque etiam et beatorum patrum sanctiones seu etiam et probabilium beatissimorum pontificum decręta, ut uniuscuiusquę capituli sententia continet[b] in brevi eloquio perstringentes — ad vestri praesulatus notitiam et praedicationem atque populis vobis a Deo creditis aedificacionem mandavimus ministranda atque perficienda; hortantes vestram[c] omnium prudentissimam sanctitatem et procerum dileccionem: omnimoda ratione, non declinantes a dextris aut sinistris sed viam regiam incedentes, stantissime observetis apostolica mandata. Etenim haec, amantissimi nobis, vobis dedimus in mandatis, ut nec nos coram Deo de taciturnitate[d] iudicemur nec vos de neglectu coram eo cogamini reddere racionem; sicut scriptum est in dominico praecepto: *Si non venissem et locutus eis fuissem, peccatum non haberent*[1]. Itaque, nihil excusationis adhibentes, omnium racionabilium animarum salutem procuretis, ita currentes in agone, ut non vituperetur ministerium vestrum[2] sed magis de palma victoriae bravium accipietis[3], iuxta egregii apostoli dictum habentes, bonis actibus inherendo, repositam coronam iustitiae in siderea mansione, quam vobis reddat in illum diem iustus iudex[4], dominus deus et salvator noster Iesus Christus; qui vivit in unitate cum Deo patre omnipotente et Spiritu sancto per omnia secula seculorum. Amen.

a. frudarentur *corr. man.* 2 *in* fraudarentur. b. contina *corr. man.* 2 *in* continet. c. ᷉urm̄ (a superscr.) *c.* d. tatiturnitate *c.*

1. Ioh. 15, 22. 2. 2 Corinth. 6, 3. 3. Cf. 1 Corinth. 9, 25. 4. 2 Timoth. 4, 8.

4. *Stephanus III papa Pippino regi scribit, ad mandata, per Droctegangum abbatem Gemeticensem relata, voce se respondisse. De Iohanne ad se remittendo addit*[a]. (Cod. 10, Cen. 4)

753 Domino excellentissimo filio Pippino regi Stephanus papa.

Presens Droctegangus abbas[1] sacris liminibus protectoris tui beati apostolorum principis Petri et nostris obtutibus praesentatus[2], inposita sibi verba salutationis ac sospitatis a Deo servate atque amantissimae excellentiae tuae, innumeras omnipotenti Deo, laeti effecti[b], gratias referentes egimus; petentes eius divinam misericordiam, licet peccatores et indigni: ut pro sua te protegat pietate, excellentissime fili, et multo amplius atque perfectius suo timore tuum regnum confirmet et amore apostolico; quatenus et presenti vita[c] longevus feliciter fruaris et aeternae beatitudinis consors[d] fructu apostolici[e] amoris effici merearis.

Etenim praesens Droctegangus fidelis tuus missus iuxta quod nobis locutus fuit, congruum per eum tuae sublimissimae bonitati, in ore ponentes, remisimus responsum. Cui et in omnibus credere iubeas, fili; quia in omnibus, quae mandasti, Christo cooperante salutaria tibi mandavimus. Sed imple dominicum dictum, sicut scriptum est: *Quoniam qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*[3]. Ex hoc enim centuplum accipies et vitam possidebis aeternam[f4].

Hoc autem petimus, fili: ut, dum missos tuos ad nos remittere iusseris cum responsis, hunc Iohannem virum religiosum cum eis mittere iubeas. Fidelis enim tuus est et prudenter reportat responsa. Bene vale.

a. *ex cod. f.* 20*v. Lemma:* Item epistola eiusdem pape per Droctegangum abbatem directa, in qua continentur gratiarum actiones et uberrime benedictiones. b. affecti *corr. in* effecti *c.* c. presentem vitam *corr. in* presenti vita *c.* d. consors *addidit manus antiqua, quae etiam sequentem vocem* paradysi *linea subducenda delevit.* e. apostolicis *c.* f. in aeternum *corr. in* aeternam *c.*

1. Gemeticensis. 2. Droctegangum abbatem, Pippini legatum, non ante priorem anni 753 partem Romam venisse, e Stephani III vita perspicuum est. 3. Matth. 10, 22. 4. Matth. 19, 29: „centuplum accipiet et vitam aeternam possidebit“.

5. *Stephanus III papa omnes Francorum duces hortatur, inducant Pippinum regem, ut saluti ecclesiae Romanae consulat*[a]. (Cod. 11, Cen. 5)

Stephanus episcopus servus servorum Dei viris gloriosis 753
nostrisque filiis, omnibus ducibus gentis Francorum.

Laeta gaudet sancta mater ecclaesia in provectu fidelium filiorum. Propterea, etsi corpore absentes spiritu vero presentes, gloriosam prudentiam atque dilectionem vestram, sublimissimi filii, acsi praesentialiter amplectentes in osculo pacis salutamus, in Domino dicentes: *Benefac Domine bonis et rectis corde*[1]. Quoniam fiduciam habemus, quod Deum timetis et protectorem vestrum beatum Petrum principem apostolorum diligitis et cum tota mentis devotione pro eius perficienda utilitate in nostra obsecratione cooperatores et adiutores eritis; pro certo tenentes: quod per certamen, quod in eius sanctam ecclaesiam vestram spiritalem matrem feceritis, ab ipso principe apostolorum vestra dimittantur peccata et pro cepti[b] cursu laboris centuplum accipiatis de manu Dei et vitam possideatis aeternam[2].

Idcirco obsecramus atque coniuramus vestram sapientissimam caritatem per deum et per dominum nostrum Iesum Christum et diem futuri[c] examinis, in quo omnes pro nostris facinoribus erimus reddituri rationem ante tribunal aeterni iudicis: ut nulla interponatur occasio, ut[d] non sitis adiutores ad obtinendum filium nostrum a Deo servatum Pippinum excellentissimum regem pro perficienda utilitate fautoris[e] vestri beati apostolorum principis Petri, sicut per praesentem Droctegangum religiosum abbatem[3] eiusque concomites direximus; quatenus, vobis concurrentibus dum nostra deprecatio fuerit impleta, ipso principe apostolorum cuius causa est largiente, vestra deleantur peccata et, ut habet potestatem a Deo concessam sicut claviger

a. *ex cod. f.* 20*v* — 21. *Lemma:* Item eiusdem epistola papae generalis, in qua continentur gratiarum actiones et uberrimae benedictiones. b. percepturi cursus *corr. manus antiqua in* et pro cepti cursu. c. futurum *corr. in* futuri *c.* d. et *corr. in* ut *c.* e. faistoris *corr. in* fautoris *c.*

1. Ps. 124, 4. 2. Matth. 19, 29. 3. Gemeticensem. Cf. supra p. 32 n. 2.

753 regni caelorum, vobis aperiat ianuam et ad vitam introducat aeternam. Sed adtendite, filii, et ad participandum hoc, quod optavimus, studiosius elaborate; scientes: quod, si quis declinaverit in aliam partem, ab aeternae beatitudinis hereditate erit alienus. Scriptum quippe est: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*[1]. Diligentibus namque Deum omnia cooperantur in bonum[2].

Bene valete.

6. *Stephanus III papa Pippino Carolo Carolomanno regibus nuntiat, Haistolfum Langobardorum regem non servasse iusiurandum, imo novas sibi intulisse plagas. Hortatur, ut civitates et loca promissa sibi restituenda curent*[a].

(Cod. 7, Cen. 6)

755 Dominis excellentissimis filiis Pippino regi et nostro spiritali compatri seu Caralo et Carolomanno idem regibus et utrisque patritiis Romanorum Stephanus papa.

Dum regni vestri nomen inter ceteras gentes erga sinceram fidem beati Petri principis apostolorum lucidissimę fulserit, valde studendum est: ut, unde gloriosiores ceteris gentibus in servitio beati Petri vos omnes christiani asserunt, inde omnipotenti Domino, qui dat salutem regibus[3], pro defensione sanctae suae ecclesiaę perfectius placeatis; ut fidem, quam erga eundem principem apostolorum colitis, adiutricem in omnibus habeatis.

Optaveramus quidem, praecellentissimi filii, amplius protelando nostram locutionem dilatare. Sed quia prae multis ab iniquo Haistolfo rege Longobardorum[b] nobis ingestis tribulationibus cor nostrum nimio atteritur dolore et tedet spiritus noster, ideo a multorum sermonum prolixitate declinavimus; et unum,

a. *ex cod. f.* 14*v* — 16. *Lemma:* VII. Item epistola eiusdem Stephani papae ad domnum Pippinum regem et Carolum vel Carolomannum pro defensione sanctae Dei ecclesiae, quia Haistulfus irritum fecerat pactum, quot cum eis fecerat, et suum sacramentum non conservaverat, sicut pollicitus eisdem regibus fuerat. b. *sequitur rasura quinque fere litterarum.*

1. Matth. 10, 22. 2. Rom. 8, 28. 3. Ps. 143, 10.

quod est necessarium, excellentissimaę christianitati vestrae innotescere studuimus. 755

A Deo protecte[a] nosterque spiritalis compater et vos dulcissimi[b] filii, pro mercede animarum vestrarum, quemammodum misericors Deus noster caelitus victorias vobis largiri dignatus est, iusticiam beati Petri, in quantum potuistis, exigere studuistis et per donacionis paginam restituendum confirmavit bonitas vestra. Nunc autem, sicuti primitus christianitati vestrae de malicia ipsius impii regis ediximus, ecce iam mendatium et iniqua perversitas atque eius periurium declaratum est. Antiquus quippe humani generis ostis diabolus eius perfidum invasit cor; et quae sub vinculo sacramenti adfirmata sunt, irrita facere visus est; nec unius enim palmi terrae spatium beato Petro sanctaeque Dei ecclęsiae rei publice Romanorum reddere passus est. Tanto quippe a die illo, a quo ab invicem separati sumus, nos affligere et in magna ignominia sanctam Dei ecclesiam habere conatus est, quanto non possunt hominum linguae aenarrare; quia etiam et ipsi lapides, si dici potest, tribulationem nostram magno ululatu flerent. Et ita nos visus est affligere, ut denuo in nobis innovata fuisset infirmitas. Nimis namque lugeo, excellentissimi filii, cur, verba nostraę infelicitatis non audientes, mendatium plus quam veritatem credere voluistis; inludentes vos et inridentes. Unde et sine effectu[c] iustitiae beati Petri ad proprium ovile et populum nobis commissum sumus reversi[1].

Omnes denique christiani ita firmiter credebant, quod beatus Petrus princeps apostolorum nunc per vestrum fortissimum brachium suam percepisset iustitiam, dum tam maximum ac praefulgidum miraculum vestris felicissimis temporibus demonstravit talemque vobis inmensam victoriam dominus deus et salvator Iesus Christus per intercessiones sui principis apostolorum pro defensione sanctae suae ecclesiae largiri dignatus est. Sed tamen, boni filii — credentes eidem iniquo regi, quod per vin-

a. protector *c.* b. dulcissimę *corr. in* dulcissimi *c.* c. affectu *corr. in* effectu *c.*

1. exeunte a. 754.

755 culum sacramenti pollicitus[a] est — propria vestra voluntate per donationis paginam beati Petri sanctaeque Dei ecclesiaę rei publice civitates et loca restituenda confirmastis; sed ille, oblitus fidem christianam et Deum qui eum nasci praecepit, irrita, que per sacramentum firmata sunt, facere visus est. Quapropter iniquitas eius in verticem illius descendit[1]; patefactus quippe est laqueus, quem effodit, et in eo pro suo mendatio et periurio incidit.

Coniuro vos, filii excellentissimi et a Deo protecti, per dominum Deum nostrum et sanctam eius gloriosam semperque virginem genetricem Mariam dominam nostram omnesque virtutes caelorum seu per beatum Petrum principem apostolorum, qui vos in reges unxit: ut doleat vobis pro sancta Dei ecclesia; et iuxta donationem, quam eidem protectori vestro domino nostro beato Petro offerre iussistis, omnia reddere et contradere sancte Dei ecclesiaę studeatis; et nequaquam iam ipsius nequissimi regis vel eius iudicum[b] seductuosa verba et illusionis mendatia credatis. Ecce enim patefactum est eius mendatium, ut nequaquam ulterius vires credendi habere possit; sed magis, cognito eius iniquo ingenio et iniqua voluntate, eius fraudantur insidiae. Et quod semel beato Petro polliciti[c] estis et per donationem vestram manu firmatam, pro mercede animae vestrae beato Petro reddere et contradere festinate. Beatus denique Paulus apostolus[2] ait: *Melius est non vovere, quam post votum non reddere.* Etenim nos omnes causas sanctaę Dei ecclęsiaę in vestro gremio commendavimus; et vos reddetis Deo et beato Petro rationem in die tremendi iuditii, quomodo decertaveritis pro causa eiusdem principis apostolorum et restituendis eius civitatibus et locis. Vobis denique multis iam devolutis[d] temporibus hoc bonum opus reservatum est: ut per vos exaltetur ecclesia et suam princeps[e] apostolorum percipiat iustitiam. Nullus meruit de vestris parentibus tale praefulgidum munus, sed vos

a. pollititus *c.* b. cum *in litura.* c. polliuti *c.* d. *sequitur rasura trium fere litterarum.* e. princpes *c.*

1. Ps. 7, 17. 2. immo Ecclesiastes 5, 4.

praeelegit et praescivit Deus ante tempora aeterna; sicuti scrip- 755
tum est: *Quos praescivit et praedistinavit, hos et vocavit; et quos vocavit, illos et iustificavit*[1]. Vocati estis, iustitiam ipsi principi apostolorum sub nimia festinatione facere studete; quia scriptum est: *Fides ex operibus iustificatur*[2].

De omnibus vero tribulationibus nostris, quas passi sumus vel denuo patimur, Deo auxiliante Folradus[3] filius noster[a], vester consiliarius, et eius socii enarrent vobis. Et ita agite de causa beati Petri, ut et in hac vita victores favente Domino existatis et in futuro, intercedente ipso principe apostolorum beato Petro, gaudia possideatis aeterna.

Bene valete, excellentissimi filii.

---

7. *Stephanus III papa Pippinum Carolum Carolomannum reges ad tuendam ecclesiam Romanam instigat. De suo in Franciam itinere, de regum unctione victoriaque, de Haistolfi regis dolis. Wilharium episcopum Nomentanum de suis angustiis expositurum*[b]. (Cod. 9, Cen. 7)

Dominis excellentissimis filiis Pippino regi et nostro spiri- 755
tali[c] compatri seu Carolo et Carlomanno idem regibus et utrisque[d] patriciis Romanorum Stephanus papa.

Providi et sapientissimi Salemonis[e] prophetica ita fertur assertio: *Nomen bonum super misericordiam*[4]. Nomen quippe bonum est: fidem, quam quis pollicitus fuerit, inmaculato corde et pura conscientia[f] custodire et operibus implere. Nomen enim bonum est: totis viribus ad exaltationem sanctae Dei ecclesiae,

a. noster *addidi*. b. *ex cod. f.* 18 – 20*v*. *Lemma:* Item exemplar epistolae eiusdem papae ad dominum[a] Pippinum Carolum et Carlomannum directum, in quo continetur, quod Haistolfus irritum fecerat pactum et iuramentum, quod hisdem regibus de institia sancti Petri pollicitus fuerat cum nimiis adiurationibus; iterum postulans adiutorium opt(in)ere contra eundem. c. spilitali *c.* d. utrique *corr. in* utrisque *c.* e. Salomonis *corr. in* Salemonis *c.* f. constientia *c.*

a. domnuim *c.*

1. Rom. 8, 29. 30. 2. Cf. Iacob. 2, 24. 3. presbyter et abbas S. Dionysii. 4. V. Eccle. 7, 2 sec. versionem antiquam (ap. Sabatier Bibliorum versiones antiquae T. II 363): „Bonum est nomen super oleum bonum“.

755 per quam et salus christianorum existit, decertare. Bonum enim inter omnes gentes de vobis exiit nomen, si operibus fuisset inpletum.

Redemptor namque noster, misericors et multum miserator Dominus, illis propitiator existit, quos omnino tota mentis integritate fideles et defensores sanctae suae ecclaesiae[a] cognoverit. Qualis remuneratio aut merces sub celo exstimanda et coaequanda est ad ea, quae pro defensione Dei ecclaesiae et domus beati Petri est rependenda? Ideo namque excellentissimam et a Deo protectam bonitatem vestram super turbas populorum et multarum gentium isdem rex regum et dominus dominantium salvos vos instituit, ut per vos sancta Dei ecclesia exaltetur.

Potuerat namque alio modo, ut illi placitum fuisset, sanctam suam vindicare ecclesiam et iustitiam sui principis apostolorum exigere; sed quia mentem et conscientiam vestram, a Deo protecte spiritalis compater et dulcissimi filii, probare voluit, ideo nostram infelicitatem ad vos venire praecepit. Tradidimus enim corpus et animam nostram in magnis laboribus in tam spatiosam et longinquam provintiam; valde fisi in vestra fide, per Dei nutum illuc profecti sumus, adflicti in nive et frigore, aestu et aquarum inundatione atque validis fluminibus et atrocissimis montibus seu diversis periculis. Etenim, dum vestris mellifluis obtutibus praesentati sumus, omnes causas principis apostolorum in vestris manibus commendavimus, quoniam quidem, inspirati[b] a Deo, aurem petitionibus nostris adcommodare dignati estis. Et vos beato Petro polliciti estis eius iustitiam exigere et defensionem sanctae Dei ecclesiae procurare; et, ut vere fideles Deo, pura mente pro defensione Dei ecclesiae dimicandum properastis. Sed omnipotens Dominus, qui conterit bella ab initio[1], qui superbos humiliat et humiles exaltat[2], ilico iustitiam beati Petri vestrae[c] bonitati et omnibus christianis demonstravit; et tale praefulgidum miraculum ostendit, quale omnino gloriosum

a. ecclaesuae *c.* b. conspirati *corr. in* inspirati *c.* c. vestri *corr. in* vestrę *c.*

1. Iudith 9, 10. 2. Cf. Matth. 23, 12.

est referendum. Illi enim inimici[a] Dei et[b] sanctae ecclesiae, qui 755
in sua ferocitate confidebant, veloces pedes habentes ad effundendum sanguinem[1], super brevem numerum populi vestri inruerunt; et ita per manum beati Petri omnipotens Dominus victoriam vobis largiri dignatus est, ut illi, qui innumerabiles existebant, a paucis hominibus fuissent interemti. Et humiliati sunt ipsi inimici beati Petri usque ad terram; et ita timorem et tremorem in illis Dominus inmisit per intercessiones beati Petri, ut ad nihilum devenirent. Non enim gladius hominis sed gladius Dei est, qui pugnat.

Videns namque suam deceptionem iniquus Haistolfus rex, cum suis Deo destructis iudicibus per blandos sermones et suasiones atque sacramenta inluserunt prudentiam vestram; et plus illis falsa dicentibus quam nobis veritatem asserentibus credidistis.

Magno namque dolore et tristitia, excellentissimi filii, cor nostrum repletum est, quur minime bonitas vestra nos audire renuit. Omnia denique, quae per Dei iussionem vobis locuti sumus, veraciter[c] ediximus; et iam patefacta sunt, ut facta ipsa demonstrant. Etenim, sicut primitus christianitati vestrae ediximus, iniquus Haistolfus rex, ingresso in eius perfido corde[d] diabolo, omnia, quae per sacramentum beato Petro per vestros missos restituenda promisit, irrita fecit; et nec unius palmi terrae spatium beato Petro reddere voluit. A die enim illo, a quo a[e] melliflua bonitate vestra separati sumus, tantum nos affligere et tribulare nisus est, quantum non potest os hominis enarrare. In magna namque despectione sanctam Dei ecclesiam et nostram humilitatem et[f] vestros missos habere visus est; quia[g] etiam et ad nostram propriam animam auferendam mala eius inperatio et summissio facta est. Quid multa dicimus? tantum nos tribulavit, quia[g] etiam, si dici potest, et ipsi lapides pro nobis

a. inimiti *c.* b. et *addidit antiqua manus corrigens.* c. veratiter *c.* d. corda *corr. in* corde *c.* e. a *addidi. Cf. supra p. 35.* f. et *addidit manus antiqua.* g. qui *corr. in* quia *c.*

1. Ps. 13, 3: „veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem“.

755 fierent. Tamen omnia vester consiliarius Folradus[a] presbiter et abbas[1] una cum suis sociis, si Deum prae oculis habent, omnia vobis enarrare possunt. Non enim quia iam reddere, ut constituit, propria beati Petri voluit, sed etiam scamaras[2] atque depredationes seu devastationes[b] in civitatibus et locis beati Petri facere sua imperatione nec cessavit nec cessat. Oblitus quippe est Deum qui fecit eum[3], et fidem christianam transgressus est. Quomodo ulterius credendus est sive ipse sive eius consentanei, qui in tanta Dei mysterii sacramenta praebuerunt et noluerunt observare? Vere enim omnia vobis prediximus de eiusdem impii regis mendatio et falsitate; et quemadmodum diximus, manifestata sunt vobis, et periurium eius declaratum est.

Pro quo peto vos, excellentissimi et a Deo protecti filii, et nimis obsecro: doleat vobis pro sancta Dei ecclaesia et beati Petri causa et, quae per donationem beato Petro offerendum promisistis, ei possidendum contradere debeatis. Mementote et semper in vestris precordiis firmiter tenete, quod promisistis eidem ianitori regni caelorum. Nulla iam vos seducat suasio aut acceptilatio. Considerate, quam[c] fortis existit exactor isdem princeps apostolorum beatus Petrus; videte omnia. Quae ei promisistis et per donationem offerendum polliciti estis, contradere festinate; ut non lugeatis in aeternum et condemnati maneatis in futura vita. Vita enim huius mundi brevis est et sicut umbra declinatur[4] et sicut vestimentum inveterescit[5]; illam vitam aeternam, quam vobis beatus Petrus pro sua causa et iustitia promisit, tota mente et integro corde quaerite. Decertate bonum opus, quod cepistis, inplere; et quae per donationem manu vestra confirmastis, protectori vestro beato Petro reddere festinate; quoniam scriptum est: *Melius non vovere, quam vovere et votum non reddere*[6]. Sciatis enim, quia sicut cyrographum vestram

a. Fulradus *corr. in* Folradus *c.* b. devastatione *corr. in* devastationes *c.* c. qualis *corr. in* quam *c.*

1. S. Dionysii. 2. expilationes. 3. Cf. Isai. 51, 13. 4. Cf. Ps. 101, 12. 5. Cf. Ps. 101, 27. 6. Cf. Eccle. 5, 4.

donationem princeps apostolorum firmiter tenet. Et necesse est, ut ipsum cyrographum expleatis; ne, dum iustus iudex ad iudicandum vivos et mortuos et saeculum per ignem advenerit in futuro iudicio, isdem princeps apostolorum idem[a] cyrographum demonstrans[b] nullam habere firmitatem, districtas cum eo faciatis rationes. Sed magis explete, quod promisistis, velociter; ut iterum vitam aeternam, quam ab ipso principe apostolorum promissam habetis, possideatis. 755

Coniuro vos, excellentissimi et a Deo protecti filii, per Deum omnipotentem, qui continet omnia sua potentia, et per sanctam eius matrem gloriosam semper virginem Mariam dominam nostram atque per virtutes caelorum et per beatos principes apostolorum Petrum et Paulum atque per tremendum iudicii diem, ubi omnes constricte ad reddendum de nostris factis rationem adsistere habemus, ubi nulla est ingeniosa excusatio: velociter et sine ullo inpedimento, quod beato Petro promisistis per donationem vestram, civitates et loca atque omnes obsides et captivos beato Petro reddite, vel omnia quae ipsa donatio continet.

Quia ideo vos Dominus per humilitatem meam, mediante beato Petro, unxit in reges[1], ut per vos sancta sua exaltetur ecclesia, et princeps apostolorum suam suscipiat iustitiam. Magnum desiderium in nostro corde habebamus, vestros mellifluos vultus aspicere et de vestrae iocunditatis laetitia gaudere, iuxta quod sapientissimus ait Salomon: *Per vicos et plateas quesivi, quem dilexit anima mea*[2]. Et certe, quos dileximus, per Dei iussionem invenimus; et quos desideravimus, amplexi sumus. Pro quo diffusa est super vos benedictio et gratia beati Petri, ut Domini fuit provisio. Quod nullus de vestris parentibus meruit suscipere, vos suscepistis. Et princeps apostolorum, prae ceteris regibus et gentibus vos suos peculiares faciens, omnes suas causas vobis commisit; et vos reddetis rationem Deo, quomodo pro iustitia ipsius ianitoris regni caelorum decertaveritis.

a. eundem *corr. manus antiqua in* idem. b. demontrans *c.*

1. d. 28 Iulii a. 754. 2. Cant. 3, 2.

755 Cunctus[a] namque noster populus rei puplice Romanorum magno dolore et amarissimis lacrimis una nobiscum tribulantur pro eo, dum ad[b] tam longam et spaciosam provintiam properavimus et pre fatigio[c] validi iteneris caro nostra minuata est, si[d] vacui et infructuosi[e] sine effectu[f] iustitiae reversi sumus. Attamen nos infelices iuxta dominicum preceptum egimus, et omnes causas beati Petri vobis commendavimus. Et vobis pertinet hoc sive ad peccatum sive ad mercedem.

Nam et omnes gentes ita firmiter tenebant, quod beatus Petrus nunc per vestrum fortissimum brachium suam percepisset iustitiam. Et factum non est; et in magno cordis stupore de hoc omnes evenerunt. Sed peto excellentissimam bonitatem vestram, ut vituperium hoc a gentibus abstollatis. Et omnibus fidem vestram operibus ostendite, eo quod: *Fides*[g], ut scriptum est, *sine operibus otiosa est*[1]. Cum qua enim fiducia aut fortitudine ad expugnandos inimicos vestros pergere potestis, si iustitiam beati Petri, ut promisistis et initiastis, non perficeritis[h]? Si enim, ut cepistis, operibus adimpleveritis, eritis semper victores et fortissimi super vestros inimicos, et presens[i] regnum per multorum annorum spacia cum bona possidebitis fama et vitam percipietis aeternam.

Tantopere[k] direximus ad vos Wilharium[2] reverentissimum et sanctissimum fratrem et coepiscopum nostrum et fidelem, qui vobis omnia de nostra tribulatione et causa beati Petri proprio ore enarret. Cui in omnibus credere iubeatis, et exitum bonum in causa beati Petri ponere.

Incolomem excellentiam vestram gratia superna custodiat. Bene valete.

a. cuntus *corr. in* cunctus *c.* b. ad *addidit manus antiqua.* c. phatigio *corr. in* fatigio *c.* d. sic *corr. in* si *c.* e. infuructuosi *c.* f. affectu *corr. in* effectu *c.* g. *sequitur* xsta; *sed est deletum linea subducta.* h. perficentis *corr. in* perficeritis *c.* i. presentem *corr. in* presens *c.* k. Tamen opere *corr. manus antiqua in* Tantopere.

1. Cf. Iacob. 2, 20. 2. ep. Nomentanum.

8. *Stephanus III papa et Romani Pippino Carolo Carolomanno regibus et omnibus Francis de angustiis suis significant. Urbem obsideri, agrum Romanum pervastari, Narniam occupatam esse. Auxilium quam celerrimum petunt. Legatos suos commendant*[a]. (Cod. 4, Cen. 8)

Dominis excellentissimis Pippino Carolo et Carlomanno tribus regibus et nostris Romanorum patriciis, seu omnibus episcopis abbatibus presbiteris et monachis, seu gloriosis ducibus comitibus vel cuncto exercitui regni et provincie Francorum Stephanus papa et omnes episcopi presbiteri diacones seu duces cartularii comites tribunentes et universus populus et exercitus Romanorum, omnes in affliccione positi. 756 c. Febr. 24

Quanta luctuosa et amarissima tristicia circumvallati quantaque anxsietate adque angustia coartati simus, et quantas, crebrescentibus continuis malis, oculi nostri destillantes profundant lacrimas, credimus quod et ipsa omnium elementorum figmenta enarrent. Quis enim harum tribulacionum conspector non lugeat? quis auditor harum nobis inhaerencium calamitatum non ululet? Quam ob rem cuiusdam bonae mulieris Susannae pudiciciae verba loquimur: *Angustiae nobis undique, et quid agamus ignoramus*[1]. O christianissimi, ecce venerunt nobis dies angustiae; presto sunt dies fletus et amaritudinis. Quoniam, quod timebamus a Langobardis, evenit. Pro quo — angustiati afflicti et ex omni circumquaque parte circumdati ab eorum nequissimo Haistulffo rege et gente — cum propheta Dominum deprecantes dicimus: *Adiuva nos, Deus salutaris noster, et propter honorem nominis tui libera nos*[2]; et rursum: *Apprehende arma et scutum, et exsurge in adiutorium nostrum*[3].

a. *ex cod. f. 4v—6v. Lemma:* Item epistola eiusdem papae ad domnum regem Pippinum et Carolum vel Carlomannum seu omni generalitati, in nomine ipsius papae conprehensa pro desolatione et devastatione sanctae Dei ecclesiae et urbis Romane, per Georgium episcopum et Warneharium abbatem seu Thomaricum et Comitam missis ipsius apostolici directa, postulando nimis cum adiurationibus adiutorium contra Langobardos.

1. Cf. Daniel. 13, 22. 2. Ps. 78, 9. 3. Ps. 34, 2.

756 c. Febr. 24 Ecce enim cognitum habetis: quomodo pacis foedera a praefato impio Haistulffo rege et eius gente dissipata sunt; et qualiter nihil, iuxta ut constituit et per vinculum sacramenti confirmatum est, valuimus inpetrare; etiam quia nullum augmentum
Ian. 1 nobis factum est. Et iam in ipsis Ianuariarum Kalendis[1] cunctus eiusdem Langobardorum exercitus Tusciae partibus in hanc civitatem Romanam coniunxerunt, et resederunt iuxta portam beati Petri adque beati Pancratii et Portuense. Ipse vero Aistulfus cum aliis exercitibus coniunxit ex alia parte, et sua fixit tentoria iuxta portam Salariam et caeteras portas. Et sepius nobis direxit: *Aperite mihi portam Salariam et ingrediar civitatem; et tradite mihi pontificem vestrum et pacienciam ago in vobis. Minus ne, muros devertens, uno vos gladio interficiam; et videam, quis vos eruere possit de manibus meis.* Sed et Beneventani omnes generaliter in hanc Romanam urbem coniungentes, resederunt iuxta portam beati Iohannis et beati Pauli apostoli et caeteras istius Romane urbis portas.

Ian. 1 - Fbr. 24 Et omnia extra urbem praedia longe lateque ferro et igne consumserunt; domos omnes conburentes pene ad fundamenta destruxerunt. Ecclesias Dei incenderunt; et sacratissimas sanctorum imagines in ignem proicientes, suis gladiis consumserunt; et munera sancta, id est corpus domini nostri Iesu Christi, in suis contaminatis vasibus, quos folles vocant, miserunt et, cibo carnium copioso saturati, comedebant eadem munera; velamina altarium ecclesiarum Dei vel omnia ornamenta, quod nimis crudele edici est, auferentes in propriis utilitatibus usi sunt. Servos Dei monachos, qui pro officio divino in monasteriis morabantur, plagis maximis tundentes[a], plures laniaverunt. Et sanctimoniales feminas adque reclusas, quae ab infancia et pubertatis tempore pro Dei amore sese clausurae tradiderunt, abstrahentes cum magna crudelitate polluerunt; qui eciam et in ipsa contaminacione alias interficere visi sunt. Et omnes domos cultas beati Petri igni combusserunt[b]; vel omnium Romanorum, ut dictum

a. tuncdentes *corr. in* tundentes *c.* b. comburerunt *corr. in* combusserunt *c.*

1. anni 756, v. supra p. 11.

est, domos comburentes, extra urbem funditus destruxerunt. Et 756
omnia peculia[1] abstulerunt. Et vineas fere ad radices abscide- Ian.1-Fbr.24
runt; et messes conterentes omnino devoraverunt. Et neque domui sancte nostrae ecclesie, neque cuiquam in hac Romana urbe commoranti spes remansit vivendi; quia, ut dictum est, omnia ferro et igne consumserunt et multos homines interfecerunt. Sed et copiosam familiam beati Petri vel omnium Romanorum, tam viros quamque mulieres, iugulaverunt; et alios plures captivos duxerunt. Nam et innocentes infantulos a mamillis matrum suarum separantes, ipsasque vi polluentes, interemerunt ipsi impii Langobardi. Et tanta mala in hac Romana provincia fecerunt, quanta certe nęc paganae gentes aliquando perpetratae sunt. Quia etiam, si dici potest, et ipsi lapides, nostras dessolaciones[a] videntes, ululant nobiscum.

Quinquaginta et quinque dies[2] hanc afflictam Romanam civitatem obsidentes et ex omni parte circumdantes, proelia fortissima die noctuque cum pessimo furore incessanter cum diversis machinis et adinventionibus plurimis contra nos ad muros istius Romanae urbis commiserunt; ut, suae potestati, quod avertat divinitas, subiciens, omnes uno gladio isdem inimicus Haistulfus interimeret. Ita enim, cum magno furore exprobrantes nos, adserebant: *Ecce circumdati estis a nobis; veniant nunc Franci et eruant vos de manibus nostris.*

Nam et civitatem Narniensem, quam beato Petro concessistis, absstulerunt; et aliquas civitates nostras comprehenderunt. Quam ob rem constricti, vix potuimus marino in itinere praesentes nostras litteras et missum ad vestram christianitatem dirigere. Quas et cum magnis lacrimis scripsimus.

Unde, dilectissimi nobis, peto vos et, tanquam praesencia- c. Febr. 24
liter adsistens cum divinis misteriis, coniuro coram Deo vivo et vero et eius principe apostolorum beato Petro: ut sub nimia festinacione nobis subveniatis, ne pereamus; quoniam[b] post Deum in manibus vestris nostras omnium Romanorum commisimus ani-

a. dissoluciones *corr. in* dessolaciones *c.* b. Qūm *c.*

1. pecora. 2. a 1 m. Ianuarii ad d. 24 m. Februarii.

756 mas. Non nos derelinquatis; sic non vos derelinquat Dominus
c. Febr. 24 in omnibus vestris actibus. Non nos spernatis; sic non vos spernat Dominus eius invocantes potenciam. Ne elongetis a nobis auxilium vestrum[1], christianissimi; sic[a] non elonget Dominus auxilium suum a vobis, dum ingressi fueritis contra inimicos vestros ad dimicandum. Adiuvate nos sub magna velocitate, dilectissimi nobis; occurrite, occurrite et subvenite nobis, antequam gladius inimicorum ad cor nostrum pertingat. Peto vos, ne pereamus; ne quando dicant gentes, quae in cuncto orbe terrarum sunt: *Ubi est fiducia Romanorum, quam post Deum in regibus et in gente Francorum habebant?* Non nos permittatis perire et ne differatis nobis ad solaciandum[b] nec a vestro separetis auxilio; sic non sitis alieni a regno Dei, et ne obduret Dominus aurem suam vestras ad exaudiendas preces, et ne avertat faciem suam a vobis in illo futuro examinis die, quando cum beato Petro et caeteris suis apostolis ad iudicandum sederit omnem ordinem omnemque potestatem humanam et saeculum per ignem, dicaturque vobis, quod avertat divinitas: *Nescio vos*[2], *quia non auxiliati*[c] *estis Dei aeclesiae, defendere minime procurastis eius periclitantem peculiarem populum.*

Audite nos, dilectissimi, audite nos et subvenite nobis. Ecce adest tempus salvandi nos; salvate nos, antequam pereamus, christianissimi. Omnes etenim gentes, quae circumquaque sunt positae et ad vestram per Dei potentiam Francorum fortissimam gentem refugium fecerunt, salve factae sunt; et si omnibus auxilium inpertire non differetis, multo amplius sanctam Dei aeclesiam et eius populum de inimicorum inpugnatione debueratis liberare. Considerate, dilectissimi, et omnino percogitate — per Deum vivum vos coniuro —: quoniam post Deum et eius principem apostolorum nostrae omnium Romanorum animae in vobis pendent; et si perire, quod absit, contigerit, pensate, in cuius animam respiciat id[d] peccatum. Certe enim omnino

a. si *c.* b. *inter* solaci *et* andum *est rasura in cod.* c. ausiliati *corr. in* auxiliati *c.* d. id *in litura.*

1. Cf. Ps. 21, 20. 2. Matth. 25, 12.

credite, christianissimi[a], si nobis aliqua evenerit calamitas, quod 756
absit, periclitandi, vos de omnibus ante tribunal Dei eritis red- c. Febr. 24
dituri rationęm. Sed magis, dilectissimi nobis, agite et liberate post Deum in vobis confugientes; ut, fructum bonum afferentes, in futuri examinis die mereatis[b] dicere: *Domine noster, princeps apostolorum beatę Petrę, ecce nos clientuli tui, cursum consummantes, fidem servantes*[1] *tibi, aeclesiam Dei a superna clementia tibi commendatam de manibus persequentium defendentes liberavimus; et adsistentes inmaculati coram tę, offerimus tibi pueros, quos nobis commisisti de manibus inimicorum eruendos, sospites atque incolomes existentes.* Tunc et in praesenti vita et in futuro seculo caelestium praemiorum gaudia adipisci mereamini; audientes paternam desiderabilemque vocem illam inquientis: *Venite, benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis praeparatum est ab origine mundi*[2].

Opere namque direximus praesentem nostrum missum Georgium[3], reverentissimum ac sanctissimum[c] fratrem et coepiscopum nostrum; atque Warneharium religiosum abbatem missum vestrum; seu Thomaricum et Comitam, magnificos idem[d] nostros missos. Qui vobis omnes nostros dolores et cunctas dessolationes[e], quas a Longabardorum gente et eorum protervo rege passi sumus et assidue patimur, vobis subtili enarratione, quae propriis oculis viderunt, viva voce edicere debeant. Quibus et in omnibus tamquam nobismet ipsis credere iubeatis et nostram liberationem nimis festinanter procurare.

Et coniuro vos per Deum vivum et verum, ut nequaquam amplius discredatis nostras afflictiones et neglectum[f] ponatis ad liberandum nos; ne, quod absit, si amplius credere distuleritis et neglexeritis nos eruendum, nobis, quod avertat divinitas, irruat[g] calamitas pereundi et vobis pertineat ad magnum detrimentum et peccatum atque condempnationem in praesenti et

a. christianisimi *c.* b. *manus posterior corr. in* mereamini. c. scīsimum *c.* d. idem *corr. in* eosdem *cod.* e. dissolationes *corr. in* dessolationes *c.* f. neclectum *corr. in* neglectum *c.* g. irriat *c.*

1. 2 Timoth. 4, 7. 2. Cf. Matth. 25, 34. 3. ep. Ostiensem.

756 aeterna vita. Quia vobis animas omnium nostrorum Romanorum
c. Febr. 24 tradidimus. Sed magis magisque vos, ut prelatum est, coniuramus per Patrem et Filium et sanctum Spiritum, Trinitatem indivisam, ut nostras tribulationes et angustias atque dolores et desolationes credere sine qualibet ambiguitate iubeatis. Et nobis propter Deum subvenire et ad liberandum nos de manibus Longabardorum inimicorum nostrorum nimis festinanter occurrere iubeatis; ut, fructum afferentes copiosum, vita aeterna[a], intercedente beato Petro, perfrui mereamini.

Praefatus vero Warneharius pro amore beati Petri, loricam se induens, per muros istius afflicte Romane civitatis vigilabat die noctuque; et pro nostra omnium Romanorum defensione atque liberatione, ut bonus adleta Christi, decertavit totis suis cum viribus.

Bene valetę.

---

9. *Stephanus III papa Pippino regi Francorum de angustiis suis significat. Urbem obsideri, agrum Romanum pervastari, Narniam occupatam esse. Auxilium quam celerrimum petit. Legatos suos commendat*[b]. (Cod. 6, Cen. 9)

756 Domino excellentissimo filio et nostro spiritali compatri
c. Febr. 24 Pippino regi Francorum et patricio Romanorum Stephanus papa.

Quanta luctuosa et amarissima tristicia circumvallati quantaque anxiętate atque angustia coartati simus, et quantas, crebrescentibus continuis malis, oculi nostri distillantes profundant lacrimas, credimus, quod et ipsa omnium elementorum figmenta enarrent[c]. Quis enim harum tribulacionum conspector non lugeat? quis auditor harum nobis inhaerentium calamitatum non ululet? Quam ob rem cuiusdam bonae mulieris Susannae pudicitiae loquimur[d] verba: *Angustiae nobis undique, et quid aga-*

a. vitam aeternam *corr. in* vita aeterna *cod.* b. *ex cod. f.* 11v – 14v. *Lemma:* VI. Item epistola Stephani papae, ad domnum Pippinum regem specialiter et singillatim pro defensione sanctae Dei ecclesiae directa, ut in superiore eiusdem continetur epistola, atiutorium volens obtinere contra Langobardos, per Georgium et Warneharium similiter directa. c. enarręnt *c.* d. loqumur *c.*

mus, ignoramus[1]. O filii excellentissimi et christianissimi, 756
utinam omnipotens rerum creator Dominus, quemadmodum priscis c. Febr. 24
temporibus Abbacuc illum prophętam ad refocilandum et consolandum Danihelem praecipuum prophetam, abstrusum in leonum lacu[a], repentino volatu adportatum ab angelo miserat[2], ita et nunc, si dici potest, eius misericordissima longanimitas a Deo servatam excellenciam tuam vel unius horae momento praesentem fecisset ad contemplandas erumnosas et lugubres angustias et tribulationes, quas inaniter a Langobardorum gente et eorum nefando rege patimur. Ecce venerunt nobis dies angustiae; presto sunt dies fletus et amaritudinis, dies anxietatis et gemitus doloris; quoniam quod timebamus evenit et quod verebamur accidit. Pro quo — angustiati afflicti atque oppressi et ex omni circumquaque parte circumdati ab eorum nequissimo Haistulfo rege et eorum Langobardorum gente — profusis lacrimis percussoque pectore, cum propheta Dominum deprecantes dicimus: *Adiuva nos, Deus salutaris noster, et propter honorem nominis tui libera nos*[3]; et rursum: *Adprehende arma et scutum, et exsurge in adiutorium nostrum*[4]; *Domine, iudica nocentes nos, et expugna inpugnantes nos*[5]. Etenim, sepius bonitati tuae innotescere videmur[b] licet nostras tribulationes, tamen et nunc luctu et gemitu referendum malorum pericula, quae ab eodem protervo rege passi sumus et eius gente Langobardorum, magno cogente periculo, significandum studuimus.

Iam credimus, christianissime et excellentissime fili et spiritalis compater, omnia nobilitati tuae esse cognita: quomodo pacis federa ab impio Haistulfo rege et eius gente dissipata sunt[c]; et qualiter nihil, iuxta ut constituit et per vinculum sacramenti confirmatum est, valuimus[d] impetrare; etiam quia nullum augmentum nobis factum est, potius autem post desolationem totius nostrae provintiae et plura homicidia ab eadem gente per-

a. lacum *corr. in* lacu *c.* b. videamur *corr. in* videmur *c.* c. est *c.*
d. valuimus impetrare *in litura.*

1. Cf. Daniel. 13, 22. 2. V. Daniel. 14, 32 squ. 3. Ps. 78, 9.
4. Ps. 34, 2. 5. Ps. 34, 1.

756 c. Febr. 24 petrata. Et iam, quod cum magnis lacrimis et dolore cordis dicimus, agnoscas, excellentissime fili et spiritalis compater. Ian. 1 In ipsis Ianuariarum Kalendis cunctus eiusdem Haistulfi Langobardorum regis exercitus Tusciae partibus in hanc civitatem Romanam coniunxerunt, et resederunt iuxta portam beati Petri apostoli atque portam sancti Pancratii et Portuensi. Ipse vero Haistulfus cum aliis exercitibus coniunxit ex alia parte, et sua fixit tentoria iuxta portam Salariam et ceteras portas. Et nobis direxit dicens: *Aperite mihi portam Salariam et ingrediar civitatem; et tradite mihi pontificem vestrum et habeo in vobis compassionem. Alioquin, muros subvertens, uno vos gladio interficiam; et videam, quis vos eruere possit a manibus meis.* Sed et Beneventani omnes generaliter in hanc Romanam urbem coniungentes, resederunt iuxta portam beati Iohannis baptiste seu et iuxta portam beati Pauli apostoli vel ceteras istius Romanae civitatis portas.

Ian.1-Fbr.24 Et omnia extra urbem praedia longe lateque ferro et igne consumpserunt; domos omnes conburentes poene ad fundamenta destruxerunt. Ecclesias Dei incenderunt; et sacratissimas sanctorum imagines in ignem proitientes, suis gladiis consumpserunt; et munera sancta, id est corpus domini nostri Iesu Christi, in suis contaminatis vasibus, quos folles vocant, miserunt et, cibo carnium copioso saturati, comedebant eadem munera; velamina altarium ecclesiarum Dei vel omnia ornamenta, quod nimis crudele edici[a] est, auferentes in propriis utilitatibus usi sunt. Servos Dei monachos, qui pro offitio divino in monasteriis morabantur, plagis maximis tundentes, plures laniaverunt. Et sanctaemuniales feminas atque reclusas, quae ab infancia et pubertatis tempore pro Dei amore sese clausure tradiderunt, abstrahentes cum magna crudelitate polluerunt; qui etiam et in ipsa contaminatione alias interficere visi sunt. Et omnes domos cultas beati Petri igni conbusserunt; vel omnium Romanorum, ut dictum est, domos conburentes extra urbem funditus destruxerunt. Et omnia peculia abstulerunt. Et vineas fere ad radices

a. etdici *c*.

abeciderunt; et messes conterentes omnino devoraverunt. Et neque domui sancte nostrae ecclaesiae, neque cuiquam in hac Romana urbe conmoranti spes vivendi remansit; quia, ut dictum est, omnia ferro et igne consumpserunt et multos interfecerunt. Sed et copiosam familiam beati Petri vel omnium Romanorum, tam viros quamque mulieres, iugulaverunt; et alios plures captivos duxerunt. Nam et innocentes infantulos a mamillis matrum suarum separantes, ipsasque vi[a] polluentes, interemerunt ipsi impii Langobardi[b]. Et tanta mala in hac Romana provintia fecerunt, quanta certe nec pagane gentes aliquando perpetratae sunt. Quia etiam, si dici potest, et ipsi lapides, nostras dissolationes videntes, ululant nobiscum. 756 Ian. 1-Fbr. 24

Quinquaginta et quinque dies hanc adflictam Romanam civitatem obsidentes et ex omni parte circumdantes, prelia fortissima die noctuque cum pessimo furore incessantes contra nos ad muros istius Romane urbis commiserunt et non deficiebant inpugnantes nos; ut, suae potestati, quod avertat divinitas, subiciens, omnes uno gladio isdem iniquus Haistulfus interimeret. Ita enim, cum magno furore exprobantes nos, adserebant: *Ecce circumdati estis a nobis et non effugietis manus nostras; veniant nunc Franci et eruant vos de manibus nostris.*

Nam et civitatem Narniensem, quam beato Petro tua christianitas concessit, abstulerunt; seu et aliquas civitates nostras conprehenderunt. Quam ob rem afflicti, vix potuimus per maxi- c. Febr. 24
mum ingenium marino itinere praesentes nostras litteras et missos ad tuam excellentissimam christianitatem dirigere. Quas et cum magnis lacrimis scripsimus. Qui etiam — probante veritate dicimus — per unam quamque litteram lacrimas sanguine[c] mixtas exprimeremus. Et utinam praestaret nobis Dominus, ut, qua hora nostram luctuosam adhortationem legeris, in praesentia tua per omnem litteram sanguine plena lacrima flueret.

Unde, fili excellentissime et spiritalis compater, peto te et, tamquam praesentialiter adsistens provolutus terrae et tuis vestigiis me prosternens cum divinis mysteriis, coniuro coram Deo

a. vin c. b. Longabardi corr. in Langobardi cod. c. sanquine c.

756 c. Febr. 24 vivo et vero et eius principe apostolorum beato Petro: ut sub nimia festinatione et maxima celeritate nobis subvenias, ne pereamus; quoniam post Deum in tuis manibus nostras[a] omnium Romanorum commisimus animas. Non nos derelinquas; sic non te derelinquat Dominus in omnibus tuis actibus et operibus. Non nos spernas; sic non te spernat Dominus invocantem eius potentiam. Ne elonges a nobis auxilium tuum, christianissimę fili et spiritalis compater; sic non elonget Dominus auxilium suum et proteccionem a te tuaque gente, dum ingressi fueritis contra inimicos vestros ad dimicandum. Adiuva nos et auxiliare nostri sub magna velocitate[b], christianissimaę; sic adiutorium sumas a Deo omnipotente, qui te unxit super turbas populorum per institutionem beati Petri in regem. Occurre, occurre fili, occurre et subveni nobis, antequam gladius inimicorum ad cor nostrum pertingat. Peto te, ne pereamus; ne quando dicant gentes, quae in cuncto orbe terrarum sunt: *Ubi est fidutia Romanorum, quam post Deum in regibus et gente Francorum habebant?* Non nos patiaris perire, et ne moreris aut differre nobis solatiandum, nec a tuo nos separes[c] auxilio; sic non sis alienus a regno Dei et vi separatus a tua dulcissima coniuge excellentissima regina, spiritali nostra commatre. Non nos amplius anxiari et periclitari atque in luctu et fletu perseverare permittas, bone excellentissime fili et spiritalis compater; sic non superveniat[d] tibi luctus de tuis meisque dulcissimis filiis domno Caralo et Carolomanno excellentissimis regibus et patritiis. Non obdures aurem tuam ad audiendum nos et ne avertas faciem tuam a nobis, ne confundamur in nostris petitionibus et ne periclitemur usque in finem; sic non obduret Dominus aurem suam tuas ad exaudiendum preces, et ne avertat faciem suam a te in illo futuri examinis die, quando cum beato Petro et ceteris suis apostolis ad iudicandum sederit omnem ordinem omnem sexum omnemque potestatem humanam et saeculum per ignem, dicaturque tibi, quod avertat divinitas: *Nescio te*[1], *quia non*

a. nrā *c.* b. velotitate *c.* c. separares *c.* d. supeniat *c.*

1. Matth. 25, 12.

auxiliatus es Dei aecclesiae et defendere minime procurasti eius peculiarem populum periclitantem. 756 c. Febr. 24

Audi me, fili, audi me et subveni nobis. Ecce adest tempus salvandi nos; salva nos, antequam pereamus, christianissime rex. Quid enim melius quidve elegantius aut egregius, quam periclitantes et in angustia positos salvare? Scriptum quippe est: *Qui salvat, tamquam qui edificat.* Hinc enim praecipuus Esaias propheta ait: *Subvenite oppresso*[1]. Omnes enim gentes, quae circumquaque sunt positae et ad vestram per Dei potentiam Francorum fortissimam gentem refugium fecerunt, salvae factae sunt; et si omnibus gentibus auxilium inpertire non differtis et per vos salve efficiuntur, multo amplius sanctam Dei ecclesiam et eius populum de inimicorum inpugnatione debueratis liberare. O quanta fidutia in nostro inerat corde, quando vestrum mellifluum conspicere meruimus vultum et in caritatis vinculo sumus alligati atque connexi, in magna quiete et securitate nos permanere. Sed dum a vobis sperabamus lucem videre, eruperunt tenebrae et facta sunt novissima nostra peiora prioribus. Considera fili, considera et omnino percogita — per Deum vivum te coniuro —: quoniam et nostra et omnis Romanorum populi animae post Deum et eius principem apostolorum in tuam a Deo protectam excellentiam et gentem Francorum a Deo tibi commissae pendent; quia, ut praelatum est, in tuo gremio nostras commisimus animas; et si perire, quod absit et avertat divina clementia, nos contigerit, perpende obsecro et omni modo perpensa, in cuius anima respiciat ad peccatum. Certe enim omnino crede, christianissime, si nobis aliqua evenerit calamitas, quod absit, periclitandi, tu de omnibus, a Deo protecte[a] dilectissime nobis, ante tribunal Dei eris redditurus rationem cum omnibus tuis iudicibus; quoniam, ut praelatum[b] est, nulli alio nisi tantummodo tuae amantissimae excellentiae vel dulcissimis filiis et cuncte genti Francorum — per Dei praeceptionem et beati Petri — sanctam Dei ecclęsiam et

a. adōprotē tē *c.* b. praelatatum *c.*

1. Isai. 1, 17.

756 c. Febr. 24 nostrum Romanorum rei publicae[a] populum comisimus protegendum.

Ecce omnes[b] nostros dolores et anxietates atque angustias tuae a Deo protectae bonitati innotuimus. Tu vero, excellentissime fili et spiritalis compater, age et libera post Deum in te confugientes; ut, fructum bonum afferens, in futuri examinis die mereatis dicere: *Domine meus, princeps apostolorum beate Petre, ecce ego clientulus tuus, cursum consummans, fidem tibi servans*[c][1], *ecclęsiam Dei a superna clęmentia tibi commendatam de manibus persequentium defendens liberavi; et adsistens inmaculatus coram te, offero tibi pueros, quos mihi commisisti de manibus inimicorum eruendos, sospes atque incolumes exsistentes.* Tunc, et in praęsenti vita regni gubernacula tenens etiam et in futuro saeculo cum Christo regnans, caelestium[d] praemiorum gaudia adipisci merearis; audiens nimirum paternam desiderabilem vocem illam inquientis: *Venite, benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis praeparatum est ab origine mundi*[2].

Incolumem excellentiam tuam superna gratia custodiat.

EMBOLUM.

Opere namque direximus ad vestram christianissimam excellentiam praesentem nostrum missum Georgium[3], reverentissimum ac sanctissimum fratrem et coepiscopum nostrum, atquę Warneharium relegyosum abbatem missum vestrum; seu Thomaricum et Comitam, magnificos idem missos nostros. Qui vobis nostros omnes dolores et cunctas dissolationes, quas a Langobardorum gente et eorum protervo rege passi sumus et assidue patimur, vobis subtili enarratione, sicut propriis oculis viderunt, viva voce dicere debeant. Quibus et in omnibus tamquam nobismet ipsis credere iubeat christianissima excellentia vestra et nostram liberationem nimis festinanter provocare.

Et coniuro te per Deum vivum[e] et verum, a Deo protecte fili et spiritalis compater, ut nequaquam amplius discredas no-

a. pullicae *c.* b. omes *c.* c. servas *c.* d. caelestis *c.* e. uum *c.*

1. 2 Timoth. 4, 7. 2. Cf. Matth. 25, 34. 3. ep. Ostiensem.

stras affficciones et nullo modo neclectum ponatis ad liberandum nos; ne, quod absit, si amplius credere distuleris et neclexeris nos eruendum, nobis, quod avertat divinitas, inruat calamitas pereundi et vobis pertineat ad magnum detrimentum et peccatum atque condemnationem in praesenti et aeterna vita. Quia vobis animas omnium nostrum[a] Romanorum tradidimus[b]. Sed magis magisque, ut praelatum est, coniuramus te, a Deo servate excellentissime[c] fili et spiritalis compater, per Patrem et Filium et Spiritum sanctum, Trinitatem indivisam, ut nostras tribulationes et angustias atque dolores et desolationes credere iubeatis sine qualibet ambiguitate. Et nobis propter Deum subvenire et ad liberandum nos de manibus Langobardorum inimicorum nostrorum nimis festinanter occurrere digneris; ut, fructum afferens copiosum, victor intercedente beato[d] Petro super omnes barbaras nationes efficiaris et vitam aeternam possideas. 756 c. Febr. 24

Praefatus vero Warneharius abbas pro amore beati Petri, loricam se induens, per muros istius afflictae Romane civitatis die noctuque vigilavit; et pro nostra omnium Romanorum defensione atque liberatione, ut bonus atleta[e] Christi, totis suis viribus decertavit.

---

10. *Petri apostoli nomine scriptis litteris Pippinus Carolus Carlomannus reges et populus Francorum obsecrantur, ut urbi et populo Romano ecclesiaeque S. Petri omni festinatione succurrant contra Langobardos*[f]. (Cod. 3, Cen. 10)

Petrus vocatus apostolus a Iesu Christo Dei vivi filio — 756 Febr. Mart.
qui, ante omnia secula cum Patre regnans in unitate Spiritus sancti, in ultimis[g] temporibus pro nostra omnium salute incarnatus et homo factus nos suo redemit prȩcioso sanguine per vo-

a. nrm *c.* b. tradimus *c.* c. excellentissimi *c.* d. beoto *c.* e. hatleta *corr. in* atleta *c.* f. *ex cod. f.* 2*v* — 4*v*. *Lemma:* Item epistola III, quam transmisit Stephanus papa ad domnum regem Pippinum et Carolo vel Carlomanno seu omni generalitati Francorum, in nomine sancti Petri conprehensa, postquam per semet ipsum iam dictus papa in Frantia fuit, et secunda vice voluit adiutorium obtinere contra Langobardos. g. ultissimis *correctum est in* ultimis *in c.*

756 Febr. Mart. luntatem paterne gloriae, quemadmodum per sanctos suos destinavit prophaetas in scripturis sanctis —; et per me omnis[a] Dei catholica et apostolica Romana eclesia, capud omnium eclesiarum Dei, ipsius redemptoris nostri sanguine super firmam fundata petram; adque eiusdem almae eclęsiae Stephanus praesul. Gracia pax et virtus — ad eruendam eandem sanctam Dei eclesiam et eius Romanum populum mihi commissum de manibus persequentium — plenius ministretur a domino Deo nostro vobis viris excellentissimis Pippino Carolo et Carlomanno tribus regibus adque sanctissimis episcopis abbatibus presbiteris vel cuntis religiosis monachis, verum etciam ducibus comitibus et cuntis generalibus exercitibus et populo Franciae commorantibus.

Ego Petrus apostolus, dum a Christo Dei vivi filio vocatus sum supernae clemenciae arbitrio, illuminator ab eius potencia tocius mundi sum praeordinatus; ipso domino Deo nostro confirmante: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti*[1]; et iterum: *Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur*[b] *eis*[2]. Et mihi suo exiguo servo et vocato apostolo singillatim suas commendans oves, ait: *Pasce oves meas*[3], *pasce agnos meos*[4]; et rursum: *Tu es Petrus, et super anc petram aedificabo eclesiam meam, et porte inferi non praevalebunt adversus eam; et tibi dabo claves regni caelorum; quecunque ligaveris super terram, erunt ligata et in caelis; et quecunquę solveris super terram, erunt soluta et in celis*[5]. Quam ob rem omnes, qui meam audientes impleverint praedicacionem, profecto credant, sua in hoc mundo Dei praecepcione relaxari peccata; et mundi adque sine macula in illam progrędientur vitam. Etenim, quia[c] illuminacio Spiritus sancti in vestris refulsit praefulgidis cordibus vosque amatores effecti estis sanctae et unice Trinitatis per susceptum euuangelicae praedicacionis verbum, profecto in hac apostolica Dei Ro-

a. oms *c.* b. remituntur *c.* c. q *c.*

1. Matth. 28, 19. 2. Ioh. 20, 22. 23. 3. Ioh. 21, 17. 4. Ioh. 21, 15. 5. Matth. 16, 18. 19.

mana eclesia nobis commissa vestra futurae retribucionis spes tenetur adnexa. 756 Febr. Mart.

Ideoque ego apostolus Dei Petrus, qui vos adoptivos habeo filios, ad defendendum de manibus adversariorum hanc Romanam civitatem et populum mihi a Deo commissum seu et domum, ubi secundum carnem requiesco, de contaminacione gencium eruendam verum tamen omnium dileccionem provocans adortor; et liberandam eclesiam Dei, mihi a divina potencia commendatam[a], omnino praetestans admoneo; pro eo, quod maximas afflicciones et oppręssiones a pessima Langobardorum gente paciuntur. Nequaquam aliter teneatis, amantissimi, sed pro certo confidite: per memet ipsum tamquam in carne coram[b] vobis vivus adsistens, per hanc adortacionem[c] validis constringimus atque obligamus adiuracionibus[d]; quia secundum promissionem, quam ab eodem domino Deo et redemptori nostro accepimus, peculiares inter omnes gentes vos omnes Francorum populos habemus. Itaque praetestor et admoneo tamquam in enigmate, et firma obligacione coniuro vos, christianissimos reges Pippinum Carolum et Carlomannum, adque omnes sacerdotes episcopos abbates praesbiteros vel universos religiosos monachos, vel cunctos iudices, idem[e] duces comites et cunctum Francorum regni populum. Et tamquam praesentaliter in carne vivus adsistens coram vobis ego apostolus Dei Petrus, ita firmiter credite vobis adhortacionis alloqui verba; quoniam, etsi[f] carnaliter desum, spiritaliter autem a vobis non desim. Quoniam scriptum est: *Qui suscipit prophaetam in nomine prophaetae, mercedem suscipit prophaetae*[1]. Sed et domina nostra Dei genetrix semper virgo Maria nobiscum vos magnis obligacionibus adiurans praetestatur atque ammonet et iubet; simul etiam et throni adque dominaciones vel cunctus caelestis miliciae exercitus; nec non et martyres atque confessores Christi et omnes omnino Deo placentes.

a. cōmendā *c.* b. corum *c.* c. adottacionem *c.* d. adiuraciobus *c.* e. .ıdē. *c.* f. etſi *c.*

1. Matth. 10, 41.

756 Febr. Mart. Et hi nobiscum adhortantes et coniurantes praetestantur: quatenus doleat vobis pro civitate ista Romana, nobis a domino Deo commissa, et ovibus[a] dominicis in ea commorantibus, nec non et pro sancta Dei ecclesia mihi a Domino commendata. Et defendite adque liberate eam sub nimia festinacione de manibus persequentium Langobardorum; ne, quod absit, corpus meum, quod pro domino Iesu Christo tormenta perpessum est, et domus mea, ubi per Dei praecepcionem requiescit, ab eis contaminentur, et populus meus peculiaris lanietur amplius nec trucidentur ab ipsa Langobardorum gente, qui tanto flagitio periurii rei[b] existunt et transgressores divinarum scripturarum probantur. Prestate ergo populo meo Romano mihi a Deo commisso in hac vita, fratribus vestris, Domino cooperante, praesidia totis vestris viribus; ut, ego Petrus vocatus Dei apostolus in hac vita et in die futuri examinis vobis alterna impendens patrocinia, in regno Dei lucidissima ac praeclara vobis praeparentur tabernacula. Atque praemia aeternae retribucionis et infinita paradisi gaudia vobis pollicens ad vicem tribuam; dummodo meam Romanam civitatem et populum meum peculiarem, fratres vestros Romanos, de manibus iniquorum Langobardorum nimis velociter defenderitis.

Currite, currite — per Deum vivum et verum vos adhortor et protestor — currite et subvenite, antequam fons vivus, unde saciati et renati estis, arescat; antequam ipsa modica stilla de flagrantissima flamma remanens, ex qua vestram lucem cognovistis, extinguatur; antequam mater vestra spiritalis sancta Dei ecclesia, in qua vitam speratis percipere aeternam, humilietur invadatur et ab impiis violetur atque contaminetur. Praetestor vos, dilectissimi filii mei adoptivi, per graciam Spiritus sancti; pretestor et nimis coram Deo terribili creatori omnium adhortor atque admoneo, ego apostolos Dei Petrus et una mecum sancta Dei cattholica et apostolica eclesia, quam mihi Dominus commisit: ne paciamini[c] perire hanc civitatem Romanam, in qua

a. ollibus *corr. in* ouibus *c.* b. regi *c.* c. paciẹmini *c.*

corpus meum constituit Dominus, quam et mihi commendavit 756
et fundamentum fidei constituit. Liberate eam et eius Romanum Febr. Mart.
populum, fratres vestros, et nequaquam invadi permittatis a gente Langobardorum; sic non sint invase provinciae et possessiones vestrae a gentibus, quas ignoratis. Non separer a populo meo Romano; sic[a] non sitis alieni aut separati a regno Dei et vita aeterna. Quicquid enim poposcitis a me, subveniam vobis, videlicet et patrocinium[b] inpendam. Subvenite populo meo Romano, fratribus vestris, et perfeccius decertate atque finem imponite ad liberandum eos. Nullus enim accipit coronam, nisi qui legitime decertaverit[1]. Et vos decertate fortiter pro liberacione sanctae Dei eclesiae, ne in aeternum pereatis.

Coniuro vos, coniuro, ut praelatum est, dilectissimi, per Deum vivum et omnino praetestor: minime permittatis hanc civitatem meam Romanam et in ea habitantem populum amplius a gente Langobardorum laniari; sic[c] non lanientur et crucientur corpora et anime vestrae in aeterno atque inextinguibili Tartareo igne cum diabolo et eius pestiferis angelis. Et ne dispergantur amplius oves dominici gregis mihi a Deo commissi, videlicet populum Romanum; sic[c] non vos dispergat et proitiat Dominus, sicut Israheliticus populus dispersus est.

Declaratum quippe est, quod super omnes gentes[d], quae sub celo sunt, vestra Francorum gens prona mihi apostolo Dei Petro extitit; et ideo ecclęsiam, quam mihi Dominus tradidit, vobis per manus vicarii mei commendavi ad liberandum de manibus inimicorum. Firmissimae enim tenete: quod ego servus Dei, vocatus apostolus, in omnibus vestris necessitatibus, dum me deprecati estis, auxiliatus sum; et victoriam per Dei virtutem vobis de inimicis vestris tribui; et in antea tribuam nihilominus, credite, si ad liberandum hanc meam civitatem Romanam nimis velociter occurreritis. Mementote et hoc: quomodo et inimicos sanctae Dei eclesiae, dum contra vos praelium ingruerunt, a vobis, qui parvo numero contra eos fuistis, proster-

a. si *c*. b. patronium *c*. c. si *c*. d. gs̄ *c*.

1. 2 Timoth. 2, 5.

756 Febr. Mart. nere feci. Pro quo decertate hanc meam velociter adimplere ammonitionem; ut perfectius meum adipisci mereamini auxilium per graciam, que data est mihi a Christo domino deo nostro.

Ecce, filii carissimi, praedicans ammonui vos. Si obedieritis velociter, erit vobis pertingens ad magnam mercedem; et meis suffragiis adiuvati, et in praesenti vita omnes vestros inimicos superantes et longaevi persistentes bona terre comedetis, et eternam procul dubio fruemini vitam. Sin autem, quod non credimus, et aliquam posueritis moram aut adinvencionem minime velociter hanc nostram inplendam adortacionem ad liberandam hanc meam civitatem Romanam et populum in ea commorantem et sanctam Dei apostolicam ecclesiam mihi a Domino commissam simul et eius praesulem, sciatis: nos[a] ex auctoritate sancte et unice Trinitatis per graciam apostolatus, que data est mihi a Christo domino, vos alienare[b] pro trangressione nostrae adhortacionis a regno Dei et vita aeterna.

Sed deus et dominus noster Iesus Christus — qui nos suo precioso redimens sanguine ad lucem perduxit veritatis, nosque praedicatores et inluminatores tocius mundi constituit — det vobis ea sapere ea intellegere eaque dissponere nimis velociter, ut celerius hanc civitatem Romanam et eius populum seu sanctam Dei ecclesiam mihi a Domino commissam ad eruendum occurratis; quatenus misericorditer sicut fidelibus sue potenciae, meis pro vobis intervenientibus suffragiis, et im praesenti vita longevos sosspites et victores conservare iubeat et venturo in seculo dona sue remuneracionis faciat multiplicius promereri cum sanctis et electis suis.

Bene valete.

a. uos *c*. b. alienar *c*.

11. *Stephanus III papa Pippino regi Francorum, quod ecclesiam Romanam servaverit, gratias agit. Nuntiat, post Haistulfi mortem Desiderium Langobardorum regem ordinatum iurasse, se residuas civitates b. Petro restituturum. Quae ut celeriter sibi reddantur, praecipi vult. Ducem Spoletinum et Beneventanos commendat. Rogat, ut catholicam fidem a Graecis tueatur. Legatos suos commendat. De monachis Casinensibus addit*[a]. (Cod. 8, Cen. 11)

Domino excellentissimo filio et nostro spiritali compatri Pippino regi Francorum et patritio Romanorum Stephanus papa. 757 Mart. Apr.

Explere lingua[b], excellentissime fili, non valemus, quantum tuo opere, tua vita delectamur. Facta quippe diebus nostris virtute miraculi, vidimus: quod per excellentiam tuam sancta omnium ecclesiarum Dei mater et caput, fundamentum fidei christianae Romana ecclesia, quae valde ab hostium inpugnatione periculorum inpugnationibus lamentabatur, magna nunc gaudii soliditate nimirum est translata atque confirmata; et moerentes christianorum animae tuo fortissimo praesidio maxime sunt relevatae[c] laeticia. Pro quo in vestro opere et nostra exultatione libet cum angelis exclamare: *Gloria in eccelsis Deo, et in terra pax hominibus bone voluntatis*[1]. Et quia elapso anno[2], isto in tempore[3], valde ab hostium depopulosa inpugnatione sautiati et ultra citraque circumdati afligebamur, nunc autem tuo potentissimo auxilio erepti ab inminentibus periculis, inmenso exultamus gaudio et, benedicentes nomen Domini, cum psalmigrapho consona dicimus[d] voce: *Haec est inmutatio dexterae Altissimi*[4]; et rursum: *Ad vesperum demorabitur fletus, et*

a. *ex cod. f.* 16–18. *Lemma:* VIII. Item epistola eiusdem ad domnum Pippinum regem per Folradum cappellanum et Georgium episcopum atque Iohannem sacellarium, post mortem Haistulfi directa; in qua continetur gratiarum[a] actiones et benedictiones uberrime pro victoria et restitutione sanctae Dei ecclesiae, poscens in futurum ea quae deerant restituenda. b. linqua *c.* c. revelatae *c.* d. ditimus *c.*

a. oratiarum *c.*

1. Luc. 2, 14. 2. 756. 3. spatio mensium Ianuarii, Februarii, Martii. 4. Ps. 76, 11.

757 Mart. Apr. *ad matutinum laeticia*[1]. Cuius enim vel saxeum pectus, tam benigno opere a tua praeclara bonitate peracto cognitoque, non statim in omnipotentis Dei laudibus atquae in tuae excellentiae amorem mollescat?

Haec me fateor, excellentissimae fili et spiritalis compater, que per te mirabiliter facta sunt, sepe convenientibus ex universo orbe terrarum nationibus dicere; sepe cum eis pariter admirari delectat et extensa voce melliflue tuae excellentie laudes persolvere indeficienter. Haec me plerumque etiam im momento horarum excitant, indeflexibili oculo pro inmensa bonitatis tuae et universe gentis[a] Francorum sospitate omnipotenti Deo fundere preces.

Denique, amantissime et a Deo inspirate victor felix et divina providentia fortissime rex, qualiter beatus Petrus apostolorum princeps tue devotionis affectum, quem pro eius causa decertans adibuisti, susceperit, ipsa cunctis liquido vita vestra testatur; scriptum quippe est: *Vota iustorum placabilia*[2]. Libet quippe omnino, excellentimę fili, tuae bonitati magnas gratiarum persolvere laudes et, nomen Domini pro tam maxima benignitate glorificantes, exhilarata voce canere: *Benedictus dominus Deus Israel;* quia visitans plebem suam et redemtionem facere[3] cupiens populo suo, suscitavit te nobis, christianissime victor rex, nostris diebus fortissimum liberatorem. Quid enim aliud quam novum te dixerim Moysen et praefulgidum asseram David regem? Quoniam, quemadmodum illi ab oppressionibus allophylorum populum Dei liberaverunt, ita quoque tu, benedicte a Deo victor, fortissime rex, tuo certamine aeclesiam Dei et eius afflictum populum ab hostium inpugnatione aeruere studuisti.

Benedictus es, eximie fili, a Deo excelso, qui fecit caelum et terram; et benedictus Deus, quo protegente hostes in manibus tuis sunt. Benedicat tibi Dominus pulchritudo iustitiae[4]; et

a. gentes *corr. in* gentis *c.*

1. Ps. 29, 6. 2. Prov. 15, 8. 3. Luc. 1, 68: „Benedictus dominus Deus Israel, quia visitavit et fecit redemptionem plebis suae". 4. Ierem. 31, 23.

tuos amantissimos natos meosque spiritales filios, domnum Carolum et Carolomannum a Deo institutos reges Francorum et patritios Romanorum, cum christianissima eorum matre[1], excellentissima regina dulcissimaque coniuge, fidele Dei, spiritali nostra commatre tueatur et in omnibus protegat. Dilatet Deus semen vestrum et benedicat in aeternum; atque solium regni fruendum perenniter concedat; et universam gentem Francorum sub vestra ditione permanentem inlesam custodiat. Vale in Domino, rex benignissime; quia per te sanctae Dei ecclesiae inimici humiliati sunt, et magna letitia ipsa sancta Dei ecclesia est relevata[a], et eius peculiaris populus iocundatur, et per te benedicitur Deus. Pro quo et eius benediccio super te plenius est effusa; gaudium enim uberrimum in universum orbem terrarum intulisti. Magna sunt hec et omnipotentis Dei laudibus tribuenda; sed inter haec misericordissimi Dei nostri clemenciam indesinenter petimus, ut caelestis sui regni gaudio vobis tribuat vicissitudinem.

757 Mart. Apr.

Quapropter cum magna fiducia, tamquam praesentialiter coram tuo mellifluo consistens aspectu, flexis genibus petens peto te et omnino coram Deo vivo deprecor: ut iubeas firmiter in hoc bono opere, sicut certe confidimus, usque in finem permanere pro sanctae Dei ecclesiae perfecta exultatione et eius populi liberatione et integra securitate. Et plenariam iustitiam eidem Dei ecclaesiae tribuere digneris, atque optimum et velocem finem in causa fautoris tui beati Petri adhibere iubeas: ut civitates reliquas, quae sub unius dominii ditione erant connexe atque constitutae, fines, territoria, etiam loca et saltora[2] in integro matri tuae spiritali sanctae ecclesiae restituaere praecipiatis; ut populus Dei, quaem a manibus inimicorum redemisti, in magna securitate et delectatione, tuo auxilio adiutus[b], vivere valeat. Quoniam et filius noster Deo amabilis Folradus[3], fidelis vester, omnia conspitiens satisfactus est[4]: quod nequa-

a. revelata *c.* b. adiuti *corr. in* adiutus *c.*

1. Bertrada. 2. saltus. 3. presbyter et abbas S. Dionysii. 4. intellexit.

757 Mart. Apr. quam ipse populus vivere possit extra eorum fines et territoria atque possessiones, absque civitatibus illis, que semper cum eis sub unius dominii ditione[a] erant connexae. Peto te, fili, peto te coram Deo vivo et fortiter coniuro, spiritalis compater: ut in hoc bono opere perfectius maneas; et non hominum blandimentis aut suasionibus vel promissionibus, quod absit, faveas et in aliam declines partem; sed magis, vere timens Deum, omnia, quae beato Petro sub iureiurando[b] promisisti, adimplere iubeas et, sicut cepisti, plenariam iustitiam illi inpertire.

Etenim tirannus ille sequax diaboli Haistulfus, devorator sanguinum christianorum, ecclesiarum Dei destructor, divino ictu percussus est et in inferni voraginem demersus. In ipsis quippe diebus, quibus hanc Romanam urbem devastandam profectus est[1], post anni spatii circulum ita divino mucrone percussus est[2], ut profecto in eo tempore, quo, fidem suam temptans, diversa piaculi scelera perpetratus est, in eo[c] suam impiam finiret vitam. Nunc autem Dei providentia per manus sui principis apostolorum beati Petri simul et per tuum fortissimum brachium, praecurrente industria Deo amabilis viri Folradi tui fidelis, nostri dilecti filii, ordinatus est rex super gentem Langobardorum Desiderius, vir mitissimus[3]. Et in praesentia ipsius Folradi sub iureiurando[d] pollicitus est restituendum beato Petro civitates reliquas: Vaventia Imulas et Ferraria cum eorum finibus, simul etiam et saltora et omnia territoria; nec non et Ausimum Ancona et Humana civitates cum eorum territoriis. Et postmodum per Garrinodum ducem et Grimoaldum nobis reddendum spopondit civitatem Bononiam cum finibus suis; et in pacis quiete cum eadem Dei ecclesia et nostro populo semper mansurum professus est. Atque fidelem erga a Deo protectum regnum vestrum esse testatus est. Et petiit nos: quatinus[e] bonitatem tuam deprecaremur, ut cum eo et cuncta

a. dititione *c.* b. iusiurando *corr. in* iureiurando *cod.* c. *sequitur* ẹṭ. d. iusiurando *corr. in* iureiurando *c.* e. quatenus *corr. in* quatinus *cod.*

1. m. Decembri a. 755, v. supra p. 11. 2. m. Decembri a. 756, v. supra p. 11. 3. m. Martio a. 757, v. supra p. 11.

gente Langobardorum magnam pacis concordiam confirmare iubeas. 757 Mart. Apr.

Nam et Spolaetini ducatus generalitas per manus beati Petri et tuum fortissimum brachium constituerunt sibi ducem[1]. Et tam[a] ipsi Spolitini quamque etiam Beneventani omnes se commendare per nos a Deo servatae excellentiae tuae cupiunt, et inminent anhelantius in hoc deprecandum bonitatem tuam.

Unde petimus te, excellentissime fili et spiritalis compater: ut, si praedictus Desiderius, quemadmodum[b] spopondit, iustitiam sanctae Dei ecclaesiae rei puplice Romanorum beato Petro protectori tuo plenius restituere[c] et in pacis quiete cum ecclesia Dei et nostro populo — sicut in pactibus a tua bonitate[d] confirmatis continetur — permanserit cum universa sua gente, iubeas in id quod petiit tuas a Deo inspiratas aures inclinare. Hoc inter ea anhelantius: ut nimis velociter eidem Desiderio regi obtestando admonendo etiam et praecipiendo dirigere iubeas, ut reliquas civitates loca fines et territoria atque patrimonia et saltora in integro sanctae ecclaesiae reddere debeat. Et tale fundamentum et obtimam finem in causa eius inponere iubeas, ut auxiliante Domino ipsa sancta Dei ecclęsia secura maneat usque in finem seculi; ut plenaria iustitia a iusto iudice domino Deo nostro et memoriale nomen tibi in secula maneat, vel etiam cunctae Christo protecte genti vestrae Francorum.

Inspiratus autem a Deo, nimis festinanter causam sanctae ecclesiae perficies; quia sunt aliae canonicae causae quas perficere debeamus, pertinentes ad magnam regni tui laudem et magnam anime tuae vel cunctae gentis Francorum inmensam mercedem.

Et hoc obnixe postulamus praecelsam bonitatem tuam: ut, inspiratus a Deo et eius principe apostolorum beato Petro, ita disponere iubeas de parte Grecorum, ut fides sancta catholica et apostolica per te integra et inconcussa permaneat in eternum;

a. tam̄ *c.* b. quemammodum *corr. in* quemadmodum *c.* c. restituaere *c.* d. boninitate *c.*

1. Alboinum.

757 Mart. Apr. et sancta Dei ecclesia, sicut ab aliis, et ab eorum pestifera malitia liberetur et secura reddatur; atque omnia propriaetatis suae percipiat, unde pro anime vestrae salute[a] indefessa luminariorum concinnatio Dei ecclaesiis permaneat et esuries pauperum egenorum vel peregrinorum nihilominus refectetur, et ad veram saturitatem perveniant. Qualiter autem cum silentiario[1] locuti fueritis vel quomodo eum tua bonitas absolverit, una cum exemplari[b] litterarum, quas ei dederitis, nos certiores reddite; ut sciamus, qualiter in commune concordia agamus, sicut inter nos et Folradum Deo amabilem constitit.

Ipse vero dilectus filius noster[c] Folradus in omnibus causis iuxta tuam praeceptionem peregit; et maximas gratias illi egimus pro suo certamine. Qui videlicet, ad vos revertens, omnia qualiter acta sunt, bonitati vestrae intimabit.

Praesentes vero fidelissimos nostros, id est Georgium[2] reverentissimum ac sanctissimum fratrem et coepiscopum nostrum atque Iohannem, regionarium nostrumque sacellarium, petimus ut hilariori suscipiens vultu, in omnibus acceptare iubeas. Et quicquid nostra vice bonitati tue locuti fuerint, eis in omnibus credere digneris; atque cum effectu causae et laetabundis nuntiis[d] ad nos remeandos absolvere iubeas.

Nam et hoc obsecramus bonitatem tuam, ut nimis celeriter ad nos coniungendum absolvere praecipias reverentissimum fratrem et coepiscopum nostrum Wicharium[3].

Omnipotens autem Dominus in cunctis actibus tuis, excellentissime victor rex, suae dextere extensione te protegat tibique et praesentis vitae prospera et post multorum annorum curricula gaudia aeterna concedat, faciatque cum tua dulcissima coniuge excellentissima regina, spiritali nostra commatre, et vestris meisque dulcissimis filiis maximo gaudio iocundari, et regni vestri gubernacula a Deo vobis concessa perfrui et, qui in pre-

a. salue *corr. in* salute *c.* b. exemplare *corr. in* exemplari *c.* c. nr̃s *c.* d. nustiis *corr. in* nuntiis *c.*

1. Iohanne, silentiario Constantini IV imperatoris. 2. ep. Ostiensem. 3. ep. Nomentanum.

senti vita regni potestatem tenetis, etiam futuro in seculo cum 757
Christo in aeternum regnetis; promerentes illam dominicam pro- Mart. Apr.
missionem audire: *Venite, benedicti*[a] *patris mei*[1]; *pro eo, quod certamen bonum certati estis, cursum consummastis, fidem servastis*[2], *sumite*[b] *positas vobis coronas*[3] *et accipite regnum vobis ab origine mundi praeparatum*[4].

Nam et ex hoc praecelse et a Deo custodite excellentiae vestrae innotescimus: quia petiit nobis Obtatus religiosus abba venerandi[c] monasterii sancti Benedicti[5] pro monachis suis, qui cum tuo germano[6] profecti sunt[7], ut eos absolvere iubeas. Sed qualiter tua fuerit voluntas, ita de eis exponere iubeas.

Incolumem excellentiam tuam gratia superna custodiat.

---

12. *Paulus I electus sedis apostolicae Pippino regi significat, se in Stephani III mortui locum substitutum esse. Immonem missum eius, donec ipse consecrationem percipiat, Romae mansurum. In foedere cum eo icto se perseveraturum esse spondet*[d]. (Cod. 13, Cen. 12)

Domino excellentissimo filio Pippino regi[e] Francorum et 757
patritio Romanorum Paulus diaconus et in Dei nomine electus Apr. Mai.
sanctae sedis apostolicae.

Cum gravi gemitu et inmenso merore cordis innotescimus a Deo protecte excellentiae tuae, potentissime victor rex, Dei vocatione de hac[f] luce ad aeternam requiem esse subtractum sanctae recordationis domnum et germanum meum Stephanum papam[8]; in cuius etiam transitu[g] et ipsi lapides, si dici potest,

a. benediti *c.* b. summitte *corr. in* sumite *c.* c. Ueneni *c.* d. *ex cod. f.* 22. *Lemma:* Exemplar epistolae, ubi Paulus diaconus et electus sanctae Romanae ecclesiae significans de transsitu Stephani papae, per Imomonem missae, missum domni Pippini regis. e. fei *corr. in* regi *c.* f. ac *corr. in* hac *c.* g. *sequitur* etiam *in c.*

1. Matth. 25, 34. 2. 2 Timoth. 4, 7. 3. Cf. 2 Timoth. 4, 8. 4. Cf. Matth. 25, 34. 5. Casinensis. 6. Carolomanno. 7. e monasterio Casinensi in Galliam. 8. d. 26 Apr. 757.

757 Apr. Mai. nobis conflentes lacrimaverunt[1]. In cuius apostolatus ordinem a cuncta populorum caterva mea infelicitas electa est.

Et dum haec agerentur, coniunxit[a] hic Romam[b] Immo, christianissimae excellentiae tuae missus. Et cum eo loquentes, una cum nostris obtimatibus aptum prospeximus: eum hic detineri[c], donec Dei providentia sacra apostolica benedictione inlustrati fuissemus[d][2]; et tunc plenius satisfactus de nostra vel cuncti populi puritate et dilectione, quam erga tuam benignissimam excellentiam et cunctam gentem Francorum gerimus, eum ad vos repedandum cum nostris missis[e] apostolicis absolveremus[f]. Quoniam nos pro certo agnoscas, excellentissime et a Deo protecte noster post Deum auxiliator[g] et defensor rex: quod, firmi et robusti usque ad animam et sanguinis[h] nostri effusionem in ea fide et dilectione et caritatis concordia atque pacis foedera, quae praelatus beatissimae memoriae dominus et germanus meus sanctissimus pontifex vobiscum confirmavit, permanentes, et cum[i] nostro populo permanebimus[k] usque in finem.

Unde et indesinenter, extensis palmis ad caelum, pro vitae incolomitate excellentiae tuae atque dulcissimorum filiorum et excellentissimae regine[3] sospitate domini Dei nostri exoramus clementiam[l]; ut semper tuum auxilium et firmissima protectio extendatur super nos.

Incolomem excellentiam tuam gratia superna custodiat.

a. coniuxit hic *corr. in cod. manus antiqua in* conveuit. *Scripsi* coniunxit hic. b. Romana *corr. in cod. in* Romã. c. detinere *corr. in* detineri *c.* d. fuerimus *corr. in* fuissemus *c.* e. *sequitur* et *erasum.* f. absolvimus *corr. in* absolveremus *c.* g. ausiliator *corr. in* auxiliator *c.* h. sanguuinis *c.* i. ut *corr. in* et cum *c.* k. permanemus *corr. in* permanebimus *c.* l. *sequitur* tuam *in cod.*

1. Hucusque est epistola haec effecta ex Libri diurni Romanorum pontificum cap. 2 titulo 1 (ed. Garnerius p. 9). 2. Paulus I consecratus est d. 29 Maii 757. 3. Bertradae.

13. *Senatus populusque Romanus Pippinum regem ob ecclesiam defensam laudibus ornant. De sua erga Paulum papam fide asseverant. Petunt, ut Romanis studere pergat*[a].

(Cod. 36, Cen. 15)

Domino excellentissimo atque precellentissimo et a Deo instituto magno victori Pippino regi Francorum et patritio Romanorum omnis senatus atquae universa populi generalitas a Deo servatae Romanae urbis. 757—758

Si interius mente operum vestrorum studia humanus voluerit sensus pensare, nihil, ut opinamur, ad horum vicissitudinem dignum potest existimari aut in hac temporali vita rependi. Sed tantummodo illa sunt vobis retribui consideranda a iusto iudicae domino Deo nostro, quae oculus non vidit nec auris audivit nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus diligentibus se[1]. Haec nempe vobis digna est retributio; dum nimirum vestro certamine sancta Dei ecclesia atque christianorum orthodoxa fides dinoscitur esse defensa, omniumque nostrum constant procurata salutis remedia. Et quia[b] per te, praecellentissime domine rex, dignatus est Deus noster redemptionem sanctae suae ecclesiae nostrumque omnium operari, merito nos convenit operum eius mirabilia decantare, consona cum propheta canentes voce: *Quoniam magnificata sunt opera tua, Deus, omnia in sapientia fecisti; repleta est terra mirabilibus tuis*[c][2]; *quis enim loquatur potentias Domini, auditas faciat omnes laudes eius?*[3] Laetantur enim caeli et exultat terra[4] in eo, quod talem dominus Deus noster sanctae suae ecclesiae contulit defensorem, per quem cum fiducia nomen Domini in sancta aula eius glorificatur.

a. *ex cod. f.* 44—45. *Lemma:* Item exemplar epistolae generalis populi senatusque Romani ad domnum Pippinum regem directa, in qua continentur gratiarum actiones et de litteris, quas domnus Pippinus rex eidem popolo direxit pro fide servanda erga sanctam Dei Romanamque ecclesiam et domnum Paulum apostolicum. b. q *c.* c. mirabilia tua *corr. in* mirabilibus tuis *c.*

1. 1 Corinth. 2, 9. 2. Cf. Ps. 103, 24. 3. Cf. Ps. 105, 2. 4. Ps. 95, 11.

757—758 Directas[a] itaque praecellentissimae ac christianissimae benignitatis vestrae litteras magno honoris affectu acceptantes suscepimus — et ita in earum susceptione laetati sumus, tamquam si vestram excellentiam praesentaliter conspiceremus — gemina festivitatis gaudia nobis inferentes, dum vestram laetitiam amplissime conperimus. Quoniam nihil nobis dulcius, domine rex, in hac vita existit, quam de vestris prosperitatibus gratulari; dum vestra salus nostra post Deum est securitas.

At vero in ipsis vestris mellifluis apicibus nos salutari providentia vestra et ammonere praecellentia vestra studuit, firmos nos ac fideles debere permanere erga beatum Petrum principem apostolorum et sanctam Dei ecclesiam et circa beatissimum et coangelicum spiritalem patrem vestrum a Deo decretum domnum nostrum Paulum summum pontificem et universalem papam. Pro quo omnino laetati sumus in tam vestra prudentissima ammonitione. O quanta divina adspiratione interna viscerum nostrorum precordia in nobis, vestris fidelibus, redundant! Vere enim, domne rex, profecto spiritus Dei in vestro mellifluo inhabitat corde; et ideo tam salutari consilio vestros bene cupientes ammonere studuistis. Nos quidem, praecellentissime regum, firmi ac fideles servi sanctae Dei ecclesiae et praelati ter beatissimi et coangelici spiritalis patris vestri domni nostri Pauli summi pontificis et universalis papae consistimus. Quia ipse noster est pater et obtimus pastor; et pro nostra salute decertare cotidiae non cessat, sicut et eius germanus sanctae recordationis beatissimus domnus Stephanus papa[1], fovens nos et salubriter gubernans sicut re vera rationales sibi a Deo commissas[b] oves; dum nimirum et mitissimus et vere in omnibus misericors existit, imitator effectus beati Petri, cuius vices gerit et dum eius vicarius consistit.

Nos quidem, excellentissime ac christianissime domine rex, firmam fiduciam in huiuscemodi vestra habemus pollicitatione.

a. Directus *c.* b. commissos *corr. in* commissas *c.*

1. ex ista comparatione arbitrari licet, hanc epistolam primis Pauli papae temporibus scriptam esse.

Sed obnixae deprecamur et, tamquam praesentaliter vestris regalibus provoluti vestigiis, petimus, etiam et per nos beatus Petrus vestram adgreditur excellentiam: ut iubeas, benignissime regum nosterque post Deum defensor, ita solite decertare ac disponere, ut perfecta sanctae Dei ecclesiae exaltatio et fidei nostrae orthodoxae omniumque nostrum profligetur defensio; petentes et hoc coram Deo vivo, qui vos in regem per suum apostolum beatum Petrum ungui praecepit, ut dilatationem[a] huius provintiae, a vobis de manu gentium ereptae, perficere iubeatis. Et in eo, quod cepistis, bono permaneatis opere; quatinus[b] in magna securitatis quiaete degere valeamus, et ex hoc aeternam vobis in caelo exoratam retributionis mercedem recipiatis. Quoniam maximam post Deum et beatum Petrum in vestri fortissimi regni brachio possidemus spem; et credimus in omnipotentis[c] Dei nostri misericordiam, quod amplissime nobis ea nostra ipsa spes operum vestrorum inferat fructum. Exaudi, domine rex, subplicationem nostram omnium bene cupientium vobis, et libentissime aures tuas adcommoda in hoc ipsud quod postulamus; sic te exaudiat Dominus in omnibus tuis petitionibus. Tu enim post Deum noster es defensor et auxiliator; et si omnes capitis nostri capilli linguae effecti fuerint, non valebunt ob tanta vestra benificia dignas referre gratiarum actiones. Verumtamen, in quantum mens nostra valet, laudis vestrae praeconia in omnibus gentibus divulgamus. 757—758

Unde, elevatis oculis extensisque palmis ad aethera[d], dominum Deum nostrum inmensis exoramus precibus: sua vos foveri gratia; mittens angelum potentiae suae propugnatorem ante faciem vestram, qui omnes adversarios vestros expugnans vestris subiciat vestigiis. Regnique vestri dilatet terminos; et victoriam vobis e caelo concedat ad perpetuam atque perennem sanctae Dei ecclesiae et nostram inmensam securitatem; evisque ac felicissimis temporibus regale culmen vobis ac excellentissimae dominae reginae[1] atque praeclaris vestris natis excellentissimis

a. dilatatioonem *c.* b. quatenus (i *superscr.*) *c.* c. omnipotentes (i *superscr.*) *c.* d. aehera *c.*

1. Bertradae.

757—758 regibus concedat possidendum, et aeterna praemiorum cum sanctis et electis multipliciter tribuat gaudia.

Incolomem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

---

14. *Paulus I papa Pippino regi de litteris per Uulfardum missis gratias agit. Sabano, quod in Gisilae regis filiae baptismate adhibitum esset, accepto, se spiritualem regis compatrem appellat. De Langobardorum perfidia, de Sergio archiepiscopo Ravennate. Wilcharium episcopum Nomentanum commendat*[a]. (Cod. 27, Cen. 13)

758 Domino excellentissimo filio et nostro spiritali compatri Pippino regi Francorum et patricio Romanorum Paulus papa.

Lator praesentium litterarum sollertissimus Uulfardus[1], eximiae sagacitatis[b] vestrae fidelis missus, plenas iocunditate nobis attulit litteras. Quas et cum ingenti laetitia mancipantes atque lectioni reserantes, magna exultatione ovantes relevati sumus; agnito scilicet per eas praefulgide excellentiae vestrae dilectionis affectu, erga apostolicam sanctam Romanam ecclesiam atque fautorem vestrum celorum regni ianitorem principem apostolorum beatum Petrum a vobis exibito. Qua de re iuges omnipotenti Deo efficatius persolvimus grates, profecto, dum tam praecipuum fortissimumque virorum his in diebus sanctae suae contulit ecclesiae tutorem.

Inter ea, christianissime Dei providentia victor rex, gemina festivitatis peregimus gaudia in eo, quod, optata cordis adepti desideria[c], in vinculo spiritalis foederis pariter sumus adnexi. Praelatus nempe sodalitatis vestrae inluster[d] missus preciosissi-

a. *ex cod. f.* 87*v* — 88*v*. *Lemma:* Item exemplar epistolae eiusdem papae ad domnum Pippinum regem per Uulfardum directa, in qua continentur gratiarum actiones et uberrime laudes pro defensione sanctae Dei ecclesiae; poscens adiutorium contra Langobardos, eo quod ipsi Langobardi in magna arrogantia permanentes et iustitias sanctae Dei ecclaesiae minime reddentes. b. sagatitatis *c.* c. desiderii *c.* d. inlustret *c.*

1. abbas S. Martini Turonensis.

mum[a] nobis supernae gratiae munus adferuit[b]: sabanum videlicet, in quo nostra dulcissima atque amantissima spiritalis filia[1], sacratissimo fontis lavacro abluta, suscepta est. Quem et, cum magna iocunditate aggregata[c] populi cohors infra aulam sacrati corporis auxiliatricis vitae beatae Petronellae, quae pro laude aeterna memoria nominis vestri nunc dedicata[2] dinoscitur, caelebrantes missarum solemnia, cum magno gaudio suscepimus. Et per allatum eundem sabanum eam tamquam praesentaliter nos suscepisse gaudemus. Unde, quia amor fidei vestrum benignum ignivit cor nobis per vinculum spiritalis foederis adherendum, iuxta[d] quod domino et germano meo beate recordationis sanctissimo Stephano papae spopondistis, magnas gratiarum actiones a Deo protecte excellentiae vestrae persolvimus; inplorantes crebro divinam misericordiam, ut aevis vos ac prosperis in solio regni conservans tueri temporibus et magno gaudio de ipsius spiritalis nostrae filiae perfecta aetate vos iocundari permittat ad exultationem sancte suae ecclesiae. Et quia copiosa nobis ipsa Spiritus sancti — scilicet compaternitatis gratia, quae opitulante Deo inter nos rata consistit — auctoritas fiduciam contulit, peto et deprecor, benignissime spiritalis compater obtime rex: ut[e] coeptum redemptionis Dei ecclesiae et plenariae iustitiae beati Petri perficere iubeas bonum opus. 758

Direxit quippe nobis insignis bonitas vestra per suos affatos: sibi innotesci adversantium causarum eventus. Unde certam a Deo protectam eximietatem vestram reddimus, nihil nos usque hactenus recepisse de his, quae per nostros legatos excellentiae

a. preciosissimā *c.* b. attulit *scripsit manus antiqua super* adferuit. c. aggrata *c.* d. iuxto *c.* e. et *c.*

1. Gisila Pippini regis filia, a. 757 nata secundum annales Petavianos (Mon. SS. I 11). Eandem „suam spiritalem filiam" appellat Paulus infra in epp. 28 et 43. 2. De corpore S. Petronillae anno 758 translato ex fonte abscondito Sigebertus in Chronica (Mon. Germ. SS. VI 332) ad a. 758 retulit haec: „Corpus sanctae Petronillae, Petri apostoli filiae, a Paulo papa transponitur; in cuius marmoreo sarcofago ipsius apostoli Petri manu sculptum legebatur: „„Aureae Petronillae, dilectissimae filiae"". De S. Petronilla v. Acta SS. Mai. T. VII 420 squ.; de ecclesia S. Petronillae v. Ciampini De sacris aedificiis p. 88.

758 vestrae petendo mandavimus. Solite namque perfidi et maligni illi[1] in magna arrogantia cordis permanentes, nequaquam inclinantur iustitiam beati Petri restituere. Tamen omnia qualiter acta sunt, referentibus vestris missis agnoscere potestis. Et subsequentem nostrum missum ad vos dirigimus[a], dignas vobis gratias de omnibus referentes; et cuncta per eum eximiaetati vestrae dirigimus in responsis de his, quae in antea provenerint.

Sergio vero archiepiscopo[b][2], iuxta id quod vestrae innotuit excellentiae, indesinenter inminemus, ut suae restituatur ecclesie.

Petimus autem excellentem[c] bonitatem vestram, ut reverentissimum et sanctissimum[d] fratrem et coepiscopum nostrum Wilcharium[3], sicut praefatus beate recordationis dominus et germanus meus sanctissimus Stephanus papa eum benignae eximiaetati vestrae commendavit, in omnibus[e] comendatum habere iubeatis.

His praelibatis, trinus et unus Deus noster sua vos extensionis dextera protegat, cum dulcissima coniuge excellentissima regina spiritale nostra commatre atque amantissimis vestris meisque filiis in solio regni sospites permanentes, et in praesenti vita et in aeterna beatitudine uberrime concedat valere.

Incolomem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

---

15. *Paulus I papa a Pippino rege auxilium petit contra Desiderium regem Langobardorum, qui cum Georgio legato imperiali pactionem fecerit hostiliaque exercere non cesset*[f].

(Cod. 21 a, Cen. p. 153 n. 2)

758—759 Item epistola eiusdem papae ad domnum Pippinum regem directa.

In qua continentur lamentationes et tribulationes, eo quod Desiderius rex consilium iniit cum Georgio imperiali misso, qui

a. dirimus *c.* b. Sergium — archiepiscopum *corr. in* Sergio — archiepiscopo *c.* c. *sequitur rasura sex fere litterarum.* d. sc̄issimumum *c.* e. onnibus *c.* f. *ex cod. f.* 32*v; ubi inter cod. ep.* 21 *et* 22 *nihil habetur nisi argumentum epistolae deperditae.*

1. Langobardi. 2. Ravennati. 3. ep. Nomentanum.

hic Franciae adfuit: ut imperator[1] suum exercitum in Italia contra Ravennam vel Pentapolim ac Romanam urbem ad conprehendendum mittat, et ipse Desiderius cum universo regno[a] Langobardorum in eius adiutorium vel solatium ea mala ad perpetrandum decertet; et quia cotidiae scamaras et depraedationes in eorum finibus faciebant; cum nimiis adiurationibus postulans adiutorium obtinere contra ipsos Langobardos. Et ideo minime in hoc volumine est scripta, quia prae nimia vetustate iam ex parte diruta. Tamen alia capitula in eadem non continentur inserta; sed sicut in superiore epistola legitur, sic et in ista scriptum reperitur. 758—759

---

16. *Paulus I papa Pippino regi Francorum nuntiat, Desiderium regem Langobardorum Romam venisse atque, si obsides ex Francia recepisset, Imolam se restituturum promisisse. Rogat, ut obsides dimittat pacisque foedus cum eo confirmet*[b]. (Cod. 29, Cen. 17)

Domino excellentissimo filio et nostro spiritali compatri Pippino regi Francorum et patricio Romanorum Paulus papa. 758—759

Dum tam copiosam omnipotens Deus suae benignitatis humano generi crebro irrogat misericordiam, valde admirandum est, quid retribui eius potentiae divinae aut quod carminum laudes longanimitatis ipsius humana fragilitas referre valeat. Quod quidem nos, tanto eius relevati beneficio — licet meritis nequaquam suffragantibus nostri eius potentiae melodicas persolvendum grates — tamen iuxta psalmigravi monita calicem salutaris accipiam et nomen Domini incessanter invocabo[2], inquiens: *Magnus es, Domine*[3], *et magna opera tua.* Magnificat namque

a. uniuersifegno *c.* b. *ex cod. f.* 89 — 89*v.* *Lemma:* Item exemplar epistolae eiusdem papae ad domnum Pippinum regem[a] per Georgium episcopum et Stephanum presbiterum seu Radbertum missos directae, in qua continentur gratiarum actiones pro defensione sanctae Dei ecclesiae, et praefatus papa poscens, ut domnus rex Pippinus Desiderio regi suos ospites restitueret et pacis foedera cum[b] eo confirmaret.

a. regre *c.* b. com *corr. in* cum *c.*

1. Constantinus IV. 2. Ps. 115, 13. 3. Tob. 13, 1.

758—759 anima mea Dominum[1], caro et lingua benedicit, quoniam respiciens respexit super humilitatem nostram et ad tam precipuum pontificale culmen, non nostris prosequentibus meritis, provexit.

Quam ob rem, dum eo dignante mediator Dei et hominum, speculator animarum institutus sum, commissa me apostularis[a] cura provocat atque ortatur omnino et indesinenter conpellit, salutem populi Dei pio studio procurare et pacem in cunctis[b] gentibus cum magna cordis constantia praedicare. Quoniam profecto beatitudinis gratiam promerentur, qui intrepide illam praedicare maluerint. Scriptum quippe est: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur*[2]; et rursum: *Quam speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona*[3]. Etenim, excellentissime fili et spiritalis compater, quoniam Deus omnipotens ex utero matris tuae te predistinatum habens, ideo te benedicens et in regem ungens, defensorem te et liberatorem sanctae suae ecclesiae constituit. Pro quo ea, quae ad utilitatem ipsius sanctae Dei ecclesiae respiciunt, per hos nostros apostolicos apices benignae excellentiae tuae deprecandum maturavimus.

Agnoscat siquidem excellentissima bonitas tua, quia coniungens ad limina apostolorum excellentissimus filius noster Desiderius rex pacifice atque cum magna humilitate; cum quo salutaria utrarumque parcium locuti sumus. Et pollicitus est nobis restituere civitatem Imulas; ea videlicet ratione: ut nostros ad tuam excellentiam dirigere debeamus missos, et suos hospites[4] quos ibidem ad vos habere videtur recipere debeat, et pacem cum eo confirmare studeatis[5]. Unde petimus te, excellentissime fili et spiritalis compater: ut iubeas ipsos ospites[4] praedicto filio nostro Desiderio regi restituere, et pacis foedera cum

a. postularis c. b. cuntis c.

1. Luc. 1, 46. 2. Matth. 5, 9. 3. Rom. 10, 15. 4. obsides. 5. Ex his litteris „quasi obtemperantibus Desiderii regis voluntati" (v. ep. 17) facile potest perspici, qua de re tum ageretur. Desiderius enim, cum Romae esset, nihil nisi Imolam reddere voluit, idque ea lege, ut Pippinus et obsides sibi restitueret et pacem secum servaret. Papam vero legimus in ep. 17, eodem tempore ad Pippinum clam Desiderio missa, postulavisse Imolam, Bononiam, Auximum, Anconam.

eo confirmare, et in magna amicitia[a] cum eo conversari; ut, 758—759 favente Deo, tuis laetabundis temporibus populus Dei utrarumque partium in magna securitate et pacis quiete dirigere valeat; quatenus longevum te omnipotens Deus in solio regni conservare dignetur.

Opere enim dreximus praesentes nostros fidelissimos missos, id est reverentissimum et sanctissimum fratrem et coepiscopum nostrum Georgium[1] atque dilectum filium nostrum Stephanum presbiterum[2], una cum Ruodberto[b] vestro misso ad vestram a Deo servatam excellentissimam prudentiam, ut ea ipsa eximietati vestrae enarrare debeant[3].

His praemissis, petimus divinam misericordiam, ut aevis ac laetabundis temporibus in solio regni, piis inherens operibus, conservare dignaetur, et vitam eternam concedat.

Incolomem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

---

17. *Paulus I papa Pippino regi moram Rodberti missi excusat. Desiderium Langobardorum regem narrat Pentapolensium civitates et Spoletinum Beneventanumque ducatus vastavisse, cum Georgio legato imperiali consensiones fecisse, deinde Romae morantem, civitatum restitutionem ea conditione pollicitum esse, ut obsides e Francia remitterentur. Superiores litteras pro non scriptis haberi vult. Hortatur, ut Desiderium armis constringat. Munera mittit*[c].

(Cod. 15, Cen. 18)

Domino excellentissimo filio et nostro spiritali compatri 758—759
Pippino regi Francorum et patricio Romanorum Paulus papa.

a. amititia *c.* b. Rödberto *c.* c. *ex cod. f.* 23*v* — 25*v*. *Lemma:* Item exemplar epistolae eiusdem papae ad domnum regem Pippinum missa pro[a] defensione sanctae Dei ecclesiae[a], significans, quod Desiderius Pentapoli depredavit et omnia alimenta populi ferro et igne consumsit, et quia Alboinum ducem Spoletinum in vinculis dotrusit, et quia

a. *pro — ecclesiae bis leguntur in cod.*

1. ep. Ostiensem. 2. tit. S. Caeciliae (postea Stephanum IV papam). 3. Istam epistolam una cum ep. 17 datam esse, et utriusque res arguunt et maxime iidem legati apostolici Georgius et Stephanus cum eodem revertente legato regio Ruodberto hic illicque commendati.

758—759 Quotiens perspicua eximiaetatis tuae merita mistica consideratione cernens cordis oculis confero, oppido me admirari convenit intemeratam superfluamque excellentiae[a] tuae mentis constantiam et ferventissimum affectum, quod circa Dei amorem et eius principis apostolorum inhianter[b] gestas; quoniam Deum magis quam hominibus favere niteris. Unde perspicuum est, vos prae omnibus regibus et potentibus piis pollere operationibus; quia, adsumpto caelesti triumpho, ultro te, excellentissime fili et spiritalis compater, ad liberandum Dei ecclęsiam adhibuisti. Et ideo, ut ipsud piae operationis vestrae certamen effectui mancipetur, crebro nos congruit, sicut liberatori ipsius sanctae Dei aecclesiae et eius peculiaris populi, apostolicos dirigere apices; primum omnium, ut nobis super omnia nectarea dulcia existunt et desiderabilia prosperitatis vestrae gaudia addiscere; deinde vero, quae sanctae ecclesiae Dei et nobis consistunt necessaria, quantotius intimare.

At vero, excellentissime fili et noster spiritalis compater, agnoscas: nos pridem per apostolicas litteras eximiaetati[c] tuae innotuisse, quae in his partibus a Desiderio Langobardorum rege impie peracta sunt atque crudeliter perpetrata[1]. Igitur dum tam perniciosam eius operationem cerneremus, aptum prospeximus, praesentem fidelissimum vestrum missum Rodbertum hic apud nos detinere; quatenus, quid cepta iam fati Desiderii regis vel[d] Longobardorum populi malitia pareret, praesentialiter agnoscens atque conspiciens, vestram certiorem reddidisset eximiam praecellentiam[e].

Etenim sicut pridem ecce et nunc innotescimus a Deo servate excellentiae vestrae: quod praefatus Langobardorum rex,

dux Beneventanus in Otorontana civitate retrusus, alium ducem Argisem in Be(ne)vento constituit, et quia locutus est cum misso imperiali Georgio, et invitavit exercitum imperatoris in Italia cont(ra) Ravennam et exercitum de Sicilia contra Otorantanam civitatem, et professus est eam tradere partibus imperialibus; vel aliis pluribus capitulis.

a. excelticae c. b. inhanter c. c. eximiaetatis c. d. *sequitur* et *erasum*. e. p̄cellentia c.

1. V. ep. 15 supra p. 74.

Pentapolensium per civitates transiens quas beato Petro pro magna anime vestrae mercede contulistis, ferro et igne omnia sata et universa, quae ad sumptus hominum pertinent, consumpsit. Sicque Spolaetinos et Beneventanos[a], qui se sub vestra a Deo servata potestate contulerunt, ad magnum spretum regni vestri desolavit, atque ferro et igne eorundem ducatum loca et civitates devastavit. Et conprehensum Alboinum ducem Spoletinum cum eius satrapibus, qui in fide beati Petri et vestra sacramentum prebuerunt, infixis in eis pessimis vulneribus, in vinculis detinet. Adpropinquante autem eo Benevento, ilico dux Beneventanus[1] fugam arripuit[b] in Otorantinam civitatem[2]. Et dum diu immineret, ut ex ipsa sua civitate[c] eundem ducem suaderet et nequaquam in eo suam adimplens voluntatem, constituit ducem alium in eodem Beneventano ducatu nomine Argis. 758—759

Et confestim dirigens Neapolim, isdem Desiderius rex accersivit Georgium imperialem missum, qui ad vos Franciam directus fuerat[3]. Cum quo nefariae clam locutus est, iniens cum[d] eo consilium; atque suas imperatori[4] dirigens litteras, adhortans eum: ut suos imperiales dirigat exercitus in hanc[e] Italiam provintiam. Et ipse Desiderius cum universo Langobardorum populo professus est — Deo sibi contrario — auxilium[f] prelatis imperialibus exercitibus inpertire; quatenus — ex una parte ipse imperatoris[g] exercitus et ex alia isdem Desiderius cum universo Langobardorum populo — utrique dimicantes Ravennantium civitatem conprehendere queant, suamque imperator, quod Dominus non permittat, adimplere valeat in quodcumque voluerit voluntatem.

Nam et hoc cum eodem Georgio imperiali misso constituit, ut dromonorum Siciliae stolum[h] in Otorantina[i] civitate diriga-

a. Spolaetinus et Beneventanus *c.* b. arpuit *c.* c. *sequuntur haec:* ut ex ipsa civitate. d. cum cum *c.* e. hac *c.* f. ausilium *c.* g. ipse imperatoris *scripsi pro* ipsamperatoris *c.* h. stolum *scripsi pro* istorum *c.* i. Otorantina *c.*

1. Liudprandus. 2. Hydruntum. 3. V. ep. 15 supra p. 74. 4. Constantino IV.

758—759 tur, ut tam Greci quamque Langobardi ipsam opsidentes conprehendere valeant civitatem; eamque concedat imperatori cum hominibus et facultatibus, quae in ea consistunt; et tantummodo ducem[a] illum[1] atque eius nutritorem Iohannem praedicto regi restituant[b].

Post vero dissolutionem eorundem ducatuum coniunxit hic ad nos Romae isdem Langobardorum rex. Et cum eo loquentes, nimis eum adortati sumus et per sacratissimum corpus beati Petri atque etiam per tuam a Deo protectam excellentiam fortiter illum coniuravimus: ut civitates illas, id est Immulas Bononia Ausimum et Ancona — quia eas[c] nobis praesentaliter[2] simul et per[d] vestros missos, id est Folradum Deo amabilem abbatem[3] et presbiterum atque Rodbertum, excellentissime christianitati tuae et per te etiam beato Petro apostolorum principi pollicitus est[4] redditurum — restituere deberet. Quod minime adquiescere inclinatus est. Sed simulans ut certe strofarius[5], varias[e] occasiones adhibuit; inquiens: ut si suos, quos illic Frantia habere videtur, obsides reciperet, tunc in pacis concordia nobiscum conversaretur.

a. tantūmoducem *c.* b. restuant *c.* c. quia eas *scripsi pro* quias *c.* d. per *om. c.* e. arrias *c.*

1. Liudprandum ducem Beneventanum. 2. in Tuscia intervallo mensium Decembris a. 756 (post Aistulfi regis mortem v. supra p. 11) et Martii a. 757, sub Stephano III papa. Nam in Vita Stephani III (Lib. pont. ed. Vignolius II 122 squ.) leguntur haec: „Ad haec praefatus Desiderius obnixe praedictum beatissimum pontificem (Stephanum) deprecabatur, ut sibi auxilium ferret, quatenus ipse regalem valeret assumere dignitatem; spondens iureiurando, omnem se ipsius beatissimi pontificis impleturum voluntatem; insuper et civitates rei publicae quae remanserant redditurum ... Tunc isdem praecipuus pater et bonus pastor, cum praefato Fulrado venerabili presbytero et abbate .. inito consilio, misit suum germanum, Paulum scilicet diaconem (post paulo papam factum) atque Christophorum consiliarium una cum eodem Fulrado in partes Tusciae ad praedictum Desiderium. Cum quo locuti, confestim per scriptam paginam sub terribili iuramento isdem Desiderius cunctam se professus est superius adnexam adimpleturum sponsionem". 3. S. Dionysii. 4. Non tangit papa promissionem Desiderii paulo ante Aprilem a. 760 (v. ep. 19 infra) per Remedium et Aucharium, Pippini legatos, factam. Qua de causa epistolam hanc ante a. 760 datam esse liquet. 5. tergiversator.

Unde petimus te, excellentissime fili et spiritalis compater, 758—759
et obnixe deprecamur a Deo inspiratam eximietatem tuam: ut iubeas perfectam liberationem sanctae Dei ecclesiae et eius peculiaris populi exercere, et ita id, quod magna anime tuae mercede beato Petro pollicitus es, firmiter[a] permanere. Ipsumque Desiderium[b] Langobardorum regem fortiter constringere digneris, ut prolatam ab eo[c] promissionem beato Petro protectori vestro restituere debeat atque in omnibus adinplere. Tuique studii sit, bone potentissime rex, sicut caepisti, perfectius hanc sanctam Dei aecclaesiam et eius peculiarem populum de hostium incursione eruere; ut annuente Deo certamen benigne operationis tuae uberrime fecundetur, quatenus in die adventus domini dei et salvatoris nostri Iesu Christi luceas sicut radiantissimus sol inter universos reges et potentes, atquae merearis ipsam sanctam Dei ecclęsiam et eius populum tuo adminiculo ereptum divinae[d] maiestati absque ulla lesionis saevitia offerre, et tunc centuplum remunerationis ab eodem domino Deo nostro iusto iudice percipere et vitam aeternam possidere merearis[1].

Coniuro te, fili excellentissime, per omnipotentem Deum et eius principem apostolorum beatum Petrum, ut benigno intuitu ac[e] libentissimo animo nostras preces audire iubeas; ut et Deus tibi[f] omnipotens in his, quae eius potentiam deprecatus fueris, suae divinitatis aures inclinet, et victorem te super omnes barbaras nationes faciat. Omnes enim omnino gentes, quae super faciem universae terrae consistunt, conpertum habent tuum certamen, quod ad defensionem sanctae Dei ecclesiae adhibuisti; et magnum te ac praecipuum regem laudabiliter asserunt. Sed et nos bonam tuam famam longe lateque protelare atque dilatare non desistimus in eo, quod certe post Deum sicut murum inexpugnabilem tuam firmissimam fidem in nostro pectore conferimus; magnam in te post Dei presidium possidentes spei fidu-

a. firmiteer *c.* b. siderium *c.* c. adō *corr. in* abō *c.* d. divina *c.* e. at *c.* f. ibi *c.*

1. Cf. Matth. 19, 29.

758—759 ciam, quod et plerumque obtatum[a] tuae inmaculatae promissionis fideique meritum consecuti sumus.

Etenim magnopere praesentes nostros missos, id est reverentissimum et sanctissimum fratrem et coepiscopum nostrum Georgium[1] atque dilectum filium nostrum Stephanum presbiterum[2], ad vestram a Deo custoditam excellentiam misimus. Dumque vestris Deo imitabilibus[b] vestigiis fuerint una cum Rodberto fidelissimo vestro misso praesentati, cuncta viva voce christianissimae excellentiae vestrae, quae acta sunt et rei exigit meritum nobisque necessaria existentia, intimabunt.

Maximo namque desiderio noster[c] anhelabat animus, apostolicas excellentiae vestrae dirigere litteras salutationis[d] ac visitationis ob causam et rerum eventus significandum; et minime valuimus, inminentibus circumquaque Langobardorum regis insidiis. Attamen ecce iam duas apostolicarum litterarum adsertiones excellentiae vestrae clam per maximam industriam misimus; et ignoramus, si ad vos ipse pervenerint littere; unde ambigimus, ne a Langabardis conprehendantur[e].

Pro quo et nunc per praenominatos nostros missos alias vobis litteras[3] misimus — quasi obtemperantes prefati Desiderii regis voluntati — suos hospites[4] absolvendum et pacem confirmandum. Sed, bone excellentissime fili et spiritalis conpater, ideo ipsas[f] litteras tali modo exaravimus, ut ipsi nostri missi ad vos Franciam valerent transire; quoniam si hoc non egissemus, nulla penitus ratione per Langobardorum fines transire valuissent. Sed, susceptis ipsis litteris, earum seriem nullo modo perficiatis; neque praefatos hospites[4] permittatis[g] parti Langobardorum restituere[h]. Potius autem coniuramus te, excellentissime fili et spiritalis compater, per Deum vivum et corpus beati Petri: ut fortiter ipsum Desiderium vel eius Langobardorum gentem constringere iubeas; quatenus praefatas, quas pol-

a. optatum *scripsit Lambecius pro* obtam *c.* b. amitabilibus *c.* c. nostro *c.* d. salutationes *c.* e. conp̄hen...tur *c.* f. issas *c.* g. permittitas *c.* h. restituerae *c.*

1. ep. Ostiensem. 2. tit. S. Caeciliae. 3. ep. 16 supra p. 75. 4. obsides.

licitus est[a], civitates tuae mellifluae excellentiae et per te beato 758—759
Petro fautori[b] tuo restituat. Quoniam nullam, ut praelatum est, de his, quae primitus pollicitus est, cum eo firmam valuimus stabilire convenientiam.

Oramus autem omnipotentem Deum: ut pio intuitu de throno[c] maiestatis suae super vos vestrumque regnum respiciat, et sua dextera excellentiam[d] vestram circumtegat atque in omnibus muniat, et presentis vitae cursum salubriter exsequi et regni potentiam gubernare permittat per plures annorum mętas una cum excellentissima et a Deo servata filia et spiritali nostra commatre[1] atque amantissimis vestris meisque filiis; et gaudeatis de eorum florigero germine; et mittat omnipotens Deus, ut semen vestrum splendidissimum usque in finem mundi eundem regni fruatur culmen; etiam venturo in saeculo infinita gaudia cum sanctis et electis suis vobis concedat, quatenus sicut in praesenti vita et in futura beatitudine[e], adepti promissam vobis mercedis coronam, cum Christo regnare mereamini.

Incolumem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

EMBOLUM.

Pro vere[f] benedictionis causa direximus vobis apallaream unam spatam ligatam in gemmis cum balteum suum; anulum unum, habentem iacinthum; storacin pallium unum, habentem paones. Quam parvam[g] benedictionem petimus ut excepta iniuria suscipere iubeatis. Domno Carolo et Carlomanno pro magna apostolica benedictione anulos singulos, habentes yacinthos.

a. est *om. c.* b. faustori *c.* c. thro *c.* d. ecellentiā *c.* e. beatitududine *c.* f. verȯ *c.* g. parva *c.*

1. Bertrada regina.

18. *Paulus I papa Pippino regi Francorum Georgium episcopum Ostiensem, legatum suum, commendat. Filium eius nuper natum baptizare cupit*[a]. (Cod. 23, Cen. 21)

759 ex.— 760 in. Domino excellentissimo filio nostro spiritali compatri Pippino regi Francorum et patricio Romanorum Paulus papa.

Solet epistularis visitatio mentem semper reficere[b] et materia quodam modo caritas existere. Quia ergo spiritalium dilectio sincera[c] filiorum paternos sustinet desideranter[d] affectus, summa nos cum alacritate implere convenit, quod pure conscientiae deposcit affectus; et licet ad reddenda paternae caritatis officia, prolixitate itineris imminente, raritas portitorum impediat. Quotiens autem necessitas inciderit occasio[e], excellentissimam christianitatem vestram non desistimus scriptis discurrentibus visitare et honore solito amplectentes utilitate[f], quatenus hoc, quod oculis carnalibus praesentium videre non possumus, eos aliquatenus scriptis valeamus alternantibus intueri.

Itaque ita ubique Deo inlustrate excellentiae vestrae merita diffusa divulgavit opinio, ut ex rebus ab ea gestis omnibus laudabiliter demonstretur. Unde, in quantum valet nostri oris assertio, protense laudationis adtestatione vestrae eximietati gratiarum reddentes actiones, aptum prospeximus: praesentem sanctissimum atque reverentissimum fratrem Georgium[1] et coepiscopum nostrum illuc usque ad vestra praeclara Deo imitabilia[g] transmittendum vestigia, cui singillatim[h] omnium spiritalis matris vestrae sanctae Dei ecclesiae et istius a vobis redempte provintiae utilitatum necessitates a Deo protegende sublimitati vestrae excellentiae referendas[i]. Sed petimus, a Deo servate fili et spiritalis compater benignissime rex nosterque post Deum libe-

a. *ex cod. f.* 83—84. *Lemma:* Item exemplar epistolae eiusdem papae ad domnum Pippinum gloriosum regem, per Georgium episcopum directa, in qua continentur gratiarum actiones pro liberatione sanctae Dei ecclesiae; et in emboli postulat, ut filium eius, qui tunc natus fuit, ut ex sacro babtismatis fonte excipere mereretur. b. *sic scripsi pro:* Solet epistularis latio mentem semper visita reficere *c.* c. sincere *c.* d. desidenanter *corr. in* desideranter *c.* e. occosio *c.* f. *sic.* g. imitalia *c.* h. singiblatim *c.* i. *sic.*

1. ep. Ostiensem.

rator, et obnixae deprecamur: ut iubeas eundem nostrum missum benigno solitoque gratulationis aspectu commendatum suscipere. 759 ex.—760 in.
Nostrisque postulationibus, quae ad exaltationem sancte[a] Dei ecclesiae et maximae ad tuae anime mercedem et aeternam memoriam respiciunt, a Deo inpulsas benignitatis tuae aures et congruum atque velotiorem de cunctis adhibere digneris effectum. Quoniam, sublimissime regum, amantissimę fili et spiritalis compater, ad hoc te omnipotens Deus sanctae suae ecclesiae voluit per manus beati Petri liberatorem adesse, ut tuo solito praesidio plenissima salus et redemptio sanctae suae Dei ecclesiae et istius provintiae proficiat.

Orantes dominum Deum nostrum, qui actus vestros ita sua pietate disponat, quatinus excellentiae vestrae praesentis vitae spatia cum prosperitate disponat, victoria regni gubernacula perfruens longeviter exequatur, et ad promissionis aeternae praemia cum dulcissima coniuge excellentissima regina spiritale nostra commatre et eximiis natis idem regibus cum securitate pertingat et in celestibus regnis cum sanctis et electis suis utrosque vestrum isdem omnipotens Deus faciat perenniter gratulari.

Incolumem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

Inter ea, sublimissime regum, nostrae praelatum est notioni, quod Dei nutu novum regem[1] ex vestris visceribus ad exaltationem sanctae suae ecclesiae omnipotens Dominus contulit; de cuius nativitate maximo gaudio sumus relevati. Unde obnixe te petimus, ut a sacratissimo baptismatis lavacro eundem eximium[b] vestrum filium suscipere mereamur; quatenus duplex Spiritus sancti gratia fiat in medio nostrum et gemine festivitatis nobis oriatur laetitia.

a. see *c.* b. eundē maximium *c.*

1. Pippinum, Pippini regis filium, a. 759 natum.

19. *Paulus I papa Pippino regi Francorum significat, inter legatos eius et Desiderium regem Langobardorum convenisse, ut omnes b. Petri possessiones sibi restituerentur. Earum partem iam redditam esse, idque ut ei significaretur, Desiderium rogasse. Petit, ut omnia Stephano III promissa solvi iubeat. Petrum presbyterum commendat*[a].

(Cod. 21, Cen. 20)

760 ante Apr. Domino excellentissimo filio et nostro spiritali compatri Pippino regi Francorum et patricio Romanorum Paulus papa.

Quia excellentia vestra merito bonorum operum superno examine fuerit comprobata, ipsis iam in manifesto rerum est exhibitarum effectu demonstratum; dum nimirum, adepta desuper divinae sapientiae participatione, regalis fastigii sceptra caelesti benedictione constet effectius promeruisse. Unde — cum sibi hanc ab omnipotente Deo gratiam missam eximietatem vestram non ambigit profecto ei placere, qui eam contulit — totis intendit nisibus et pro eius, quam suo eruit divino nutu certaminae, scilicet sanctae universalis ecclesiae et exaltationis vigore decertare non desistit cordis sui oculis a Deo protegenda eximietas vestra; adhibens illa, quae sibi pro huiuscemodi laboris fructu a beato apostolorum principe Petro caelorumque regni clavigero aetherea promissa sunt premia; ubi iam non humana inter homines[b] gloria, sed inter angelos divina numquam amittenda felicitate gaudetur. Exultaque et laetare, felicissime rex, quia, te annuente Deo certante[c], sancta spiritalis mater vestra universalis Dei ecclesia ab emulorum insidiis erepta atque exaltata triunphat, fidesque orthodoxa tuo zelo et fortitudinis brachio inlibata ab ereticorum iaculis consistit. Pro quo beatus et iustus effectus es in omnibus operibus tuis, fili dulcissime et spiritalis compater, victoriosissime[d] eximieque rex.

a. *ex cod. f.* 81*v* — 82*v*. *Lemma:* Item exemplar epistolae eiusdem papae ad domnum Pippinum regem per Petrum presbiterum directa, in qua continentur abbasciatum Remedii episcopi et Audegarii comitis, qualiter iustitias beati Petri apostolorum principis apud Desiderium quondam regem ex parte receperunt, et reliquas iustitias faciendum pollicitus est. b. homine *c.* c. certamine *c.* d. victorosissime *c.*

Indicamus siquidem praecelsae christianitati vestrae, quod nuper, dum ad nos coniunxissent fidelissimi missi[a] vestri, scilicet a Deo amabilis Remedius[1] germanus[b] vester atque Aucharius gloriosissimus dux, constitit inter eos et Desiderium Longobardorum regem: ut per totum instantem Aprilem mensem[c] istius tertiae decimae indictionis[2] omnes iustitias fautoris vestri beati Petri apostolorum principis — omnia videlicet patrimonia, iura etiam et loca atque fines et territoria diversarum civitatum nostrarum rei puplicae Romanorum — nobis plenissime restituisset. Unde eccae ex parte quidem eisdem iustitiis nobis isdem Langobardorum rex fecisse dinoscitur; et reliquas omnes iustitias se profitetur atque omnino spondet nobis esse facturus.

760 ante Apr.

Quapropter inpensius nos prelatus Desiderius Langobardorum rex obsecratus est, ut vestrae a Deo protectae excellentiae nostris apostolicis relationibus intimare debuissemus. Et ecce, sicut nostro post Deum liberatori, hoc ipsud eximiae atque sublimissimae et a Deo protectae christianitati vestrae per has apostolicas nostras innotuimus syllabas; dirigentes magnopere ad vestram a Deo inspiratam praecelsam sublimitatem praesentem dilectum filium nostrum Petrum presbiterum. Quem petimus benigno solite aspectu a vobis suscipi, et cum effectu atque prospero nuntio de perfecta plenariaque iustitia diversarum causarum fautoris vestri beati Petri apostolorum principis ad nos remeandum absolvere dignemini.

Si vero in ea, quam[d] prelatus Desiderius rex vel eius Langobardorum gens profitentes pollicentur, permanserint sponsione nobisque omnia[e], secundum ut constitit et pactuum foedera continentur, restituta ab eis nobis fuerint, tunc a Deo conservandae excellentiae vestrae meritum intimantes innotescimus rei.

Unde obsecrantes petimus et obnixe deprecamur immo et coniuramus te, excellentissimae atque christianissimae rex amantissime fili et spiritalis compater, per omnipotentem Deum et

a. fidelissimissi *c.* b. germa *c.* c. mensis *c.* d. quae *corr. in* quam *c.* e. somnia *c.*

1. ep. Rotomagensis, filius Caroli Martelli. 2. Aprilem a. 760.

760 ante Apr. beatum Petrum qui te in regem unxit: ut perfectius ea, quae pertinent ad exaltationem et ad ampliatam liberationem sanctae Dei ecclesiae et istius a vobis redemptae provintiae, sicut beato Petro et nostro praedecessori pontifici sanctae recordationis domino et germano nostro beatissimo Stephano papae polliciti estis, cuncta perficere et adimplere iubeatis, quatenus promissam[a] et repositam vobis mercedis coronam de mano omnipotentis Dei recipiatis; orantes de reliquo omnipotentis Dei nostri misericordiam, ut sua vos circumtegat gratia una cum dulcissima coniuge excellentissima[b] regina filia et spiritali nostra commatre atque amantissimis natis idem idem[c] praecelsis regibus et presentis regni culmen triumphum victoriae possidere et[d] eterna gaudia in celestibus regnis cum sanctis perfrui cedat.

Incolumem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

---

20. *Paulus I papa Pippino regi litteras mittit fidelium significantes, patricios sex a Constantinopoli cum classe Romam versus tenere, in Franciam inde navigaturos. Desiderium regem et promissi fidem fallere et in fines suos irruere minacesque ad se litteras dedisse, queritur. Subsidium petit, legatosque cupit et Romam et ad Desiderium mitti*[e].

(Cod. 24, Cen. 38)

760 post Apr. Domino excellentissimo[f] filio et nostro spiritali compatri Pippino regi[g] Francorum et patricio Romanorum Paulus papa.

A Deo institute praecellentiae vestrae his nostris apostolicis sullabis, bone potentissime rex fili excellentissime et spiritalis compater, sicut nostro post Deum liberatori ea, quae ad agnitionem nostram de diversis adveniunt partibus, summopere innotescere studemus.

a. promissa *c.* b. excellentissime *c.* c. *sic c.* d. et *om. c.* e. *ex cod. f.* 34 – 34*v. Lemma:* Item exemplar epistolae eius papae ad domnum Pippinum regem directa, in qua continetur, quod (s)ex pa(tri)tii cum trecentis navibus et stolum de Siciliae partibus Romae vel Frantiae properant, et de iustitiis sanctae Dei ecclesiae, quas Desiderius coram missis suis facere promisit, quia nihil exinde, sicut pollicitus fuit, adimplevit. f. excellentissime *c.* g. regi *om. c.*

Agnoscat siquidem eximietas vestra: intimasse[a] nobis quidem sincerissimi fideles spiritalis matris vestrae sanctae nostrae ecclesiae, quod sex patricii, deferentes secum trecenta navigia simulque et Siciliensi stolum, in hac Romana urbe absoluti a regia urbe ad nos properantur. Quid eos velle acturos aut pro qua diriguntur causa, rei veritatem ignoramus. Hoc tantum nobis nuntiatum est: quod ad nos progredi et vestram summe laudabilem praecellentiam Franciam gradiendi[b] sint[c] dispositi. Easdemque nobis distinatas litteras infra hec nostra scripta vestrae excellentiae direximus intuendas. 760 post Apr.

Itaque et hoc conservande eximiętati vestrae innotescimus: quod — quemadmodum in praesentia missuum[1] vestrorum constitit cum Desiderio Langobardorum rege: ut nostras Romanorum iustitias ex omnibus Langobardorum civitatibus plenius primitus recipissemus[2], et ita postmodum ad vicem ex omnibus nostris civitatibus in integro[d] Langobardis[e] fecissemus iustitias — freti in huiuscemodi eius pollicitatione, quam in praesentia praedictorum missuum vestrorum exibuit, nostros missos direximus ad easdem recipiendas faciendasque iustitias. Ipse vero, varias adhibens occasionum versutias, nequaquam nobis primitus, ut constitit, plenarias de omnibus suis civitatibus facere voluit quas exquirimus iustitias, et ita demum suas in integro ex omnibus nostris civitatibus recepisse. Sed singillatim tantummodo de una civitate facere, et de alia recipere maluit; volens pro hoc dilationem inferre, ne pars nostra[f] Romanorum propriam consequatur iustitiam. Et ecce nostri missi[g] nihil inpetrantes ad nos sine effectu reversi sunt[3]. Et plures depraedationes[h] ex tunc

a. intimassae *c.* b. ´gradiendi *c.* c. sųnt *c.* d. in integro *scripsi pro* in tergo *c. Cf. infra.* e. in tergo Langobar *in litura.* f. ura *c.* g. mis *c.* h. depcationes *c.*

1. Remedii ep. Rotomagensis et Aucharii ducis. 2. V. ep. 19 supra p. 87: „dum ad nos coniunxissent fidelissimi missi vestri scilicet — Remedius — atque Aucharius —, constitit inter eos et Desiderium Longobardorum regem: ut per totum instantem Aprilem mensem istius tertiae decimae indictionis (Apr. 760) omnes iustitias fautoris vestri — omnia videlicet patrimonia, iura etiam ... diversarum civitatum nostrarum rei publicae Romanorum — nobis plenissime restituisset". 3. Itaque post m. Aprilem a. 760 scripta haec epistola est; cf. supra n. 2.

760 post Apr. atque multa et inaudita mala in nostris inmittit finibus. Unde ecce suas confestim direxit litteras, per quas, confidens in sua ferocitate, Deum prae oculis non[a] habens nec beatum principem apostolorum Petrum metuens, comminationes[b] nobis direxit et inania detractionum verba protulit. Quas et de praesenti infra hanc nostram exarationis seriem vestro praefulgido et a Deo instituto culmini direximus, ut earum praecelsa eximietas vestra agnoscens textum, consideret, quanta sit eius malitia et elationis cordis superbia, in id quod, contra beatum Petrum et vestram regalem potentiam se erigens, malitias nobis comminatur[c] inferre.

Sed nos spem nostram post Deum sicut inexpugnabilem murum firmissimam in vestram a Deo conroboratam excellentiam habemus. Pro quo flexo poplite[d] petimus et per nos etiam beatus Petrus apostolorum princeps vestram adgreditur eximiam praecellentiam: quatenus, inspiratus ab omnipotente Deo qui vos sanctae suae ecclesiae defensorem ac liberatorem constituit, salutem nostram amplissime procurare et contra omnium nostrorum[e] inimicorum ferocitatem et arrogantiam solite[f] auxiliator et protector noster existere iubeas, christianissimae et spiritalis compater, quatenus lucratissimum[g] praemium a redemtore nostro domino Deo, intercedente beato Petro apostolorum principe, consequi mereamini, et sicut terrenum ita et celeste regnum cum sanctis et electis Dei per infinita secula consequi mereamini.

De omnibus vero subtili enarratione praesenti Coniberto, vestro fidelissimo vasso, iniunximus cuncta liquidius[h] vestrae regali potentiae sucgerendum.

Sed et hoc obnixę[i] postulamus benignam excellentiam vestram: ut missos vestros aptos, quales vobis placuerint, ad nos dirigere debeatis, qui in nostro inveniantur esse ausilio. Unus tamen ex eis usque Ticino properare debeat, ut, dum cum Desiderio rege loquatus fuerit, quicquid eis in responsis reddiderit,

a. no *c.* b. comnationes *c.* c. comminatas *c.* d. popplite *c.*
e. nro *c.* f. solit *c.* g. lucritissimum *c.* h. aliquidius *c.*
i. hbnixę *c.*

vestrae excellentiae renuntiet. Reliqui vero duo cum vestro 756
disposito et ordinatione apud nos coniungere festinent, ut in post Apr.
nostro, ut dictum est, consistant auxilio.

Incolomem[a] excellentiam vestram gratia superna custodiat.

---

21. *Paulus I papa Pippino regi de praesidio promisso gratias agit. Desiderio, irruptiones superiore anno factas infitienti, ne tribuat fidem petit. Mensam, quam missi eius attulissent, in S. Petri ecclesia sollemniter collocatam nuntiat. Georgium et Petrum arbitrio eius permittit*[b].

(Cod. 14, Cen. 39)

Domino excellentissimo filio et nostro spiritali[c] compatri 761
Pippino regi Francorum et patricio Romanorum Paulus papa.

Cum maximo honorificentiae conatu et dilectionis affectu quas preclara excellentia vestra misit litteras, adferentibus Andrea et Gunderico sollertissimis viris christianitatis vestrae missis, acceptantes suscepimus[d] litteras. Quibus solita gratulatione[e] laetitia relegentes et mente et corde oppido sumus laetati, dum per eas optata nobis desiderio affectio et letitiae[f] cumulum de vestra amplissima prosperitate nobis confertum est; Deo omnipotenti inmensas referentes grates, qui nos, iuxta ut crebro optamus, de vestra inmensa sospitate laetos reddere annuit. Nihil enim nobis dulcius nihil suavius in hac vita extitit, quam vestrae incolomitatis gaudia assiduae prosperis relationibus addiscere; dum nimirum prosperitatis vestrae laetitia sanctae Dei ecclesiae exultatio et omnium orthodoxorum extitit uberrima defensio.

Et eis denique a vobis[g] directis syllabis nos certos et in omnibus reddidistis: vos paratos adesse in adiutorium et defensionem sanctae Dei ecclesiae, in quibus necessitas ingruerit; at-

a. incolumem *corr. in* incolomem *c.* b. *ex cod. f.* 22—23*v.* *Lemma:* Item exemplar epistolae Pauli sanctae recordationis Romanae antestite per Andream et Gundricum missa, in qua continentur gratiarum acciones et postulationes, volendo adiutorium optinere contra Langobardos. c. spirilitali *c.* d. soscepimus *c.* e. *an* gratulationis? f. letitia *c.* g. a nobis *c.*

761 que in ea vos fide et dilectione firmiter esse permansuros, quam[a] beato Petro apostolorum principe atque beatissime recordationis domno et germano meo Stephano sanctissimo papae polliciti[b] estis; omnia adpleri et inviolabiliter[c] conservari adfirmantes, quae eidem Dei apostolo polliciti[d] et ob veniam delictorum vestrorum confessi[e] estis. Quod[f] quidem nos, dum cor excellentiae vestrae in manu Dei est et divina benedictione sanctae unctionis gratia per apostolum eius et regni caelorum clavigerum beatum Petrum in regem, excellentissime atque praecellentissime rex, esse dinosceris[g] unctus, magna nobis id est confidenti spes: quod in ea ipsa caritate et dilectione atque promissione, quam caelestis regni ianitori spopondere studuistis, vos firmiter esse permansurum; dum et procul dubio et per litteras et vestros[h] sedulae destinatos missos nobis confidendi materia conferitis.

Unde et nos firmiter in vestra caritate et dilectione cunctis diebus vitae nostrae erimus permansuri; et nullus nos poterit per quamlibet temporum interruptionem a vestro amore et caritate atque dilectione[i], que[k] medio nostrum adnexa est, separare. Pro quo obnixis deprecationibus queso et coram terribili futuro iuditio excellentiam vestram coniurans deprecor: ut, iuxta quod ex vestro mellifluo ore prolata et beato Petro promissa sunt, firma constantia permanere iubeatis; respuentes inimicorum sanctae Dei ecclesiae et fidei orthodoxe inpugnationum inpias suasiones et inanes promissiones, et Deo magis et beato Petro semper placere procurate, qui vobis presentis regni gubernacula tribuit; quatenus, ut[l] temporalis regie potestatis vel culmen largiri dignatus est, caelestia quoque vobis regna perenniter tribuat possidenda, et inmensas de ostibus apostolorum principis suffragiis largiri dignetur victorias.

De eo vero, quod innotuit excellentia vestra, vobis a Desiderio[m] Langobardorum rege[n] esse insinuatum, nullam malitiam vel invasionem a Longabardis in nostris partibus fuisse infertas,

a. cum *c.* b. solliciti *c.* c. et violabiliter *c.* d. pollititi *c.* e. consessi *c.* f. *an* quoad? g. dinoscetur *corr. eadem manus in* dinosceris. h. ur̄is *c.* i. lectione *c.* k. qūe *c.* l. et *c.* m. derio *c.* n. regē *c.*

omnino credat nobis benivola excellentia vestra, non veridice in 761
hoc vobis direxisse[a]. Etenim, benignissime fili et spiritalis
noster compater christianissime rex, dum tantas sedulae ab eis-
dem Longabardis devastationes in nostris finibus ac civitatibus
facte fuissent et a nobis ex hoc ammonitus fuisset, comminatio-
nis suae ad nos direxit litteras; quas, necessitate coacti, infra
nostras apostolicas litteras[1] hoc preterito anno[2] vestrae excellen-
tiae dreximus intuendas. Hostiliter quippe in civitate nostra 760
Synogaliense pergentes, ferro et igne, que extra eandem civita- post Apr.
tem consistebant, devastaverunt et, plurimam exinde abstollentes
praedam, aliquantos ibidem interfecerunt homines. Similiter et
in partes Campaniae[b], id est castro nostro qui vocatur Valentis,
hostiliter inruentes, talia sicut pagane gentes egerunt. De qui-
bus usque hactenus nequaquam iustitiam ab eis recipere valui- 761
mus. Et ideo[c] excellentiae vestrae direximus: ut vestrum
annuissetis dirigere missum, quatenus eius presentia inter par-
tes iustitiae[d] provenissent, ut non ex hoc aliqua a nostra vel
Langobardorum parte ad easdem proveniendum iustitias dilatio
proveniret. Unde pro vestra amplissima satisfactione adproba-
tionem fecimus in praesentia praedictorum vestrorum fidelium
missorum[3] cum iam dictis Langobardorum regis missis; et satis-
facti sunt vestri missi de tantis iniquitatibus, et cognoverunt
nostram[e] veritatem et eorum mendacium. Et ob hoc non
possumus tantas ab eis nobis sedule infertas malitias tacere.
Sed necesse nobis: vestro regali culmini, utpote post Deum huius
provintiae liberatori, cuncta innotescere; quo per vos omnis
istius provintiae a vobis redempte populus ad suam pertingere
valet iustitiam.

Inter ea, praecellentissime ac[f] benignissime rex christianis-
sime fili et spiritalis compater, suscepimus et mensam illam,
quam olim sanctae recordationis domino et germano nostro bea-

a. direxiseus c. b. Cappaniae c. c. idoo c. d. iustiae c. e. ve-
stram c. f. ae c.

1. V. ep. 20 supra p. 90. 2. 760 (post Apr.).. Hinc palam fit, istam
epistolam 21 scriptam esse anno 761. 3. Andreae et Gunderici.

761 tissimo Stephano papae et per eum beato Petro apostolo obtulistis. Quam et cum ymnis et canticis spiritalibus, laetaniae laudes solemniter Deo referentes, infra aulam ipsius principis apostolorum introduximus; quamque vestri missi in sacram confessionem, super corpus scilicet eiusdem caelorum regni ianitoris, ex vestri persona obtulerunt. Quam et chrismate unctionis sanctificantes et sacram oblationem super eam inponentes, sacrificium laudis Deo omnipotenti, pro aeterna animae vestrae remuneratione[a] et regni vestri stabilitate offeruimus; decernentes apostolica censura sub anathematis interpositione: nulli umquam licere, eam ab ecclesia beati Petri alienare. Et ecce memorale vestrum in eadem apostolica aula fulgens permanet in aeternum; cuius remunerationem vos credite a iusto retribotore domino Deo et beato apostolorum principe Petro in caelestibus regnis adepturum.

De Georgio[b][1] itaque et Petro[2] quod innotuistis, omnino agnovimus. Sed hoc in vestrae voluntatis[c] arbitrio relaxamus, ut, qualiter vobis placuerit, ita ex eis agatis[d], sive illic apud vos eos detinendo sive etiam ad nos absolvendo. Quoniam omnia, quae vobis placita sunt[e], et nobis omnino congrua et prospera esse videntur.

Prelati denique missi vestri omnia, quae a vobis illis iniuncta extiterunt, liquidius nobis retulerunt. De quibus ad singula responsum reddimus, eosque de cunctis informatos ad vos enarrandum absolvimus; perfitientes et causam predicti Andreae[3], ut eius fuit voluntas et vestra extitit preceptio.

Omnipotens autem Dominus, qui dives est in misericordiis[4], suae extensionis brachio vos continua defensione protegat et omnes adversarios ac rebelles vestris regalibus subiciat vestigiis; tribuens longeviter ac salubriter, una cum excellentissima

a. remuneratione *c*. b. Regio *c*. c. voluntatis voluntatis *c*. d. agratis *c*. e. suntunt *c*.

1. ep. Ostiensis aut exeunte a. 759 aut ineunte a. 760 ad Pippinum misso. V. ep. 18 supra p. 84. 2. Petro presbytero, quem scimus ante Apr. a. 760 ad regem missum esse. V. ep. 19 supra p. 87. 3. missi regii. 4. Ephes. 2, 4.

filia et spiritali nostra commatre benignissima regina et aman- 761
tissimis natis Carolo et Carlomanno excellentissimis regibus et patriciis Romanorum atque Gisila nobilissima, regni gubernacula possidenda et aeterna premiorum[a] gaudia cum sanctis et electis perfruenda.

Incolumem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

---

22. *Paulus I papa Pippino regi respondet, iam iamque ecclesiam eius indigere praesidio. De Langobardorum perfidia legatos eius accuratius exposituros esse scribit*[b].

(Cod. 19, Cen. 42)

Domino excellentissimo filio nostro et spiritali compatri c. 761-762
Pippino regi Francorum et patricio Romanorum Paulus papa.

Ad referendas gratiarum actiones praeclarae ac benignissime excellentiae vestrae ob tanta[c] benificii praesidia[d] sanctae Dei ecclesiae et populo Romano a vobis irrogata, nullus ut opinor humanus sermo sufficere valebit; neque praemiorum huius mundi ad horum remunerationem digna vobis possunt rependi. Verumtamen est unus solus et verus in tribus substantiis consistens Deus, qui iusta caelestis regni gaudia et victoriae triumphum inpertire ac retribuere excellentiae vestrae potest.

Interea properantibus ad nos Wilchario[1], scilicet reverentissimo fratre et coepiscopo[e] nostro, atque Dodone et Wichado fidelissimis vestris missis, obtulerunt nobis mellifluos ac desiderantissimos apices, a vestra destinatos christianissima excellentia. Quos intuentes, protinus agnita prosperitas vestrae laetitiae, solito exultationis gaudio interna pectoris nostri viscera redundaverunt; creatorem nostrum ac redemptorem dominum Deum continuis precibus inplorantes, ut diu nos ac sedule de vestra am-

a. premiarum *c.* b. *ex cod. f.* 29—29*v.* *Lemma:* Item exemplar epistolae eiusdem papae ad domnum Pippinum regem, per Wilharium episcopum atque Dodonem et Wichadum directa; in qua continentur gratiarum actiones; eiusdem papae fidei constantia, ut nullus favor aut terror ab eius amore aut caritate ullomodo posset separare. c. tanda *c.* d. p̄sidii *c.* e. coep̄ş *c.*

1. ep. Nomentano.

c. 761-762 pliori iocunditate et caelitus de hostibus concessis vobis victoriis annuat gratulari.

At[a] vero, excellentissime fili et spiritalis compater, per easdem honorabiles vestras syllabas certissimam nobis solite pollicitationis fiduciam contulistis: vos firma perseverantia decertaturos fore ad defensionem sanctae Dei ecclesiae et universi populi Romani atque totius provintiae, iuxta id quod polliciti estis beato Petro et eius vicario prodecessori nostro domino et germano meo sanctae recordationis Stephano pape, et in ea vos sponsionis fide permansuros. Et profecto, bone christianissime atque a Deo institute rex, magna nobis in hoc credendi materia conferitur. Nec enim aliter fidelium mentes estimare possunt, quam id, quod crebro a vobis pio intuitu operatum cernimus et rei experimentum didicimus.

Sed, bone[b] potentissime regum, ecce nunc oportunitas ecce necessitatis dies cogunt et tempus ingruentis meriti exigit, ut sanctae Dei ecclesiae et huic a vobis liberate provintiae solite subvenire atque succurrere quantotius christianitas vestra satagat. Nos quippe post Deum et eius sanctam gloriosam genetricem atque sacratissimos ipsius apostolos fiduciam nostram alibi non habemus nisi in vestram praeclaram excellentiam. Tu enim post Deum nobis refugium, christianissime rex, tu cum Dei brachio firma existis opitulatio; et vestri a Deo confortati regni severitas nostra est inmensa laetitia. Quoniam tam nos quamque universus noster populus istius provintiae — divina vos satisfaciat maiestas — firmi atque inmobiles in vestra caritate ac dilectione et regni vestri a Deo protecti Francorum amoris constantia permanentes permanebimus; et nullus nos poterit humanus favor aut terror a vestri amoris dulcedine caritatisque affectu separare; sed una nobis erit in vestro amore vita ac mors.

Quia vero innotuistis: ob hoc vos praesentes direxisse missos, ut agnoscere per eos valuissetis, utrum nobis a parte Langobardorum plenariae facte fuissent iustitiae an non[1], ipsi omnino

a. Ad *c.* b. pone *c.*

1. V. epp. 20 et 21 supra p. 89 et 92.

cause meritum comperti sunt et callidam versutiam atque solite falsiloquam propositionem eorumdem vestrorum nostrorumque emulorum agnoverunt. Eisque ad vos revertentibus Deo propitio, vestris propalabunt in auribus. Eis denique de singulis quae a vobis iniuncta habuerunt nobis referentibus, singillatim de omnibus responsum reddentes, in eorum posuimus ore, quae vestrae excellentiae suggerere debeant; effectum ex hoc a vestra adhipisci obtantes excellentia. c. 761-762

Deus autem omnipotens de throno suae maiestatis super vos regnumque vestrum atque amantissimam coniugem praecelsam reginam spiritalem vero commatrem nostram atque dulcissimos, vestros quidem carnales natos, nostros autem spiritales filios, nec non et super universum Francorum populum respicere dignetur; et sui brachii dexteram super vos extendat, atque victorias vobis de caelo concedat, omnesque adversarios ante faciem vestram prosternat; et praesentem vitam longo senio et futuram beatitudinem vobis tribuat perenniter possidendam.

Deus te incolomem custodiat, excellentissime fili.

---

23. *Paulus I papa Pippino regi Francorum monasterium Soractense cum tribus ad id pertinentibus coenobiis concedit, abolita Zachariae tabula, qua idem monasterium Carlomanno Pippini fratri donaverat*[a]. (Cod. 12, Cen. 32)

Paulus episcopus servus servorum Dei precellentissimo filio Pippino regi Francorum et patritio Romanorum et per eum venerabili monasterio beati Silvestri confessoris[b] Christi atque pontificis vel cuncte monachorum congregationi nunc et in posterum illic consistentium in perpetuum. 761 Sept. 1 – 762 Aug. 31

Salubri providentia, quicquid venerabilium locorum requirit utilitas, illis nimirum committendum credimus esse personis, quibus divinae inlustrationis gratia diffusa, ea, quae[c] pertinent ad laudem redemptoris nostri et ad maximum redintegrationis sta-

a. *ex cod. f.* 21 – 21*v. Lemma:* Exemplar praecepti, quod fuit factum a Paulo, sanctae recordationis pontificae sanctae Romanae ecclaesiae et universali papae. b. confessores *corr. in* confessoris *c.* c. eū quae *ex parte erasa in cod.*

761 Sept. 1 – 762 Aug. 31

tum sanctorum locorum pertinere monstratur, totis conatibus perficere nituntur. Et quoniam constat precelsa eximiętas vestra a nobis petisse monasterium, scilicet beati Silvestri pontificis atque confessoris, situm in monte Seraptim[a] [1], nec non et alia illi tria subiacentia monasteria, sancti scilicet primi martyris Stephani[2] et beati Andreae apostoli atque Victoris, universis rebus et possessionibus[b], locis etiam et diversis presidiis vel omnibus eis generaliter pertinentibus in integrum; ecce, precelsae excellentiae vestrae voluntati annuentes, per huius precepti seriem nostrum monasterium beati Silvestri cum predictis aliis tribus ei subiacentibus monasteriis, id est beati Stephani atque beatorum Andreae et Victoris, cum omnibus eis generaliter et in integro pertinentibus a presenti quintadecima indictione[3] et in perpetuum pro sustentatione peregrinorum et alimoniis fratrum nostrorum Christi pauperum atque monachorum, illic nunc et in posterum spiritalem vitam degentium, firma stabilitate vobis concaedimus. Et per vos in prelato venerabili monasterio hanc nostram apostolicam exarationis preceptionem perenniter permanendam concedimus atque largimur; quatinus[c] vestro studio ea, quae ad laudem redemptoris nostri et meliorem statum predictorum venerabilium monasteriorum pertinere noscuntur, in omnibus Deo[d] auspice pro aeterna excellentiae vestrae memoria et maxima remunerationis mercaede nihilhominus proficiant. Decernentes itaque, si quo tempore preceptum illud, quod a sanctae recordationis predecessore nostro beatissimo domno Zacharia papa, quod Carlomanno germano vestro de eodem monasterio emissum est, vel aliud quodlibet de ipsis prefatis monasteriis munimen ibi[e] repertum fuerit, causam inanem atque vacuam[f] esse, nullam in se habentem firmitatem. Statuentes inter ea et hac[g] apostolica censura divini iudicii obtestatione et anathematis interdictione,

a. quuseraptem *corr. in* seraptim *c.* b. possionibus *c.* c. quatenus *corr. in* quatinus *c.* d. Deo *addidit manus antiqua.* e. ubi *corr. in* ibi *c.* f. vacuum *corr. in* vacuam *c.* g. hoc *corr. in* hac *c.*

1. Soracti. 2. Marianense (V. Benedicti S. Andreae monachi chron., Mon. Germ. SS. III 704). 3. a die 1 m. Sept. a. 761 ad diem 31 m. Aug. a. 762 pertinente.

haec, quae ad laudem Dei dinoscimur constituisse, pro susten- 761
tatione peregrinorum, ut dictum est, et cuncte monachorum illic Sept. 1 — 762
consistentis congregationis stabilitate in perpetuo permaneri in- Aug. 31
libata.

---

24. *Paulus I papa Pippino regi Francorum de binis litteris gratias agit. Rogat, quae Stephanus III ab eo petierit, impleat. Marino presbytero titulum S. Chrysogoni concedit. Mittit libros et horologium nocturnum*[a]. (Cod. 25, Cen. 16)

Domino excellentissimo filio et nostro spiritali compatri 758—763
Pippino regi Francorum et patritio Romanorum Paulus papa.

Properans ad nos harum litterarum transvector, Langbard scilicet inluster vir, fidelis eximietatis vestrae missus, detulit nobis nectaream atque florigeram a Deo protecte excellentiae vestrae syllabarum relationem. Cuius adnexam paginam enucleatius perscrutantes[b], quae textus eius loquebatur[c], ad singula comperimus. In ipsis quippe sublimitatis vestrae affatibus desiderabilem nobis et super omnia huius mundi delectamenta amplectabilem sospitatis vestrae laetitiam agnoscentes, uberior noster animus ovans, gaudio maxime sumus relati in id, quod obtata nostri promeruimus conperire cordis. Et postmodum nostris a vestris Deo[d] imitabilibus vestigiis revertentibus missis et ea ipsa vestrae prosperitatis gaudia deferentes[e] nobis in responsis, gemina exultationis iocunditas nostro inferta est cordi. Nam et dum in auribus omnium sacerdotum cleri etiam obtimatum et reliqui populi ampliata vestra insonuisset prosperitatis laetitia, et ex hoc nimio gaudio repleti gratulantes exultantes una no-

a. *ex cod. f.* 35—36. *Lemma:* Item exemplar epistolae eiusdem papae ad domnum Pippinum regem per Langbard directa, in qua continentur gratiarum actiones et uberrime benedictiones pro vita et incolomitate ipsius vel domni Karoli et Carlomanni, nobilissimis liberis eius; volens adiutorium obtinere cum multis adiurationibus contra Langobardos; et in emboli[a] continetur a praecepto, quod Marino presbitero direxit de titulo Chrisogoni, et de libris, quos ei transmisit. b. percrutantes *c.* c. loquabatur *c.* d. *post* deo *sequitur rasura unius fere litterae.* e. *sequitur* a.

a. embol *c.*

758–763 biscum in Domino, agnita nimirum proprii post Deum defensoris sospitate.

Porro, excellentissime et a Deo servate fili et spiritalis compater, vehementi dilectione vos erga amorem apostolorum principis beati Petri atque circa nostram caritatem vos flagrare[a], experimento didicimus; presertim dum ipsa excellentiae vestrae epistola caritatis calamo cernitur esse conscripta. Etenim ex corde lingua tinxerat, quid in charte refundebat pagina. Quam ob rem magnas gratiarum actiones a Deo protecte excellentiae[b] vestrae referimus. Quoniam, dum nimirum divina te clementia per interventum sui principis apostolorum defensorem atque opitulatorem, benignissime rex, sanctae suae constituit ecclesiae, cura vestrae eximietati insistit, perfectam redemptionem istius provintiae atque exaltationem huius sacrosanctae ecclesie procurare. Unde domini Dei nostri una cum[c] universo populo nobis commisso imploramus clementiam: ut sua vos protegat gratia; et victoriam vobis de celo ministrans, cunctas barbaras nationes vestris subiciat vestigiis; et longeviter regni gubernacula faciat promereri una cum dulcissima vestra coniuge excellentissima regina, spiritale nostra commatre[d], et vestris nostrisque amantissimis natis domno Carolo et Carlomanno potentissimis regibus et domna Gisila item[e] excellentissima; et vitae aeternae cum electis Dei concedat gaudia.

Peto itaque et deprecor te, excellentissime fili et spiritalis compater, atque per omnipotentem Deum et corpus beati[f] Petri, cuius et obtimus fidelis existis, coniuro et maximis subplicationibus deposco: quatenus iubeas sedule in tuo sancto et a Deo inspirato mellifluo corde confertum retinere illud, quod vos sanctae recordationis dominus et germanus noster beatissimus Stephanus papa Dei nutu ammonuit atque deprecatus est peragendum. Et in ea caritate atque amicitia[g] permanere cunctaque, qualiter vos terribili adortatione adiit[h], adimplere et effectui mancipare iubeatis; ut perfectam mercedem et repositam ple-

a. flaglare *c.* b. cellentiae *c.* c. cū cū *c.* d. cōmatr̄e *c.* e. id est *c.* f. beatr *c.* g. amititia *c.* h. adiit *scripsi pro* ad id *c.*

nissime redemptionis nostrae coronam a iusto iudice omnium conditore domino Deo nostro, qui vos in regem unxit, consequi mereamini et gaudia in aeterna beatitudine cum sanctis et electis Dei; dum plebem dominicam perfectius liberans atque sanctam Dei ecclesiam defendens, divinae maiestati illesam a sevientium malicia[a] praesentaveris[b]. Pro quo et magnam[c] post Deum, benignissime rex, in tuae pollicitationis sponsione, quam beato Petro contulisti, spei gerimus fiduciam una cum omni populo istius provinciae a vobis redempto. 758—763

Salutant itaque communem excellentiae vestrae christianitatem cuncti sacerdotes et clerus istius sacrosanctae catholicae et apostolicae Romanae ecclesiae; salutant vos et cunctus procerum senatus atque diversi populi congregatio, optantes una nobiscum de vestra amplissima prosperitate et uberrima laetitia diu gaudere et in domino Deo salutari nostro exultare.

Incolomem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

EMBOLUM.

Per aliam quippe epistolam suam a Deo protecta[d] eximietas vestra sicut certe suo bene cupienti patri direxit, quatenus titulum protectoris véstri beati Christi martyris Chrysogoni cum omnibus sibi pertinentibus dilectissimo atque fidelissimo nobis[1] Marino presbitero concedere deberemus; de quo et praeceptum nobis dirigi petistis. Quod nempe ob vestram dilectionem, et in eo quod fidelis vester nosterque isdem sanctissimus atque dilectissimus Marinus presbiter existit, prefati tituli[e] praeceptum, cum omnibus locis et possessionibus sibi pertinentibus, urbanis vel rusticis, vobis exaratum[f] atque manu nostra roboratum, per arum[2] latorem dereximus eximietati vestrae deportandum.

Direximus itaque excellentissime praecellentiae vestrae et libros, quantos reperire potuimus: id est antiphonale et responsale, insimul artem gramaticam, Aristolis, Dionisii Ariopagitis,

a. maliciā *c.* b. p̄sentiaveris *c.* c. magnā *c., ubi lineola super litteram a erasa est.* d. protectā *c.* e. titulū *c.* f. exaratā *c.*

1. Cf. infra epp. 25 et 29. 2. harum.

758—763 geometricam, orthografiam, grammaticam, omnes Greco eloquio scriptas, nec non et horologium[a] nocturnum.

---

25. *Paulus I papa Pippinum regem rogat, ut Marinum presbyterum suum, qui cum Georgio imperiali a secretis adversa sedi suae consilia inierit, episcopum consecrari iubeat et alicui ex Francicis ecclesiis praeficiat*[b]. (Cod. 39, Cen. 19)

758—763 Domino excellentissimo filio et nostro spiritali compatri Pippino regi Francorum et patricio Romanorum Paulus papa.

Omnino conpertum habet vestra christianissima excellentia, qualiter Marinus presbiter[1] noster ibidem ad vos moratur, iniqua operatione contra sanctam Dei ecclesiam fidemque orthodoxam — Deo sibi contrario — cum Georgio quodam imperiale a secretis consilia contra sedis nostrae contraria[2] et vestrae simili modo ingeri cupiens. Quod quidem et isdem imperator[3] vestrae a Deo protecte excellentiae per suas innotuit litteras.

Unde, quia defensorem fidei orthodoxae atque propugnatorem gregis sui vel populi christiani liberatorem christianissimam bonitatem vestram beatus apostolus et princeps apostolorum Petrus eligere et confirmare dignatus est, idcirco adoptamus atque deprecamur eximiam bonitatem tuam, optime rex et spiritalis compater: ut iubeas sanctissimo fratri nostro Wilchario episcopo[4] praecipere, quatenus ipse eundem Marinum presbiterum nostra vice episcopum consecrare debeat. Et in una civitatum vestrarum, illis in partibus constituta[c] in qua praeviderit vestra sapientissima eximietas, eum ordinare disponite; quatenus perpetrati sceleris sui[d] recordans, se inique egisse peniteat; ne in eo, quod absit, antiquus humani generis hostis mentem illius vagantem inveniens, quasi in sublime extollat sevissimeque quoquo

a. horogium *c.* b. *ex cod. f.* 46—46*v.* *Lemma:* Item exemplar epistolae eiusdem papae ad domnum Pippinum regem directa de Marino presbitero et eius iniquo consilio et de (con)secratione ipsius. c. constitutis *corr. in* constituta *c.* d. scelerisui *c.*

1. Cf. ep. 24 supra p. 101. 2. Cf. ep. 29 infra, ex qua apparet, hanc epistolam ante annum 764 scriptam esse. 3. Constantinus IV. 4. Nomentano.

modo valeat funditus disperdere. Sed magis, ut confidimus in 758—763
vestram benignissimam excellentiam atque a Deo praeclaram cordis vestri dilatationem, huic nostrae postulationi vestra praeclara excellentia aurem adcommodare dignetur; quatenus et ille securus de huiuscemodi re persistat et nos pro vestra inmensa laetitia atque sospitatis gaudio indesinenter dominum Deum caeli exorare valeamus.

Bene valete.

---

26. *Paulus I papa Carolo et Carlomanno regibus Francorum, de muneribus non oblatis se excusantibus, liberaliter respondet. Eos ecclesiam defensuros esse sperat*[a][1].

(Cod. 41, Cen. 22)

Dominis excellentissimis filiis Carolum et Carlomannum re- 763
gibus Francorum et patriciis Romanorum Paulus papa.

Missam relationem excellentiae vestrae, deferentibus harum gerulis Droctegangum[2] scilicet et Uulfardum[3] religiosis abbatibus, suscipientes, votivo sumus incolomitatis vestrae nuntio relevati; obtantes, ut vitam actusque vestros sua misericordia Dominus et protegat et disponat atque ad perfectam perducat aetatem.

Per easdem siquidem syllabas innotuistis, maximam vos tenere[b] verecundiam in id, quod interim munerum commoda per harum latores nobis dirigere non[c] valuistis. Sed quid est, dulcissimi atque amantissimi filii victoriosissimi[d] reges, quod nos muneribus vestris laetificare inhiatis? Nulla enim alia munera desideramus, quam vestrae incolomitatis prosperitatem sedule addiscere et de vestris profectibus gratulari: haec est locupletatio nostra; — vestram[e], quam inhianter amplectimus, exultationis[f]

a. *ex cod. f.* 47*v. Lemma:* Item exemplar epistolae eiusdem papae ad domnum Carolum et Carlomannum regibus directa, in qua continentur gratiarum actiones et uberrimae benedictiones. b. tere *c.* c. non *om. c.* d. victorissimi *c.* e. urām *c.* f. exultationib; *c.*

1. Quo tempore haec epistola scripta sit, ex ep. 28 infra cognosci potest. 2. abbatem Gemeticensem. 3. abbatem S. Martini Turonensem.

763 iocunditatem: haec[a] est exaltatio sanctae Dei ecclesiae; — et defensio fidei orthodoxae: vestrae protectionis integritas. Vos quippe Dominus elegit prae omnibus regibus, et liberatores sanctae suae catholicae et apostolicae constituit ecclesiae, et in reges per manus beati Petri ungui dignatus est.

Sed omnipotens Dominus, per quem reges regnant, ad perfectam vos perducat aetatem, et solium regni vobis vestroque praeclaro semini aevis prosperisquae temporibus ad exaltationem sanctae suae ecclesiae et amplissimam christianorum orthodoxae fidei defensionem concedat possidendum; tribuens vobis e celo victorias, omnesque barbaras nationes vestris Deo imitabilibus subiciens vestigiis. Et aeternae vitae gaudia largiri dignetur; quatenus, sicut in praesenti vita regnatis, et venturo in seculo cum Christo regnare mereamini, dicatque omnis populus: *Amen, fiat, fiat*[1].

Bene valete.

---

27. *Paulus I papa Pippinum regem Francorum, ut sibi, sinistra fama sollicitato, de rebus bello gestis significet, hortatur*[b][2]. (Cod. 31, Cen. 24)

763 Domino excellentissimo et nostro spiritali compatri Pippino regi Francorum et patricio Romanorum Paulus papa.

Quotiens fidelium Dei spiritalia referuntur studia, protinus audientium mentes ignite in Dei amore et mandatis divinis efficiuntur atque ad supernae considerationis intuitum excitantur. Et ideo libet profecto, potentissime regum, vestrae pietatis considerationi[c] merita amplissime ad laudem Dei proferre et perennibus temporibus permanenda scripture testimoniis tradere; dum

a. hae *c.* b. *ex cod. f.* 40v—41. *Lemma:* Item exemplar epistolae eiusdem papae ad domnum regem Pippinum, in qua continentur benedictiones; et prefatus papa poscens, ut domnus rex Pippinus suos missos partibus Rome dirigeret et ei de salute vel sospitate sua innotesceret, et qualiter in itinere egisset et quo modo Dominus inimicos eius in manus ipsius tradidisset et sub pedibus eius humiliasset. c. considerationis *corr. in* considerationi *c. Sed totum verbum videtur auferendum esse.*

1. Cf. Ps. 105, 48. 2. Hanc epistolam a Droctegango et Uulfardo ad Pippinum perlatam esse, comperimus ex ep. 28.

vestro concursu et auxilio ecclesiae Dei exaltatio et fidei orthodoxe profligatur defensio. Pro quo benedictus et laudabilis in omnibus regibus coram Deo et hominibus esse dinosceris, christianissime rex, et nomen benignitatis tuae exaratum fulget in conspectu divinitatis. 763

Etenim, dum huius evoluto temporis spatio, quod nos nec vestrae sospitatis relationem meruimus suscipere, nec penitus agnoscere, quid erga vos ageretur vel qualiter in itinere[1], quo profecti estis, peregistis, nimis anxietatis fervore desiderii nostri affectio in hoc ipsud addiscendum sedule provocatur; presertim dum et a nostris vestrisque inimicis adversa nobis de ipsis partibus adnuntiantur. Unde desiderium magnum nobis inheret: vestrae sospitatis gaudia addiscere et vestris salutaribus profectibus gratulari; et contra inimicorum contritionem agnoscere. Pro quo quaesumus, ut certos nos, sicut desideramus, per vestros nuntios de vestra prosperitate et laetitia reddere iubeatis; quoniam vestra salus nostra est prosperitas, et vestra exaltatio nostrum procul dubio est gaudium et inmensa securitas. Dignamque ex hoc Dei deprecamur potentiam, ut ipse protector noster et cum eius angelis dignetur praecellentissimam christianitatem vestram tueri et gubernare, ut[a] in celestibus regnis cum sanctis et electis, qui ab initio mundi placuerunt Deo, multipliciter consequaris mercedem; destinantes quidem: nos esse certiores vestra[b] scire iubeat a Deo protectam excellentiam, quid erga vos aut christianam gentem vestram agere videmini et quomodo Deus noster vestros ac nostros humiliavit inimicos. Et ut fati sumus, certos nos, sicut desideramus, de vestra prosperitate et laetitia reddere iubeatis.

Incolomem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

a. ut *om. cod.* b. ur̃a *c.*

1. bello Aquitanico quarto a. 763 gesto, v. ep. 28 infra.

28. *Paulus I papa Pippinum regem Francorum de bello suscepto non scripsisse queritur. Gaudet prospero reditu eius, ab advenis nuntiato. De nuntiis suis, Constantinopoli profectis, nihildum allatum esse*[a]. (Cod. 38, Cen. 23)

763 ex. — 764 in. Domino excellentissimo filio et nostro spiritali conpatri Pippino regi Francorum et patricio Romanorum Paulus papa.

Praemissis nostris apicibus affatibus[1] per Droctegandum[2] et Uulfardum[3], Deo amabiles fidelissimos vestros missos, visi sumus inpensius deprecamur[b] eximiam excellentiam vestram: ut nos certiores atque laetiores reddere annueretis de vestra amplissima sospitate et de eo, quo profecti estis, itinere[4] qualiter erga vos Dominus esset operatus. Et dum, tanto evoluto tempore, nullam a vobis responsionis seriem de huiuscemodi re agnovimus[c], vehementer noster adtritus est animus[5]. At vero per diversos ex ipsis regionibus, liminibus apostolorum advenientes peregrinos, didicimus, sospitem te ad propria, praecellentissime fili et spiritalis compater, esse annuente Deo reversum[6]. Unde magno gaudio noster animus relevatus est.

Quapropter, destinatis praesentibus nostris apostolicis syllabis, visitationis causa obnixae petimus: ut dignetur sublimis vestra excellentia quantotius nos de amplissima incolomitatis vestrae sospitate laetos reddere; significans, christianissime fili et spiritalis conpater, qualiter erga vos et excellentissimam filiam et spiritalem nostram commatrem[7] et eximios[d] filios agatur; ut

a. *ex cod. f.* 46. *Lemma:* Item exemplar epistolae eiusdem papae ad domnum Pippinum regem directa de sanitate vel incolomitate eius percunctandum, simulque et de missis suis, qui ad regeam fuerunt directi urbem. b. *an* deprecari? c. agnovimus *alia manus antiqua superscripsit.* d. eximiorū *corr. in* eximios *c.*

1. ep. 27 supra p. 104. 2. abbatem Gemeticensem. 3. abbatem S. Martini Turonensem. 4. bello Aquitanico quarto a. 763 gesto, v. p. 107 n. 1. 5. V. supra ep. 27 p. 105: „Etenim, dum huius evoluto temporis spatio, quod nos nec vestrae sospitatis relationem meruimus suscipere, nec penitus agnoscere, quid erga vos ageretur vel qualiter in itinere, quo profecti estis, peregistis“ cet. 6. itaque exeunte anno 763 vel ineunte 764 scripta haec epistola est. Cf. p. 107 n. 1. 7. Bertradam reginam.

noster animus maxima iocunditatis exultet laetitia. Quoniam nimio desiderio fervescimus, vestram sedule addiscere sospitatem et de vestro gaudio exultare; quoniam vestra salus exaltatio est sanctae matris vestrae ecclesiae, et prosperitas vestra nostra esse probatur laetitia. 763 ex. — 764 in.

Itaque, praecellentissime fili et spiritalis compater, bone et optime rex, ecce usque hactenus nihil rei veritatem de nostris missis, qui a regia profecti sunt urbe, addiscere valuimus, quid erga eos ageretur; et ideo nequaquam vobis quippiam de eis significare valuimus. Dum vero rei agnoscere potuerimus veritatem, confestim eximiae praecellentiae vestrae dirigemus in responsis [1].

His praemissis, Deum caeli petimus, ut vobis et praesentis vitae longevitate regni gubernacula cum excellentissima filia et spiritali nostra commatre christianissima regina vestraque dulcissima coniuge atque amantissimis vestris natis nostrisque filiis, hisdem eximiis regibus et patriciis Romanorum, perfruendum concedat, et celestis regni participes faciat; nosque permittat de vestra amplissima sospitate semper gratulari.

Incolomem excellentiam vestram gratia superna[a] custodiat.

a. perna *c.*

1. Paulus papa igitur de Pippini et reginae filiorumque valetudine „quantocius" certior fieri vult et de nuntiis Constantinopolim missis nihildum allatum esse scribit. Quapropter, cum in ep. 29 infra, spatio mensium Ianuarii et Martii a. 764 data, et se gaudere referat de valetudine illorum omnium ex regis litteris cognita et simili ratione de legatis Constantinopolim missis se quidquam audivisse neget, ambarum epistolarum necessitudinem manu tenemus. Hinc nimirum ep. haec 28, aut exeunte anno 763 aut inito a. 764 scripta, de bello Aquitanico quarto agit.

29. *Paulus I papa Pippinum regem bene valere gaudet. Bonum suarum rerum statum nuntiat. De regis facultate adiuvandae ecclesiae se ambigere negat. De legatis Constantinopolim missis ob hibernum tempus allatum nihil esse. Addit de Marino presbytero. Fidelium Ravennatum de inimicorum insidiis litteras mittit*[a]. (Cod. 32, Cen. 36)

764 Ian.–Mart. Domino excellentissimo filio et nostro spiritali compatri Pippino regi Francorum et patricio Romanorum Paulus papa.

Eximiae et a Deo protecte excellentiae vestrae, harum deferente portitore, destinatos apices omni plenos[b] dulcedine ac amore, quos[c] cum magno venerationis affectu acceptantes, liquidius cuncta in eis inserta agnovimus. Inter hec quippe, excellentissime bone fili, vestra nobis praecelsa innotuit benignitas: qualiter, divina Dei nostri fatiente misericordia, sani atque sospites et inlaesi existentes sitis simul cum excellentissimis natis vestris spiritalibus nostris filiis Carolo et Carromanno magnis regibus, atque domnam Bertradam reginam dulcissimam[d] et spiritali commatre nostra nec non et Gisilam nobilissimam nostram filiam[e]. Quibus agnitis, magnas ac innumerabiles polorum arbitro ac regi regum domino Deo nostro referuimus laudes; quoniam, iuxta id quod anhelantius obtantes desideramus, vestram addiscere meruimus sospitatem. Pro quo dominum Deum nostrum sedulis deprecationibus imploramus, qui nos per multorum curricula annorum de vestra integra sospitate faciat exultare; eo quod vestra salus nostra est exultatio, et vestra prosperitas nostrum procul dubio existit gaudium.

Et hoc in vestris regalibus apicibus[f] continebatur adscriptum: quatenus vobis innotescentes significaremus, si circa sanctam Dei ecclaesiam atque nostram mediocritatem vel populi nobis

a. *ex cod. f.* 41–42. *Lemma:* Item exemplar epistolae eiusdem papae ad domnum Pippinum regem, in qua continentur gratiarum actiones, et de sanitate ipsius seu Caroli, et de Marinum presbiterum atque de Ravennam[a], qualiter contra eandem mala machinantur consilia.
b. plenas *c.* c. quas *c.* d. *alia manus correxit in* bertrada *et in* dulcissima. e. *alia manus correxit* filiam *in* filia. f. regales apices *corr. in* regalibus apicibus *c.*

a. *alia manus correxit in* Marino presbitero — Ravenna.

commissi salus aut integritas profligaretur. Nam et de hoc magnas et innumerabiles gratias Deo omnipotenti et vestrae excellentiae referimus, quia, sicut re vera christianissime et vere Dei cultor, eclesiam Dei et populum vestra excellentia visitare non piget. Sed hoc non nostris meritis sed divina proveniente misericordia agitur, dum omnia prospera erga sanctam Dei ecclaesiam atque nostram mediocritatem vel nobis commisso populo existunt. Pro quo Deum caeli, penitus omnium bonorum largitorem, qui vobis pro hoc praecipuo ac pio opere sit retributor, ob tantam benignitatem et sollicitudinem, quam circa[a] sanctam Dei catholicam et apostolicam ecclaesiam vel eius familiarem populum habere dinoscimini. 764 Ian.–Mart.

Sed et hoc in ipsis vestris relationum apicibus continebatur: per vestros vobis fuisse[b] nuntiatum legatos, quod a quibusdam malignis et mendatium proferentibus in istis partibus devulgatum esset, quia, si aliqua nobis necessitas eveniret, nullum nobis ausilium prebere valuissetis[1]. De quo nefario dicto[c] nequaquam nobis fuit aut est hesitatio. Quia, divina faciente misericordia, magnam in vobis post Deum spem et fiduciam habemus; agnoscentes, quod Deo propitio nullum de quacumque parte sit inpedimentum vobis defensionem atque auxilium sanctae Dei ecclesiae vel eius peculiaris populi inpertiendi, iuxta id quod beato Petro apostolo per beatae memoriae praedecessorem domino ac germano nostro ob remedium animae vestrae et veniam delictorum vestrorum pollicentes spopondistis. Quod in perpetuis temporibus Domino annuente firmum ac robustum credimus permanere.

At vero, unde nobis christianissima vestra direxit excellentia: quod, si quisquam e vestris adversariis aut contemptoribus ad nos evenerit, nullo modo cum eis nos[d] aut in eorum societate misceri, absit a nobis, ut hanc rem faciemus; dum profecto

a. circā *c.* b. fusse *c.* c. dicta *corr. in* dicto *c.* d. *sequitur in cod.* cum eis.

1. V. ep. 27 supra p. 105: „presertim dum et a nostris vestrisque inimicis adversa nobis de ipsis partibus adnuntiantur".

764 Ian.—Mart. vestri inimici[a] sanctae Dei ecclesiae et nostri existunt. Quapropter, testatur veritas, quia, ubi vestros amicos agnoverimus, tamquam amicos et fideles sanctae Dei ecclesiae oblectare et amplectere cupimus; et ubi vestros inimicos invenerimus, veraciter tamquam inimicos sanctae Dei ecclesiae et nostros proprios ita eos respuimus atque persequimur. Quia vestri amici sanctae Dei eclesiae et nostri existunt; et hi, qui inimicitias[b] contra vos machinantur, profecto inimici sanctae Dei ecclesiae et nostri esse conprobantur.

De missis vero vestris ac nostris, qui ad regiam urbem simul properaverunt, de quibus petiit nos vestra praeclara excellentia sibimet a nobis significari, si quid ex eis addiscere potuimus, cognoscat vestra a Deo protecta eximietas, eo quod in his diebus nihil ipsis cognoscere potuimus; dum profecto vobis incognitum non est, quod pro tam saeva huius hiemalis temporis asperitate[1] nullus de illis partibus adveniens nobis adnuntiavit, qualiter circa eis agatur. Et ideo ad praesens ignoramus, quid vobis de eis veraciter significemus.

At vero de Marino presbitero scripsit nobis christianissima excellentia vestra, quod demum in pristino esset constitutus honore, secundum qualiter vobis postulantes direximus. Nos quidem testem Deum proferimus, quod pro nulla alia re pro eo vobis direximus, nisi propter lacrimas et cotidianas lamentationes, quas eius genetrix effundere non cessat; quae et orbata luminae existit. Et ideo vobis direximus, ut apud nos eum absolvere debuissetis, quia nihil de eo[c] vobis fuit aut est sed nec nobis nisi tantummodo de eius iniqua malicia, quam contra sanctam Dei ecclesiam, maligna atque perversa motus audatia, agere praesumpsit[2]. Sed de hoc, sicut per anteriores nostras litteras

a. inimiti *c.* b. inimititias *c.* c. deo *c.*

1. De magnitudine frigorum hiemis, ab exeunte a. 763 ad Martium mensem a. 764 procurrentis, referunt annales multi; ex his cf. praecipue Annales S. Amandi et Sangallenses (Mon. Germ. SS. I 10 et 63): „Tunc fuit ille gelus pessimus, et coepit 19 Cal. Ian. et permansit usque in 17 Cal. Apr.“ 2. V. ep. 25 supra p. 102.

excellentiae vestrae direximus, in vestro sit arbitrio vel potestate, quid de eodem disponere volueritis. Nulla nobis de eo cura est, nisi ut praediximus. Qualiter vestra fuerit voluntas, ita de eo disponere debeatis. At vero nobis direxit excellentia, ut vobis intimare debeamus, si nobis isdem Marinus suas direxit litteras, de quo, teste veritate, dicimus: numquam nobis suas direxit litteras, a quando illuc apud vestram excellentiam properatus est. Nam nullo modo vobis vetare habuimus, si factum fuisset.

764 Ian.–Mart.

Interea nempe ea, quae a fidelibus sanctae Dei ecclesiae et nostris, id est de partibus Ravennae, ad nos pervenerunt, aptum prospeximus vestrae excellentiae intimanda: eo quod emuli sanctae Dei ecclesiae et nostri atque vestrae excellentiae die noctuque non desinant pertractandum, qualiter nos — sibi Deo contrario — praevalere ac superare possint. Tamen et ea ipsa scripta, quae exinde suscepimus, infra has nostras litteras excellentiae vestrae direximus; quatenus, rei meritum addiscentes, agnoscatis, quod illi a suo maligno proposito et solita nequitia nequaquam desistunt. Pro quo, christianissime bone fili et spiritalis compater, enixius elaborare atque decertare iubeas, quatenus bonum opus quod coepisti per te compleatur, et ut sancta Dei ecclaesia et eius peculiaris populus perfectam habeat liberationem et securi ab inimicorum insidiis permaneant.

De reliquo vero petimus divinam Dei nostri misericordiam, ut vos per multorum annorum curricula in solio regni vestri conservare dignetur una cum excellentissimis vestris natis, nostrisque spiritalibus filiis Carolo et Carlomanno regibus Francorum et patriciis Romanorum, nec non domna Bertrada excellentissima regina spiritali nostra commatre vestramque coniugem, simulque et Gisilam nobilissimam puellam nostra spiritali filia ad exaltationem et defensionem sanctae Dei ecclesiae simulque et eius peculiaris populi; obtantes, diu vestrae prosperitatis gaudia addiscere atque immensam pro vobis divinam implorare clementiam.

Incolomem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

30. *Paulus I papa Pippino regi Francorum scribit, allatam famam esse, bellum sibi Ravennatibusque finibus a Graecis imminere. Desiderium regem, Beneventanos, Spoletinos, Tuscanos, ut sibi succurrant, admoneri vult; legatumque qui Romae maneat mitti*[a]. (Cod. 34, Cen. 25)

761—766 Domino excellentissimo[b] filio et nostro spiritali compatri Pippino regi Francorum et patricio Romanorum Paulus papa.

Precelsae et a Deo servatae christianitati vestrae his nostris apostolicis innotescimus apicibus, quod — iam absolutis vestris missis, qui nuper ad nos coniunxerunt, Wilchario[1] videlicet sanctissimo fratre et coepiscopo nostro seu Felice religioso et Ratberto viro inlustri — coniunxit ad nos nuntium, missum a fidelibus sanctae Dei ecclesiae spiritalis matris vestrae, qui vera nobis semper adsolent indicare; significans nobis: quod nefandissimi Greci, inimici[c] sanctae Dei ecclesiae et orthodoxae fidei expugnatores — Deo sibi contrario — super nos et Ravennantium partes inruere cupiunt atque motionem facere. Unde, quia alibi post Deum et beatum Petrum nostra spes non est nisi apud vestram nobilissimam excellentiam, ideo obnixis deprecationibus petimus te, excellentissime fili et spiritalis compater: ut iubeas propter Deum et reverentiam beati Petri salutem istius provintiae a vobis redemtae procurare. Et confestim vestrum dignemini dirigere Desiderio Langobardorum regi missum: ut, si necessitas fuerit significatum, auxilium nobis pro incursione eorundem inimicorum inpertire debeat; precipiens Beneventanis atque Spoletinis seu Tuscanis nobis e vicino consistentibus, ut ipsi[d] nostro occurrant solatio.

Deprecantes et hoc a Deo institutam excellentiam vestram: ut ad nos hoc adveniente Martio mensae vestrum dirigere iubeatis missum, qui hic Rome nobis condemorari debeat; et ipse, si necessitas exigerit, apud Desiderium imminere debeat regem

a. *ex cod. f.* 43—43*v*. *Lemma:* Item exemplar epistolae eiusdem papae ad domnum Pippinum regem directae, in qua postulat adiutorium contra Grecos. b. excellentissimā *c*. c. inimiti *c*. d. *sequitur* in *in cod.*

1. ep. Nomentano.

pro eodem nobis transmittendo solatio. Quia, ut plenissimae satisfacta est vestra excellentia, non ob aliud ipsi nefandissimi nos persequuntur Greci nisi propter sanctam et orthodoxam fidem et venerandorum patrum piam traditionem, quam cupiunt distruere atque conculcare. 761—766

Pro quo iubeat solitae vestra benigna disponere excellentia, ut eorundem inimicorum ad nihilum redigatur vesania; et perfectius haec provintia, vestro certamine redempta et a vobis beato Petro pro remedio animae vestrae concessa, ab emulorum insidiis vestra consueta permaneat protectione. Vobisque copiosa[a] in caelis adscribatur merces; et nominis vestri laus et universae gentis exaltatio, sicut et iam factum est, et nunc multo amplius in universo orbe terrarum divulgetur; atque intercedente beato Petro victoriae triumphum e caelo vobis Dominus super omnes tribuat gentes; dum vestro auxilio, confusis expugnatoribus sanctae orthodoxae fidei, pax et laetitia et observatio christianorum fidei in omnibus predicata fuerit ecclesiis, meritoque ex hoc celestia vobis a Deo conferantur gaudia.

Incolomem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

---

31. *Paulus I papa Pippino regi Francorum exempla binarum litterarum mittit, quarum alteras Leon imperialis alteras Venetici ad Sergium archiepiscopum Ravennatem dederant. Monet, ut auxilium sibi et Ravennatibus atque Pentapoleos civitatibus ferri a Desiderio rege iubeat*[b]. (Cod. 28, Cen. 26)

Domno excellentissimo filio et nostro spiritali compatri Pippino regi Francorum et patricio Romanorum Paulus papa. 761—766

Praecelsae et a Deo servate christianitati vestrae, eximie fili et spiritalis compater, sicut nostro post Deum liberatori ea,

a. copioso *corr. in* copiosa *c.* b. *ex cod. f.* 38*v.*—39. *Lemma:* Item exemplar epistolae eiusdem papae ad domnum regem Pippinum pro defensione sanctae Dei ecclaesiae directa, in qua continentur uberrime laudes. Et in embolo continetur, ut prefatus domnus rex Pippinus Desiderio regi Langobardorum suam preceptionem dirigeret, ut, si necesse exigeret, auxilium prestare deberet tam Ravenne quamque aliis maritimis civitatibus ad dimicandum contra inimicorum inpugnationem.

761—766 quae superveniunt vel aguntur in his partibus, quantotius significare nostri est procurandum[a]. Et ideo his apostolicis relationum syllabis[b] melliflue et a Deo institutae regalis vestrae potentiae culmini innotescimus, suscepisse nos — post absolutionem nostrarum litterarum — syllabas a sanctissimo fratre nostro Sergio archiepiscopo Ravennate, quas Leon inperiali[c] eius sanctitati Ravennarum provintia visus est direxisse. Et ecce infra has nostras apostolicas litteras praeclare excellentiae vestrae earum instar direxisse: ut, suasionis versutiam in eis adnexam praefulgida excellentia vestra agnoscens, merito sanctae Dei ecclesiae fideique orthodoxae defensionem perfectius studeat procurandum; quatenus repositam sibi in caelestibus regnis coronam mercedis a domino Deo nostro percipere mereatur. Obtantes, vos de reliquo aevis et prosperis semper in Domino valere temporibus.

Incolumem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

Exemplar denique epistole saecretae, directae a quibusdam fidelibus Veneticis sanctissimo fratri nostro Sergio archiepiscopo, simul et ex litteris, quas idem[d] sanctissimus vir nobis direxit, infra hec nostra scripta vobis misimus. Et peto et tamquam praesentaliter deprecor atque per omnipotentem[e] Deum coniuro[f] excellentissimam christianitatem vestram: ut nimis velociter dirigere iubeatis vestram praeceptionem Desiderio regi Langobardorum, ut, si necesse exegerit, auxilium prestare debeat tam Ravennae quatnque Pentapoleis maritimis civitatibus ad dimicandum contra inimicorum inpugnationem.

a. *sequitur rasura sex fere litterarum.* b. syllabas *corr. in* syllabis *c.* c. *sequitur rasura.* d. isdem *corr. in* idem *c.* e. omnipotem *c.* f. iuro *c.*

32. *Paulus I papa Pippinum regem Francorum laudibus extollit. De legato, qui Romae commoretur, mittendo denuo petit. Petrum nuntium suum commendat, regemque ad fidem a Graecis tuendam hortatur*[a]. (Cod. 37, Cen. 27)

Domino excellentissimo filio et nostro spiritali compatri 761—766
Pippino regi Francorum et patricio Romanorum Paulus papa.

Dum illa, quae ad nostris stipendiis aguntur, nulla possunt oblivione deleri, quanto magis illa, quae ad laudem redemptoris domini Dei nostri eiusque sacratissimae ecclesiae et beati Petri apostolorum principis geruntur, nec temporum prolixitate nec diversitate qualitatum oblivioni mandantur[b]. Sed semper ad gloriam supernae potentiae et fidelium eius pio exemplo permanent declarata, sicut, excellentissimae fili et spiritalis compater bonae orthodoxae rex, praecelsa vestra et pia operatio et in celo coram angelis Dei illustrata fulget et in universo orbe terrarum laudabiliter in cunctis gentibus permanet divulgata. Quoniam vestro post Deum auxilio et optimo certaminae sancta spiritalis mater vestra Dei ecclesia constat ab inimicorum insidiis erepta, et orthodoxa christianorum fides ab inpugnatoribus defensa. Pro quo exulta in Domino et laetare, benignissime rex; quia nomen excellentiae tuae in libro vitae exaratum rutilat in conspectu Dei.

Inter ea, dum tanta nostro cordi desiderii capacitas inminet de vestra prosperitate laetos certosque effici, aptum prospeximus: missis sanctae Dei ecclesiae nostris relationibus excellentiae vestrae persolvere. Dum nihil nobis dulcius nihilque suavius in hac vita existit, quam de vestra prosperitate in Domino iocundari; in eo quod vestra salus sanctae Dei ecclesiae et fidei exaltatio et vera defensio, ut sepe scripsimus, existit. Unde et a te, quia corporali visione procul ab invicem consistimus, per nostras tamen relationes amore mutuo spiritaliter adnecti desideramus.

a. *ex cod. f.* 45—45*v. Lemma:* Item exemplar epistolae eiusdem papae ad domnum Pippinum regem directa, in qua continentur gratiarum actiones pro exaltatione sanctae Dei ecclesiae, et ut missum suum Romam dirigeret. b. mundantur *correxit manus antiqua in* tradantur.

761—766 Itaque nimis deprecamur excellentiam vestram, sicut per anteriores nostras litteras[1] postulandum direximus: ut iubeatis vestrum fidelissimum missum hic ad nos Romam dirigere, qui nobiscum pro insidiis inimicorum demorari debeat; per quem et meritum rei, ut causae eventus exigerit, excellentiae vestrae debeamus significare.

Unde opere direximus ad vestram a Deo servatam excellentiam praesentem Petrum, primum defensorem sanctae nostrae ecclesiae, fidelissimum missum[2]; cui de omnibus apostolicis causis iniunximus[a] benignitati vestrae enarrandum. Quaem petimus hilari a vobis suscipi animo. Eumque pro amore fautoris vestri beati Petri apostolorum principis in omnibus acceptare atque nostris precibus aurem benignitatis vestrae adcommodare dignemini, et ad nos cum affectu atque laetabundis nuntiis absolvere iubeatis.

Supplici deprecatione te, bone orthodoxae rex, quesumus postulantes, ut sis nobis post Deum firmus protector ac defensor; constanter in eo, quod caepisti, bono ac pio[b] redemptionis sanctae Dei ecclesiae permanens opere. Optime enim praecellentiae vestrae christianitas comperta existit: quanta qualisque sit impia hereticorum Grecorum malitia; inhianter meditantes atque insidiantes, qualiter — Deo illis contrario — sanctam catholicam et apostolicam ecclesiam humiliare atque conculcare et fidem sanctam orthodoxam atque sanctorum patrum tradicionem destruere possint. Sed tu, bone potentissime rex, viriliter sicut vere orthodoxus eisdem impiis resistere hereticis atque solite sanctam Dei ecclesiam et christianorum orthodoxam fidem tuo a Deo protecto solito auxilio atque congruo disposito defendere digneris. Quoniam magna[c] post Deum in vestra excellentia et fortissimi regni vestri brachio existit fiducia. Et credimus, quod

a. iniuximus *c.* b. piae *c.* c. magnā *c.*

1. ep. 30 supra p. 112. 2. Petrum primum defensorem intelligimus ex ep. 43 anno 767 una cum Iohanne subdiacono et abbate ad Pippinum missum esse. Unde hanc unius Petri legationem ante a. 767 factam esse necesse est.

Deo cooperante eadem nostra spes firma permanens ad obtatum perducatur desiderium; ut merito ex hoc a iusto domino Deo nostro vobis in praesenti et futura vita tribuatur remuneratio, beato principe apostolorum interveniente, pro cuius amore in eius decertatis causis; laetique solite de vestro pio proposito effecti, cum propheta consona canere valeamus voce: *Salvum fac, Domine, christianissimum Pippinum regem, quem oleo sancto per manus apostoli tui ungui praecepisti; et exaudi eum, in quacumque die invocaverit te*[1]. Cum his vero deprecationibus et hoc eius pietatem quesumus, ut longo senio regni potentiam excellentiae vestrae, commatri a Deo protectae reginae atque amantissimis natis vestris domnis Carolo et Carlomanno, praecelsis regibus Francorum et patriciis Romanorum, atque nobilissimae domnae Gisilae salubriter concedat possidendum, tribuens vobis et aeternam in caelestibus regnis beatitudinem perfruendam. 761—766

Incolomem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

---

33. *Paulus I papa Carolo et Carolomanno regibus Francorum Petrum nuntium suum commendat. Monet, ut rationibus S. Petri prospicere pergant*[a]. (Cod. 42, Cen. 28)

Dominis nobilissimis atque excellentissimis filiis Carolo et Carolomanno regibus Francorum et patriciis Romanorum Paulus papa. 761—766

Olim omnipotens Deus, cernens populi sui Israhelitici lamentationem et impiam ab Aegyptiis illis infertam obpressionem, misertus est eis, mittens famulum suum Moysen; per quem, signa et prodigia exercens, eundem[b] suum eripuit populum; et per eum, legem illis instituens, ad optatam eos illis perduxit requiem. Cui etiam Iosue, ut praeliaretur bella Domini, adnectit; atque alios sui divini nominis cultores eis concessit auxiliatores. Sed in omnibus illis non ita complacuit eius di-

a. *ex cod. f. 47v—48v. Lemma:* Item exemplar epistolae eiusdem papae ad domnum Carolum et Carlomannum regibus directa, in qua continetur pro defensione sanctae Dei ecclesiae. b. eundum *corr. in* eundem *c.*

1. Cf. Ps. 19, 10.

761—766 vina maiestas sicut in Davit rege et propheta, testante eodem misericordissimo Deo nostro in id, quod ait: *Inveni David servum meum secundum cor meum, in oleo sancto unxi eum*[1]; cui et regnum et semini eius in aeternum gloriose tribuit possidendum. Sic enim, praecellentissimi atque nobilissimi filii a Deo instituti reges, isdem dominus Deus noster in vestra christianissima conplacuit excellentia atque, in utero matris vos sanctificans, ad tam magnum regale pervexit culmen, mittens apostolum suum beatum Petrum per eius nempe vicarium; et oleo sancto vos vestrumque praecellentissimum genitorem unguens[a], celestibus replevit benedictionibus; et sanctam suam catholicam et apostolicam ecclesiam atque orthodoxam christianorum fidem vobis commisit exaltandum atque viriliter defendendam. Quod profecto, excellentissimi filii, Spiritus sancti gratia repleti et celesti protectione adiuti, agere totis nisibus statuistis. Et vestro auxilio atque certamine ipsa sancta Dei ecclesia spiritalis mater vestra ab inimicorum insidiis liberata exultat in domino Iesu Christo; et in conspectu divinitatis vestra effulgent pia opera, et cum David atque Salemone regibus et ceteris Dei cultoribus vestra in celestibus regnis adscripta sunt nomina.

Inter ea, dum tanto vestro beneficio dinoscimur esse relevati, amor nos hortatur, christianissimi ac dulcissimi filii, de vestra prosperitate sedule addiscere et in Domino gratulari. Et ideo visitationis atque salutationis paterno affectu his nostris apostolicis apicibus persolvimus vinculum; magnopere praesentem Petrum, primum defensorum sanctae nostrae ecclesiae nostrumque fidelem missum[2], ad vestram dirigentes excellentiam, quatenus desiderabilem nostra vice referat salutem. Quem petimus benigne a vobis suscipi, et de vestra per eum[b] sospitate nos certos laetosque reddi; obnixae petentes, dulcissimi filii, excellentiam vestram: ut, pia vestigia sequentes, imitatores efficiamini christianorum parentum vestrorum, avi[3] nempe et proavi[4] atque

a. ungues *c*. b. per eum per eum *c*.

1. Cf. Ps. 88, 21. 2. V. supra p. 116 n. 2. 3. Caroli Martelli. 4. Pippini II maioris domus, fil. Ansgisi.

excellentissimi et a Deo instituti magni regis genitoris vestri et 761—766
praecellentissimae genetricis vestrae a Deo conservande reginae, qui vere prae omnibus regibus fideles Deo et beato Petro esse comprobantur, quorum merita in celestibus regnis fulgent. Unde et petimus misericordissimam Dei nostri longanimitatem: ut, sua vos gratia protegens, aevis et prosperis temporibus regalia sceptra concedat perfruenda, dilatans terminos regni vestri; et victorias vobis de caelo tribuat omnesque adversarios vestris prosternat vestigiis, et sicut terrenum ita et celeste regnum vobis per infinita secula tribuat possidendum.

Bene valete.

---

34. *Paulus I papa Pippino regi Francorum de duabus epistolis et de legatis ad se missis gratias agit. Legatos eius a Desiderio rege postulaturos, ut possessiones b. Petri retentae atque invasae sibi restituantur. Rogat, prospiciat, ut suum sibi sine ulla deductione tribuatur*[a].

(Cod. 17, Cen. 29)

Domino excellentissimo filio et nostro spiritali compatri 761—766
Pippino regi Francorum et patricio Romanorum Paulus papa.

Dum tam maxima nobis dilectionis affectio erga vestram a Deo institutam excellentiam insistit, ob hoc, sicut terra sitiens imbriferam desiderat inundationem, ita quoque vestrae prosperitatis cupimus addiscere nuntia et de vestris profectibus gratulari. In hoc quippe nostri cordis est devotio exultandi; dum nimirum salus vestra nostra existit securitas.

Inter ea duarum epistularum series, quas vestra direxit excellentia, cum magno suscepimus amore: unam quidem primitus per Petrum primum defensorem, missum nostrum[1]; et aliam per praesentes fidelissimos vestros missos, Widmarum[2] scilicet et

a. *ex cod. f.* 27—28. *Lemma:* Item exemplar epistolae ad domnum Pippinum regem per Witmarum et Gerbertum abbates adque Hugbaldum directa, in qua continentur gratiarum laudes pro exaltatione sanctae Dei ecclesiae; et postulans, ut semper in id decertare debeat.

1. V. supra p. 116 n. 2. 2. abbatem Centulensem. V. Mabillon Ann. ord. S. Bened. II 207.

761—766 Gerbertum abbates atque Hugbaldum virum inlustrem. Quarum paginam indagantes, mox liquido cuncta in eis exarata didicimus; inmensas protinus Deo[a] nostro referentes laudes, qui nos de vestra annuit sospitate gratulari. In ipsis denique vestris relationibus solitam nobis a Deo inlustratae mentis vestrae constantia protulit spei fiduciam; in id, quod inpensius innotuistis atque sedule ex operibus demonstrastis, vos totis nisibus pro exaltatione sanctae Dei ecclesiae et fidei orthodoxe defensione esse decertaturos et in ea vos fidei pollicitatione[b] permansuros, quam beato Petro principi apostolorum nostroque praedecessori[c] domino et germano beatissimo Stephano papae spopondistis.

Unde et, in nostra fixi caritatis conexione, ideo — iusta[1] id quod petendo direximus — prelatos ad nos vestros videmini direxisse missos: qui apud Langobardorum inminerent regem pro diversis sanctae Dei ecclesiae causis ac iustitiis, et in nostro assisterent solacio. Pro quo innumerabiles vobis referimus gratiarum actiones. Quia vere sicut benignus rex et amator spiritalis matris vestrae sanctae Dei ecclesiae agere, christianissime fili et spiritalis compater, semper studes; et profecto erit tibi Dominus et in praesenti et futura[d] dignus retributor. Nos itaque, excellentissime et a Deo protecte fili et spiritalis compater, firmi in vestrae caritatis dilectione permanemus; nec est ulla rerum aut temporum qualitas, quae nos a vestra caritate possit separare. Quia tu vere noster post Deum constas esse defensor et auxiliator.

Prelati denique missi vestri in nostri presentia cum Langobardorum missis nec non et Pentapolensium ac singularum nostrarum civitatum hominibus adsistentes, conprobatio coram eis facta est de habitis inter utrasque partes aliquibus iustitiis, videlicet de peculiis[2] inter partes restitutis.

Nam de finibus civitatum nostrarum et patrimoniis beati Petri, ab eisdem Langobardis retentis atque invasis, nihil usque hactenus recepimus; etiam ea, quae primitus reddiderant, denuo

a. Deo *scripsi pro* de *c.* b. pollititatione *c.* c. depcessori *c.* d. vita *excidisse videtur.*

1. iuxta. 2. pecoribus.

invaserunt. Unde constitit: ut nostri ac singularum nostrarum civitatum missi ad Desiderium Langobardorum regem cum vestris progredi debeant missis; ut in eorum atque praedicti regis praesentia pro eisdem finibus ac patrimoniis comprobatio fiat, nobisque omnia iuxta pacti seriem restituantur. Et nescimus, quid ex hoc proveniendum sit. Attamen per praefatos vestros missos rei agnoscere potestis meritum. 761—766

Quapropter quaesumus a Deo protectam excellentiam vestram, ut ita disponere iubeat, ut plenarias de omnibus recipere valeamus iustitias; quatenus isdem beatus Petrus princeps apostolorum, pro cuius restituendis luminariis decertatis, firmissimus vobis sit auxiliator ac optimus remunerator. Nam pro certo agnoscat excellentissima christianitas vestra: quia, si nobis praelati civitatum nostrarum ab eisdem Langobardis invasi fines atque patrimonia reddita non fuerint, etiam ea, quae primitus reddiderunt [1], invadere insidiabant. Quapropter obnixe petimus christianitatem vestram, ut ita [a] solite nostris petitionibus ea ipsa nobis restitui disponendum adcommodare iubeatis, ut vestra solita dispositione exaltatio sanctae Dei ecclesiae et istius a vobis redempte cum Dei virtute provintiae salus proficiat.

Etenim ea [b], quae vestri missi sibimet a vestra praecellentia iniuncta habuerunt, nobis liquidius referentes, ad singula eis responsum reddimus; et de omnibus eos informavimus, quae vestrae excellentiae referre debeant; nostrasque petitiones vestris studeant intimare auribus.

His itaque praemissis, Dei nostri omnipotentis exoramus clementiam: ut sua vos fovere annuat gratia; et presentem temporale regnum longo senio cum prosperitate corporis et salute anime perfrui concedat una cum dulcissima coniuge vestra excellentissima regina filia et spiritali nostra commatre atque praecellentissimis [c] vestris natis; et caelestia quoque vobis per infinita tribuat praemiorum gaudia possidenda.

Incolumem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

a. ut¹ta c. b. eteanimea c. c. p̄cellentissimes c.

1. anno 760. V. ep. 19 supra p. 87.

35. *Paulus I papa Carolo et Carlomanno regibus, qui litteris per Petrum missis S. Petri suique amorem ostenderint, gratulatur, utque patrem virtutibus aequent, optat*[a].

(Cod. 40, Cen. 30)

761—766 Dominis excellentissimis filiis Carolo et Carlomanno regibus Francorum et patriciis Romanorum Paulus papa.

Quanto decoris nitore regalis gloriae fastigium ornatis, ex hoc utique omnibus patenter datur intellegi[b], dum nimirum, sicut praeclaro genere orti, piis operibus ac dignis videmini inlustrari moribus. Unde unam quidem huius divini muneris gratiam possidetis ex genere et aliam fruimini ex opere. Et nec mirum, si tantis infulis gloriae nobilitas vestra pollet, dum profecto scriptum est: *Generatio rectorum benedicetur*[1]. Glorificamus enim atque conlaudamus Dei nostri clementiam, qui tantam vobis Spiritus sancti gratiam contulit. Iam nempe praedistinatos vos habuit, antequam de materno prodiretis[c] utero, quoniam: *Quos praescivit, et praedistinavit*[2]; *quos praedistinavit, hos et vocavit; quos vocavit, illos et magnificavit*[3]. Vere enim magnificavit Dominus misericordiam suam super vos et, in reges per suum apostolum beatum Petrum vos unguens, defensores sanctae suae ecclesiae atque fidei orthodoxae constituit, ut participes in hoc bono opere vestri christianissimi efficiamini genitoris. Pro quo digna vobis erit in celestibus regnis cum eo concessa remuneratio et cum omni eritis sanctorum computati collegio.

Inter ea reversus ad nos Petrus primus defensorum, missus noster[4], detulit nobis, quas direxit[d] litteras. Quibus relectis, magna cor nostrum repletum est laetitia[e]. Per has quippe inno-

a. *ex cod. f.* 46*v* — 47*v*. *Lemma:* Item exemplar epistolae eiusdem papae ad domnum Carolum et Carlomannum regibus directa, in qua continentur gratiarum actiones, et de litteris ab eis directis, et ut cum domno et genitore eorum semper pro defensione sanctae Dei ecclesiae decertare debeant. b. intelli *c.* c. proderetis *c.* d. nobilitas vestra *vel quid simile excidisse videtur.* e. laetatitia *c.*

1. Ps. 111, 2. 2. Rom. 8, 29. 3. Rom. 8, 30. 4. V. supra p. 116 n. 2.

tuistis, excellentissimi atque praecellentissimi filii, vos semper 761—766
in amore beati Petri et spiritalis matris vestrae sanctae Dei ecclesiae atque nostro esse permansuros et viriliter decertaturos pro ipsius sanctae Dei ecclesiae atque fidei orthodoxae defensione. Et quidem nobis, boni praecellentissimi reges, de vestra firma huiuscemodi constantia omnino confidendum est; magnam post Deum in vobis habentes spem. Sed omnipotens Dominus, qui dives est in misericordiis[1], ad perfectam vos perducat aetatem, tribuens vobis longeva ac felicia tempora corroboretque in vobis fortitudinem brachii sui; atque victores vos super omnes barbaras efficiat nationes, dilatans regni vestri terminos; atque de vestro praeclaro semine super regale solium potentiae vestrae usque in finem seculi sedere permittat pro aeterna sanctae suae ecclesiae universali exaltatione et fidei orthodoxae defensione.

Sed peto, excellentissimi filii, ut imitatores vestri christianissimi genitoris efficiamini, eiusque Deo placita sequentes vestigia: ut, sicut ipse operibus omnibus gentibus demonstravit, ita quoque et vos bonum quod cepistis opus perficere studeatis et viriliter cum eo decertare; quatenus amplissima sanctae Dei eclesiae procuretur exaltatio, dum vestro auxilio beatus[a] Petrus receperit iustitias suas; dignamque ex hoc coram Deo et angelis eius, eodem principe apostolorum beato Petro interveniente, celestium praemiorum recipiatis remunerationem, et vestri nominis memoria laudabili fama maneat[b] in saeculum saeculi divulgata. Deus autem omnipotens, qui cuncta ex nihilo suae potentiae verbo firmavit, suis vos divinis adherere faciens mandatis, vestra in beneplacito suo dirigat studia; tribuatque vobis prudentiae industriam, qualiter regni culmen gubernare valeatis; atque adversantium gentium nationes vestris subiciat pedibus; et sicut in praesenti vita regalem vobis concessit dignitatem, ita quoque et caelestia vobis conferat praemiorum gaudia.

Bene valete.

a. peatus *c*. b. famaneat *c*. 1. Ephes. 2, 4.

36. *Paulus I papa Pippino regi respondet. Gratias agit de imperatoris legatis prudenter tractatis et de fraudulentae eiusdem epistolae exemplo sibi misso. Sperat, fore ut ecclesia defendatur. Mittit signum suum. Legatos suos, petente Tasilone duce Bavariorum, ad eum de pace missos, per Desiderium retentos esse. Legatos et suos et regios ab imperatoris criminationibus tuetur*[a]. (Cod. 20, Cen. 37)

764—766 (post Maium) Domino excellentissimo filio et nostro spiritali compatri Pippino regi Francorum et patritio Romanorum Paulus papa.

Cum regalis potentiae culmen plus fidei virtute quam bellatorum armis videatur praesidio et fortitudine circumtegi, quid mirum, excellentissime et vere orthodoxe regum, si studiorum vestrorum conatus ad profligandum Dei institutionem ac fidei christianorum censuram inpensius inminere non desistat. Et ob hoc et caelestis vobis victoria[b] .... et prospera a redemptore nostro credite praecellentiae vestrae fore largitura.

Remeantibus siquidem ad nos missis nostris, quos ad vestram praeclaram excellentiam directos habuimus, Iohanne videlicet subdiacono et abbate[1] atque Pampilo defensore[c] regionario spiritalis matris vestrae sanctae nostre ecclesiae, una cum vestro misso Flagino cappellano attulerunt nobis honorabiles et nimis desiderabiles christianitatis vestrae[d] litteras. Quas cum nimio iocunditatis gaudio suscipientes ac relegentes, protinus earum adsertio tamquam suavitatis flagrantia nos afficiens[e] ac salutaris providentiae fomento medens laetos efficit.

Porro, christianissime rex amantissime fili et spiritalis com-

a. *ex cod. f.* 29*v* — 31*v*. *Lemma:* Item exemplar epistolae eiusdem papae ad domnum regem Pippinum, per Flavinum cappellanum et Iohannem subdiaconum et abbatem atque Pampilum defensorem regionarium sanctae ecclaesiae directa; in qua continentur gratiarum actiones de ipsis missis, qualiter una cum missis imperialibus honorificae suscepti sunt, et caetera. b. victoriada *c.* c. deuensore *corr. in* defensore *c.* d. vestrae *addidi.* e. nos ficiens *c.*

1. Iohannes subdiaconus et abbas una cum Petro primo defensore anno 767 ad Pippinum missus est, ut intelligitur ex ep. 43 infra. Quare idem istam legationem cum Pampilo defensore regionario peregit ante a. 767.

pater, innotuit benignitas vestra: qualiter nostri ac inperatoris[1] missi a vobis suscepti sunt[2], et quemadmodum illis de singulis, quae praeclaro culmini vestro affati sunt, respondere studuistis; eos pro amore fautoris[a] vestri beati Petri nequaquam suscipi aut illis respondi adquiescentes absque nostrorum missuum praesentia. Sed et ipsi nostri legati ea ipsa nobis retulerunt. Unde, licet nos ob tantam cordis vestri sinceram[b] affluentiam, quam erga spiritalem matrem vestram Dei ecclesiam et nostram fragilitatem habere videmini, digna rependere non valemus, est tamen protector vester dominus Deus noster, qui vos regnare iussit et sanctam suam ecclesiam ad defendendum vobis commisit, qui dignam praemiorum in praesenti ac futura vita praecellentiae vestrae rependere potest remunerationem. 764—766 (post Maium)

Itaque et litteras, quas vobis simulationis ac inlusionis causa ipsi imperiales missi attulerunt nobisque a vobis directas, suscipientes, earum agnovimus seriem. Et omnino in hoc benignitatis vestrae pia consideratio exultationis laetitiam nobis intulit; quia vere constat, non pro humano favore sed pro Dei timore ita vos peregisse. Sed et ea, quae praelati nostri missi cum imperialibus missis de observatione fidei orthodoxe et pia patrum traditione in vestri praesentia disputantes altercati sunt, nobis liquidius per eadem vestra scripta innotuistis. Simulque et exemplar litterarum, quas praelato imperatori direxistis, responsionis quippe modo, et solutionem petitionum de his, quae ab eo vobis intimata sunt, nobis dirigere a Deo inlustrata excellentia vestra annuit. Verum etiam et, quemadmodum eisdem imperialibus missis responsum reddidistis et unum ex eis, Anthi nempe spatarium, cum vestris missis regiam direxistis urbem, et alium, videlicet Sinesium eunuchum, apud vos detenuistis, simili modo nobis minutius intimastis. Agnitisque omnibus, a vobis pro exaltatione sancte Dei ecclesiae et fidei orthodoxe

a. faustoris *c.* b. senceram *corr. in* sinceram *c.*

1. Constantini IV. 2. Itaque scripta haec epistola est, cum legati Constantinopolim missi, de quibus nihildum allatum esse retulit Paulus papa spatio mensium Ianuarii et Martii a. 764 (v. ep. 29 supra p. 110), iam rediissent. Cf. infra p. 127 n. 1.

764—766 (post Maium) defensione peractis, laetati sumus gaudio magno. Et ita nobis placabilia existunt, sicut certe, non hoc humano consilio sed Dei providentiae intuitu vos talia egisse ac respondisse, ambiguum non est. Vere enim, domine rex fili christianissimę et spiritalis compater, spiritus Dei intimi cordis tui inlustrat piam considerationem; et qui Spiritus sancti gratia redundat, non aliis nisi quae spiritalia sunt exuberat; quoniam cor potentiae vestrae, in manu Dei consistens, in suo procul dubio illud inclinat beneplacito[a].

Direxistis siquidem nobis per eadem vestra scripta significantes: quod nulla suasionum blandimenta vel promissionum copia vos possit avellere ab amore et fidei promissione, quam beato Petro principi apostolorum et eius vicario praedecessori et germano nostro sanctae recordationis domno Stephano pape polliciti estis; sed in ea ipsa vos caritate et sponsionis fide fine tenus fore permansuros. Et quidem nos, praecellentissime regum, experimento comperimus et operibus conprobavimus, vos firma atque robustissima[b] constantia in ea ipsa sponsione[c] in finem permanere. Et in vobis confidimus, quod, si universi mundi thesaurorum copia in conspectu vestro afferatur ac tribuatur, nullo modo in aliam partem vestram firmam et a Deo inpulsam mentem declinare conflectereque valebit. Quoniam vos omnipotens[d] Dominus prae cunctis regibus seculi elegit et in vobis conplacuit, ut vestro certamine sancta universalis Dei Romana ecclesia et capud omnium ecclesiarum ac firmamentum fidei christiane ab inpugnatorum insidiis liberata extitisset. Et illud, quod a constitutione seculi Dominus per vos perfici decrevit, ecce mirabiliter operatum est.

Unde magnam post Deum in vestro regali culmine spei fiduciam habemus: quod perfectius ipsa sancta Dei aecclesia atque haec miserrima et aflicta provintiola a perfidia inimicorum liberetur. Quia antiquus humani generis hostis non desinit inimicorum corda pulsare, ut suas iaculent solite insidias. Sed, bone

a. benepla *c.* b. robustisima *c.* c. *sequitur iterum* vos, *sed est inductum.* d. omnipotentes *c.*

orthodoxe rex, tuo solito certaminis presidio eorum cum Dei virtute stude confringendum malitiam; ut sancta Dei ecclesia et populus eius peculiaris perfectius ab inimicorum sevitia liberetur et, merito suffragiis apostolorum circumsepti, mercedis vobis in caelo repositam coronam consequi mereamini. 764—766 (post Maium)

Dreximus itaque excellentiae vestrae, iuxta ut intimastis, signum nostrum per praesentem missum vestrum.

Inter ea et hoc innotescimus christianitati vestrae: quod iam sepius nos petisse dinoscitur Tasilo Baiuariorum dux, ut nostros missos ad vestram praeclaram excellentiam dirigi annuissemus; ut ea inter vos provenirent[a], quae pacis sunt[1]. Unde nos, data occasione, libentissime nostros missos, id est Philippum dilectum filium nostrum presbiterum atque Ursum cūū[b] nostrum et fidelem, ad vestri praesentiam visi sumus direxisse transacto Maio mense; eo videlicet modo, ut, qualiter vestra fuisset voluntas, ita peragere debuissetis. Et properantibus ipsis nostris missis usque Ticino, adversa suspicione arreptus, Desiderius Langobardorum rex minime eos permisit ad vestram a Deo conservatam excellentiam pertransire gradiendum. Tamen et easdem litteras, quas vobis dirigebamus, infra hec nostra scripta christianitati[c] vestrae transmisimus. Mai.

Itaque et hoc a Deo protecte christianitati vestrae aptum duximus intimandum: quod relectis[d] imperialibus litteris vobisque defertis per praelatos Anthi spatarium et Sinesyum eunuchum, quas nobis ob earum seriem intuendam pro amore beati Petri fautoris vestri dirigere[e] dignati estis, repperimus in eis adnexum, quod vestri ac nostri homines, qui ipsas imperiales syllabas, quae vobis nobisque directae sunt vel diriguntur, interpretantur, non iuxta ut ibidem exaratum est, sed aliud pro alio false interpretare audent; sed missi, qui inter partes properant, non sicut illis iniunguntur, sed, acceptilationis[f] praemio corrupti,

a. prouerent *c.* b. *sic.* c. christianitatis *c.* d. relictis *c.* e. digere *c.* f. acceptilationes *c.*

1. Tassilonem ducem demum anno 763 simultates cum Pippino rege exercere coepisse constat.

764—766 (post Maium) alia pro aliis deferunt. Et in hoc perpendat vestra excellentia, quanta est inimicorum malitia; dum contra animas eorum, non quae veritatis sunt, sed per hanc[a] occasionis versutiam iniqua proferunt mendatia, in id quod nec suis nec vestris ac nostris credant missis; dum et vos satisfacti estis de vestris hominibus, simili modo et nos de nostris, quod nullo modo hoc agere penitus praesumant. Satisfaciat omnipotens Deus, qui cordis ac renum scrutator est, mellifluum cor excellentiae vestrae: quod nequaquam nostrum quispiam[b], ut ipsi adserunt, talia agere perpetravit.

Sed in hoc vehementer isdem imperator irascitur et occasionis versutiam[c] adhibet, pro eo quod nequaquam silesimus ei praedicandum ob constitutionem sanctarum imaginum et fidei orthodoxe integritatem. Nam illud in ipsis suis apicibus adseruit: quod dilectus filius noster Christophorus primicerius et consiliarius sine nostra auctoritate[d], nobis quasi ignorantibus, suggestiones illas, quas sepius ei dreximus, fecisset et alias pro aliis eius ac vestris missis relegisset. Et in hoc testem et iudicem proferimus Deum, quod ita nequaquam est. Nihil enim ipse noster consiliarius extra nostram voluntatem aliquando egit vel agere praesumpsit. Quoniam nostri praedecessoris ac germani domni Stephani papae simulque et noster sincerus atque probatissimus fidelis extitit et in omnibus existit; et satisfacti sumus de eius inmaculata fide et firma cordis constantia. Et ob hoc credimus: illut, quod nobis false profertur, non inproperium sed bravii corona nobis a Deo conputatur. Et idcirco utrisque nobis Dominus adiutor est; et non timebimus, quod nobis faciat homo[1]. Habebimus enim, post Deum, et clipeum protectionis et arma virtutis vestram a Deo inlustratam preclaram excellentiam.

At vero christianitas vestra suos iubeat inquirere missos. Et in omnibus vos satisfaciatis: quoniam mendatium contra nos isdem adseruit inperator; eo quod eam direximus suggestionem.

a. hac *c.* b. quippiam *corr. in* quispiam *c.* c. versutias *corr. in* versutiā *c.* d. actoritate *c.*

1. Ps. 55, 11.

Eis, relegentes pariter cum ipsis, quae direximus, confirmavimus; 764—766
tamen et eius exemplar a nobis vobis directum apud vos habere (post Maium)
videmini.

His praemissis, flexis poplitibus, una cum universa plebe Dei polorum tellorum opificem dominum Deum nostrum[a] exoramus: ut vobis praesentis vitae longevitatem cum magna de hostibus victoria concedat, et aeterna gaudia tam excellentiae vestrae quamque christianissimae reginae filiae et spiritali nostrae[b] commatri amantissime vestrae coniugi atque dulcissimis natis excellentissimis Carolo et Carlomanno regibus Francorum et patriciis Romanorum largiri dignetur.

Incolomem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

---

37. *Paulus I papa Pippino regi respondet. Amorem eius in S. Petrum collaudat. Sperat fore, ut Graecis in Franciam missis ex ecclesiae usu respondeatur. Georgium episcopum Ostiensem et Petrum presbyterum ut in Francia retineat, iam iterum concedit. Desiderium Romae nuper fuisse; de Saxulo puero, de Beneventanis et Tuscanensibus, de ducatu Spoletino, de Neapolitanis et Caietanis*[c]. (Cod. 26, Cen. 40)

Domino excellentissimo filio et nostro spiritali compatri 764 ex.—
Pippino regi[d] Francorum et patricio Romanorum Paulus papa. 766 ex.

Votiva cordis nostri desideria et intimi pectoris affectu ut[e] vestrae excellentiae beneficiorum suffragia sanctae Dei ecclesiae vota proferentes, obtabilem nimisque amabilem salutem praecelsae christianitati vestrae — atque excellentissimae et nostrae benignissimae filiae et commatri obtime reginae simulque amantissimis ac praeclaris vestris nostrisque in Christo amabilibus filiis Carolo et Carlomanno excellentissimis regibus Francorum et patriciis Romanorum, nec non et omnibus reverentissimis fratribus nostris ac dilectissimis nobis episcopis, presbiteris etiam,

a. nrūm *c.* b. nr̄ae *c.* c. *ex cod. f.* 36—37*v. Lemma:* Item exemplar epistolae eiusdem papae ad domnum Pippinum regem, per Fardum et socios eius directae; in qua continentur uberrimae laudes, et de missis apostolicis vel Graecorum hic in Francia morantes, seu de Georgio et Petro. d. regi *om. c.* e. *an* ob?

764 ex.— 766 ex. religiosis[a] abbatibus simulque et cunctis obtimatibus, iudicibus, ducibus videlicet et comitibus, nec non et universo Christo protecti Francorum regni populo vobis subiacentibus — destinamus perennem salutem. Persistentes[b] etiam una nobiscum et in osculo caritatis vos amplectentes universi sanctissimi fratres nostri episcopi — presbiteri etiam et cunctus sanctae et spiritalis matris vestrae Romane ecclesiae clericorum ordo, et procerum ac obtimatum[c] et universi Romani magni vel minoris congregatio — sedulis interventionibus pro vita et incolomitatis[d] vestrae laetitia caelitusque vobis concedentibus victoriis divinam nobiscum deprecantes clementiam. Et vere debitum vobis est, excellentissime fili nosterque post Deum defensor ac liberator, solitae honorificentiae affectum persolvere et inpensius salutationis verba promere et ea, quae ad regni vestri inmensam exultationis laudem et animae vestrae salutem respiciunt, amplissimae profligari.

Igitur, regressis nostris missis quos ad vestrae regalis clementiae vestigia distinatos habuimus, Petro[e] scilicet notario regionario[f] sanctae nostrae ecclesiae et Iohanne[g] mansionario[1] confessioni basilice fautoris vestri beati Petri, coniungentibus etiam et vestris missis, Uulfhardo[h][2] nempe eiusque sociis, protulerunt nobis honorandas nimisque desiderandas sillabas praecellentiae vestrae. Quas cum in conventu fratrum consacerdotumque meorum et cleri atque cuncti laicorum ordinis coetu legissemus, nostri ac vestri missi ea, sibimet a vobis iniuncta, de vestra immutabilis mentis constantia et puritatis integritate, quam pro spe sanctae Dei ecclesiae et fidei orthodoxae habere videmini, retulissent; ilico nimio gaudio repleti, elevatis ad aethera oculis extensisque palmis, inmensas omnipotenti Deo nostro et vestrae excellentiae referuimus grates; angelicam illam pro vestris meritis divinae eius potentiae canentes laudem: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax in hominibus bone voluntatis*[3]. Neque

a. regiosis *c.* b. persistensistentes *c.* c. ac timatum *c.* d. colomitatis *c.* e. Petrus *c.* f. not reḡ *c.* g. Iohannē *c.* h. Uulhardo *c.* *Cf. infra.*

1. aedituo. 2. abbato S. Martini Turonensi. 3. Luc. 2, 14.

enim, bone rex, aliter mentes fidelium credi poterant, quam quod in earum ......[a] ex operibus cernentes conperimus a vobis peractum. Qui pio intuitu, humanas suasiones et inanes promissiones respuentes, nihil amori et certamini, quam erga beatum Petrum geritis, praeponere maluistis. Sed omnia terrena lucra velut lutum, quod pedibus conculcatur[b], reputantes, ei vos placere eiusque mandatis totis nisibus obtemperare, vestrae inminet cure. Et idcirco ecce, bone rex et praecelsae fili et spiritalis compater, thesaurizasti tibi thesauros infinitos in sidereis arcibus, ubi erugo non praevalet nec tinea ea, quae iustis tribuenda sunt, consumi possunt[1]; dum ita mirabiliter praecelsae excellentiae vestrae opera rutilant. Quis de vobis quoquo modo ambigere possit, dum ea, quae beato Petro polliciti et ob veniam vestrorum concedere studuistis delictorum, inlibato eius iure perenniter permanenda conservare satagitis et vestris — a vobis et[c] a Deo conservandis — magnis exhortationibus committitis. Et ideo nobis nimis vel cuncto populo nostro confidendum est: in huiuscemodi pio proposito, in immutabilis constantia mentis vos vestrasque[d] soboles et universum regnum Francorum firmiter esse permansuros; quoniam, iuxta ut nobis excellentia vestra innotuit, scimus cui credimus et certi sumus[2]. 764 ex. — 766 ex.

De nostra itaque puritate et dilectione, quam erga vos et cunctum a Deo protectum regnum Francorum habere dinoscimur, credimus iam vos plenissime[e] esse satisfactos[f]. Pro quo et ampliori certificatione Deum caeli testem proferentes, in ea nos caritatis dilectione, quam cum[g] sanctae recordationis domino et germano nostro beatissimo Stephano papa et per eum cum omnibus successoribus pontificibus vos vestrique suboles et cuncta vestra proles atque universum regnum Francorum usque in finem seculi conservare spondistis, et nos etiam atque nostros successores pontifices confitemur esse permansuros pro exaltatione

a. *lacuna non est in cod.* b. c̄culcator *c.* c. *sequitur* ur̄as. d. ur̄isq; *c.* e. plenisime *c.* f. essatisfactos *c.* g. cum *om. c.*

1. Cf. Matth. 6, 20. 2. 2 Timoth. 1, 12: „Scio enim cui credidi et certus sum“.

764 ex. — 766 ex. sanctae Dei ecclesiae et fidei orthodoxae defensione. Nulla nos rerum qualitas ab eadem caritatis confirmatione potens poterit separare.

Direxit itaque nobis excellentiae vestrae christianitas, significans de missis nostris vestrisque atque Grecorum, qui a regia urbe reversi sunt[1]: eos aput vos esse detentos, interim quod, aggregatis vestris sacerdotibus atque obtimatibus, conicere seu perpetrare valeatis, quid de his, quae vobis directa sunt, respondendum sit. Et quidem nobis hac de re aliter confidendum non est a vobis respondi, nisi quae ad exaltationem sacrosanctae spiritalis matris vestrae Romane ecclesiae, caput omnium ecclesiarum Dei, atque orthodoxae fidei pertinere noscuntur; et quia, quod semel beato Petro pro aeternae vitae retributione obtulistis, nulla vos deberet ratione ab eius iure et potestate separari. Scimus enim, quod nulla apud vos suasionis fabulatione praevalet, dum divina verba et apostolica documenta firmiter in vestro corde retinetis adnexa. Et ecce, sicut nobis per vestras litteras et nostros vestrosque missos maximam confidendi materiam intulistis, prestolamur letabunda hac de re nuntia a vobis suscipi et solite de vestro benigno mentis proposito gratulari.

Et hoc praecelsa christianitas vestra per easdem suas nos adgreduit syllabas: Georgium episcopum[2] et Petrum presbiterum in vestro permanendum servitio, nos debere concedi. Et quidem praecellentissima vestra benignitas agnoscat, nos iam dudum[3] de hoc vestrae obtemperasse voluntati. Per Andream quippe religiosissimum[a] missum vestrum, sicuti poposcendum, in exaratis distinatis apostolicis syllabis eos vobis dignoscimur concedisse; intimantes, ut, sive retinendum sive etiam absolvendum vestra fuisset voluntas, de eis peragere deberetis. Unde etiam et nunc vestro voluntatis arbitrio relaxamus, ut[b], qualiter vobis de eis

a. regiosissimum *c.* b. aut *c.*

1. De legatis regiis et papalibus Constantinopolim missis nihil sibi allatum esse, scripserat Paulus spatio mensium Ianuarii et Martii a. 764. V. ep. 29 supra p. 110. 2. Ostiensem. 3. iam anno 761; v. ep. 21 supra p. 94.

placuerit tam retinendum quam absolvendum, faciatis; dum semel a nobis vobis concessi sunt. Sed utinam ipsi placabiles in vestro possint esse servitio. Pro quo dirigite nobis, quid de episcopato praedicti Georgii et de ecclesia[a], quae praenominato Petro commissa est, peragere debeamus; ne, amplius illis amotis[b], in nimiam neclectus incuriam deveniant. 764 ex. — 766 ex.

Inter ea duos vestros missos, id est Uullfardum et eius socium, secundum vestram praeceptionem pro utilitatibus sanctae nostrae ecclesiae spiritalis matris vestrae in his partibus retinuimus.

Illud preterea excellentia vestra innotuit, Desiderio vos Langobardorum regi[c] direxisse, ut Saxulum puerum nostrum, qui nobis fugam arripuerat, reddere deberet. Sed agnoscat christianitas vestra — quod etiam vos creditum[1] cognitum habere — coniunxisse[d] hoc praeterito auttumni tempore[2] eundem Desiderium Langobardorum regem ad apostolorum causa[e] orationis limina; eundemque nostrum puerum secum deferens nobis contradidit.

Cum eodem quippe rege, pro iustitiis inter partes perficiendis loquente, constitit: ut, nostris eiusque missis per diversas civitates progredientibus, ipsae perpetrate fuissent iustitiae. Et ecce Deo propitio de partibus Beneventanis atque Tuscanensibus et fecimus, et ad vicem nostras recepimus. Nam et de ducatu[f] Spoletino, nostris vel Langobardorum missis illuc adhuc existentes, ex parte iustitias fecimus ac recepimus. Sed et reliquas[g], quae remanserunt, modis omnibus plenissime inter partes facere student.

In embolin vero direxit nobis a Deo protecta excellentia vestra: praefatum vos Desiderium ammonuisse regem[h]: Neapolitanos ac Kaietanos constringendum ob restituendum patrimonia protectori vestro beato Petro illic Neapolim sita, et largiendi

a. ecelesia *c.* b. ammonitis *c.* c. rege *c.* d. coniuxisse *c.* e. causā *c.* f. ducatus *c.* g. requias *c.* h. reges *c.*

1. an creditur? credimus? credimini? 2. itaque exeunte anno data haec epistola est.

764 ex.— 766 ex. licentiam electis solite ad suscipiendam episcopalem consecrationem ad hanc apostolicam properandi sedem[1]. Quapropter maximas de hoc et de omnibus excellentiae vestrae referimus grates.

His praemissis[a], omnipotens dominus Deus noster sua vos continua protectione circumtegat et ab omnibus[b] adversitatibus eripiat; et vestris vestigiis omnes barbaras subiciat nationes, concedens vobis[c] et praesentem regnum feliciter per multorum annorum curricula[d] una cum amantissima coniuge et praecelsis filiis perfrui, et vitam aeternam cum sanctis tribuat possidendam.

Deus te incolomem custodiat, excellentissime fili.

---

38. *Paulus I papa Francos ob operam ecclesiae navatam laudat. Praedicatis Pippini meritis, vota facit, ut barbarae nationes omnes in eorum regum potestatem redigantur*[e].

(Cod. 22, Cen. 14)

758—767 Paulus servus servorum Dei omnibus dilectis nobis episcopis et venerabilibus presbiteris et abbatibus atque religiosis monachis gloriosis etiam ducibus et comitibus seu universae Christo dilectae generalitati exercitus a Deo protecti regni Francorum constitutis.

Considerantibus nobis et velud ignitam coram nostris aspectibus splendifluam Christo amabilis fortitudinis vestrae fidem et laboriosum certamen adhibentibus, quod liberatione sanctae catholicae et apostolice Romanae[f] ecclesiae — quae vos verbo prae-

a. p̄mittis *c.* b. ab nib; *c.* c. nobis *c.* d. cаricula *c.* e. *ex cod. f.* 32*v* — 33. *Lemma:* Item exemplar generale eiusdem papae ad cuntum exercitum a Deo protectum regni Francorum; in qua continentur gratiarum actiones et uberrimae benedictiones pro certamen eorum, et ut magis in servitio Dei omnipotentis et sanctae Dei ecclesiae certando perseverent e(t) animum domni Pippini regis ad hoc peragendum excitent. f. nomanae *c.*

1. i. e. licentiam electis episcopis concedat Desiderius, ut Romae consecrentur. Falsus est igitur Di Meo (Annali critico-diplomatici del regno di Napoli III 46), qui ad unum Paulum electum episcopum Neapolitanum tendere verba censuit atque ita epistolam hanc ad annum 762 revocavit; cuius sententia a Carolo Troya (Codice diplomatico Langobardo V 189) accepta est.

dicationis peculiaritatis modo sinceros genuit filios — exibere totis nisibus studemini, magna nobis admirandi inheret qualitas. Et ob hoc laudis preconia vestro nomini et benedictae generationi proferre in universo non desistimus orbe terrarum. O dulcissimi atque amantissimi nobis, quam vicissitudinis[a] repensationem vestro cessui[b] conferamus, aut que thesaurorum copiae digne sint ad tot beneficiorum praesidia, quae sanctae ecclesiae contulistis? Et licet in hoc mentis consideratio et possibilitas coartetur vobis digna rependere, verumtamen est iudex iustus in caelis dominus Deus noster, qui digna vestrorum retribuet operum merita. 758—767

Vere enim altatum[c] est nomen gentis vestrae super multas generationum nationes; et regnum Francorum vibrans emicat in conspectu Domini, quod talibus benignissimis Dei catholicae et apostolice sanctae ecclesiae liberatoribus preornatur regibus. Novus quippe Moyses novusque David in omnibus operibus suis effectus est christianissimus et a Deo protectus filius et spiritalis compater[1] domnus Pippinus, Dei nutu victoriosissimus rex, per quem exaltata Dei ecclaesia triumphat et fides catholica ab hereticorum telo inlibata consistit.

Et vos quidem carissimi, gens sancta, regale sacerdotium, populus adquisitionis[2] cui benedixit dominus Deus Israhel, gaudete et exultate, quia nomina vestra regumque[d] vestrorum exarata sunt in celis et merces vestra magna est coram Deo et angelis eius. Firmum quippe beatissimum Petrum apostolorum principem, cui a redemptore[e] nostro ligandi solvendique peccata caelo ac terra concessa est potestas, adepti estis protectorem. Sed omnipotens Dominus eiusdem sui apostoli intercessionibus benedicat protegat atque confortet et conroboret Deo amabilem communitatem vestram, actusque vestros in beneplacito suo disponat, tribuens vobis a caelo victoriam. Et terminos

a. vicissitudini *c.* b. *an* censui? certatui? c. caltatum *corr. in* altatum c. d. regnumque *c.* e. a demptore *c.*

1. Cf. ep. 14 supra p. 72. 2. 1 Petri 2, 9: „Vos autem genus electum, regale sacerdotium, populus acquisitionis“.

758—767 vestros dilatet, subiciens excellentissimis regibus vestris omnes barbaras nationes ad[a] perfectam liberationem et exaltationem sanctae universalis Dei ecclesiae et fidei orthodoxae integritatem; detque vobis ea sapere, quae illis sunt placita; et multo amplius corda vestra in amore beati Petri et eius apostolicae sedis inlustret. Fidelique studio eius praeceptis apostolicis obtemperantes vestrorumque regum mandata observantes, et praesentis vitae cursus cum victoria et bona fama exequi et aeterna gaudia cum celi civibus perfrui mereamini.

---

39. *Paulus I papa Pippino regi Francorum scribit, quam sibi suaserit, Desiderii Langobardorum regis pacem, si is promissa solverit, se libenter culturum esse. De ecclesiae rebus et Graecorum insidiis cum eodem rege se Ravennae collocuturum, nuntiat*[b]. (Cod. 30 et 33, Cen. 33)

758—767 Domino excellentissimo filio et nostro spiritali compatri Pippino regi Francorum et patricio Romanorum Paulus papa.

Dum tanto vestrae sublimissimae excellentiae beneficio et impenso opitulationis adminiculo sancta[c] spiritalis mater et peculiaris vestra universalis Dei ecclaesia dinoscitur relevata, quae humana lingua sufficere[d] valeat ad huius benignae[e] vestrae operationis merita gratiarum referre actiones? Et licet in hoc humanae considerationis capacitas rependendi nequeat, verumtamen[f] ille — qui potens est, omnipotens et invisibilis dominus Deus noster, cuius ordinatione[g] vestra regalis potentia confirmata consistit — interventionibus sacris[h] principis apostolorum beati Petri dignam vobis remunerationem in praesenti vita et in futura[i] bea-

a. ad *om. c.* b. *Haec epistola in cod. bis legitur* 1. *f.* 39*v* — 40*v cum hoc lemmate:* Item exemplar epistolae eiusdem papae ad domnum regem Pippinum pro defensione sanctae Dei ecclesiae directae, in qua continentur gratiarum actiones et uberrimae benedictiones pro integritatę orthodoxae fidei observationum. 2. *f.* 42*v* — 43 *cum lemmate hoc:* Item exemplar epistolae eiusdem papae ad domnum regem directa pro defensione sanctae Dei ecclesiae et de conlocutione cum Desiderio rege in urbe Ravenna. c. s̄c̄ī 2. d. n̄ *superscriptum est* 1. e. bena *corr. in* bona 2. f. verutamen 1. g. ordinationes 2. h. sacri 1, sacris 2. i. et in futura *om.* 2.

titudine retribuet; praesertim dum et fortissimus sanctae orthodoxae fidei et venerabilium patrum pie traditionis defensor esse videris, excellentissime fili et spiritalis compater, et ob hoc ipsam, quam[a] veneranter colis et defendere studes, orthodoxam fidem semper habebis adiutricem et profecto celestis tibi contra adversantium cuneos[b] administrabitur victoria. 758—767

Inter ea, quia[c] magno amoris[d] affectu circa vestram a Deo protectam eximiam excellentiam fervescimus, debitum visitationis et salutationis gnaviter[e] procuravimus sublimitati vestrae persolvere, eximiae fili et spiritalis compater.

Hoc inter ea vestram meminere volumus excellentiam, nuper nobis direxisse: quatenus in pacis dilectione cum Desiderio Langobardorum rege conversare studeamus. Quod quidem si ipse excellentissimus vir[f] in vera dilectione et fide, quam vestrae excellentiae et sanctae Dei Romane[g] ecclesiae spopondit, permanserit, utique et nos in caritate firma et stabili pace cum eo permansuri erimus; observantes illud dominice praeceptionis documentum: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur*[1].

Hoc itaque innotescimus christianissime eximietati vestrae, eo quod convenit inter nos et eundem Langobardorum regem: ut pariter nos in Ravennantium urbe praesentare studeamus ad perficiendas quasdam utilitates spiritalis matris vestrae sanctae nostrae ecclesiae et pertractandum pro Grecorum malitia, qui cotidie imminent in ipsam Ravennatem[h] ingredi civitatem. Dumque pariter praesentati, quicquid conlocuti[i] fuerimus vel rei exigerit meritum, excellentissime et a Deo protecte[k] eximiaetati vestrae innotescimus.

Orantes de reliquo divinam clementiam, ut ad perfectam exaltationem sanctae Dei ecclesiae et orthodoxae fidei defensionem aevis et prosperis temporibus excellentissimam christianitatem vestram in solio regalis potentiae cum dulcissima coniuge

a. ipsa quae 1, ipsam quam 2. b. cuneus *corr. in* cuneos 1, cuneos 2. c. q 1. d. amoris *om.* 1. e. non inaniter 1, gnaviter 2. f. vir *om.* 1. g. Romanae Romane 2. h. Ravennam 2. i. elocuti 1, cūlocuti 2. k. protectectore 2.

1. Matth. 5, 9.

758—767 excellentissima regina, spiritali[a] nostra commatre, atque amantissimis natis conservare et protegere dignetur; tribuens vobis et[b] aeterna caelestis patriae gaudia possidenda.

Incolomem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

---

40. *Paulus I papa Pippino regi Francorum mittit exemplar epistolae praesulum orientalium, mandatu Cosmae patriarchae Alexandrini allatae*[c]. (Cod. 35, Cen. 31)

758—767 Domino excellentissimo filio et nostro spiritali compatri Pippino regi Francorum et patritio Romanorum Paulus papa.

Quia, Spiritus sancti gratia preveniente, cor benignae eximiaetatis vestrae amor Dei inflammavit, profecto constat, a Deo servate praecellentissime rex, piis te profectibus adherere. Et dum tantam in vobis cumulatam gratiam conspicimus, omnino nobis et omnibus christianis fidutiae materia de vobis admissa est: quod ea, quae ad cultum Dei et verae fidei orthodoxae observantiam respiciunt, toto mentis conatu vos esse operaturos[d].

Inter haec vero, sublimissime fili et spiritalis compater, si quid ad nos pervenerit, libentissime sicut orthodoxo regi et defensori fidei christianae significamus. Innotescimus quippe, iam absolutis vestris missis, coniunxisse[e] ad nos navigium a partibus Africae, in quo quidam monachus, a Cosma ab Alexandrino patriarcha[1] cum litteris directus, advenit. Quarum instar[2] praefulgidae excellentiae vestrae misimus intuendum; ut ea, que nobis pro integritate fidei ab orientalibus praesulibus et ceteris nationibus diriguntur, agnoscatis, et laetetur cor vestrum in huiuscemodi eorum affectu, quem in mandatis Dei habere videntur. Quia, dum piae considerationis studio mens vestra intenta existit, nimirum oppido gaudere vos credimus, si ea vobis, quae pro integritate fidei pertineunt, innotescimus.

a. spiritale 1, spiritali 2. b. et *erasum est in* 1. c. *ex cod. f.* 43v — 44. *Lemma:* Item exemplar epistolae eiusdem papae ad domnum Pippinum regem directa de monacho quodam a Cosma ab Alexandrino patriarcha derecta. d. *sequitur iterum* conspicimus. (*Cf. supra:* — in vobis cumulatam gratiam conspicimus). e. coniuxisse *c.*

1. De Cosma patriarcha Alexandrino v. Le Quien Oriens christianus II 457 squ. 2. exemplum.

Sed ipsa sancta orthodoxa[a], quam venerando colitis, fides 758—767
vos et in praesenti vita longeviter cum victoria foveat et aeterna cum sanctis tribuat gaudia possidenda.

Incolomem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

---

41. *Paulus I papa Pippino regi Francorum respondet, se Remedii episcopi Rotomagensis monachos Simeoni priori scholae cantorum tradidisse, psalmata docendos*[b].

(Cod. 43, Cen. 35)

Domino excellentissimo filio et nostro spiritali compatri 758—767
Pippino regi Francorum et patricio Romanorum Paulus papa.

Cum caritatis amor, quem erga vestram a Deo inlustratam insignem gerimus excellentiam, nostro enucleatius vigeat cordi, curae idcirco nostrae existit, excellentissime regum, vestrae gnaviter praeclare totis obtemperare nisibus voluntati; presertim dum et amplissimo vestrae excellentiae presidio relevati et post Deum ab insidiatorum videamur saevitia erepti. Et ideo, quotiens nobis relationum vestrarum apices proferuntur, gratuito acceptantes animo, confestim, quod[c] eorum textus eloquitur, effectui satagimus mancipandum.

Unde, susceptis in presenti a Deo protecte excellentiae vestrae syllabis, nempe relectis[d], protinus cuncta, quae ferebantur in illis, libenter adimplevimus. In eis siquidem conperimus exaratum: quod presentes Deo amabilis Remedii[1] germani vestri monachos[e] Symeoni, scole cantorum priori, contradere deberemus ad instruendum eos psalmodii modulationem, quam ab eo adprehendere tempore, quo illic in vestris regiminibus extitit, nequiverunt. Pro quo valde ipsum vestrum asseritis germanum tristem effectum in eo, quod non eius perfecte instruisset monachos.

a. ipsam sanctam orthodoxam *corr. in* ipsa sancta orthodoxa *c.* b. *ex cod. f.* 48v—49. *Lemma:* Item exemplar epistolae eiusdem papae ad domnum Pippinum regem directae de Simeone vel monacho Remegii episcopi. c. q; *c.* d. relictis *c.* e. monachus *corr. in* monachos *c.*

1. ep. Rotomagensis.

758—767 Et quidem, benignissime rex, satisfacimus christianitatem tuam: quod, nisi Georgius, qui eidem scolae praefuit, de hac migrasset luce, nequaquam eundem Simeonem a vestri germani servitio abstolere niteremur. Sed defuncto praelato Georgio, et in eius isdem[a] Symeon, utpote sequens illius, accedens locum, ideo pro doctrina scolae eum ad nos accersivimus. Nam absit a nobis, ut quippiam, quod vobis vestrisque fidelibus onerosum existit, peragamus quoquo modo[b]. Potius autem, ut praelatum est, in vestrae caritatis dilectione firmi permanentes, libentissimae, in quantum virtus subpetit, voluntati vestrae obtemperandum decertamus.

Propter quod et prefatos vestri[c] germani monachos sepe dicto contradimus Simeoni. Eosque obtime collocantes, sollerti industria eandem psalmodii modolationem instrui praecepimus; et crebro in eadem, donec perfectae eruditi efficiantur, pro amplissima vestrae excellentiae atque nobilissima germani[d] vestri dilectione, ecclaesiasticae doctrinae cantilena disposuimus efficaci cura permanendum.

Obtantes de reliquo, excellentiam vestram aevis ac prosperis temporibus in Domino valere et regni perfrui sceptra atque triumphales de hostibus, intercaedente beato Petro, consequi victorias.

Incolomem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

---

42. *Paulus I papa Pippinum regem laudibus ornat, quod monasterium Soractense sibi concesserit; idque coenobio SS. Stephani et Silvestri Romano subiectum nuntiat. Gratias agit, quod istud coenobium Romanum diplomate confirmaverit*[e]. (Cod. 16, Cen. 41)

762—767 Domino excellentissimo filio et nostro spiritali compatri Pippino regi Francorum et patricio[f] Romanorum Paulus papa.

a. isde *c.* b. quoq, modo *c.* c. uris *c.* d. germanis *c.* e. *ex cod. f.* 25*v* — 27. *Lemma:* Item exemplar epistolae eiusdem papae ad domnum Pippinum regem directa, pro defensione sanctae Dei ecclesiae et pro monasterio, quod ei concessit prope montem Serapten situm, gratias magnas referendo. f. patricinio *c.*

Dum divina scripturarum istoriarum[a] in nostro memoriale revolvimus et diversorum Dei electorum merita perpendimus, et vestra divinae[b] inspirationis studia in nostrae mentis intuitu conferentes, novum te[c] Moysen in his diebus refulsisse, praecellentissime fili et spiritalis compater, comperimus. Ille quidem, ut Israheliticum populum ex affligentium erueret obpressionibus, a divina maiestate praecepta suscepit; tu quoque, precellentissime atque eximiae rex, ad liberandam sanctam universalem catholicam et apostolicam Dei ecclesiam divinitus es inspiratus. Per illum denique Dominus in monte Sina legis mandata eidem Ebraico populo observanda tradidit et lumine eum claritatis suae inlustravit; per te quoque redemtor noster, Dei hominumque mediator, ecclesiae suae et universo populo christiano, eius pretioso redempto sanguine, pacem tribuit et eius fidei orthodoxae perfectam contulit[d] defensionem. Et sicut isdem Moyses legislator abhominationes gentium et culturam[e] demonum exterminavit, ita et tu, christianissime regum, hereticorum schisma et auctores impii dogmatis[f] respuisti. Pro quo merito divinae gratiae luminae et oleo sanctificationis inter fideles reges, qui olim Deo placuerunt, unctus connumeratusque conprobaris. Unde libet certe psalmigraphi vocem et laudem excellentiae vestrae canere: Invenit te Dominus, benignissime regum, fidelem sibi et praecepta eius servantem, et ideo oleo sancto unxit te[1]; et ecce manus eius auxiliabitur[g] tui et brachium ipsius confortabit te[2]. 762—767

Nec mirum, tam benignissimum regem tanto divino munere esse preornatum; quoniam spiritus, ubi vult et in quibus vult, inspirat[3]. Et profecto in eis inspirat, qui piis fulgent operibus, sicut vestra fulgere dinoscitur excellentia. Nam, qualiter dilectionis vestrae amor erga beatum Petrum apostolorum principem et circa nostram caritatem fervesceret, licet solite vestris apicibus atque responsis[h] discurrentibus excellentissima christia-

a. *ex* divinarum scripturarum istorias? b. vestrae divina *c.* c. *sequitur* gentes. d. contulis *c.* e. culturū *corr. in* culturā *c.* f. docmatis *corr. in* dogmatis *c.* g. ausiliabitur *corr. in* auxiliabitur *c.* h. responsalibus *corr. in* responsis *c.*

1. V. Ps. 88, 21. 2. V. Ps. 88, 22. 3. Cf. Ioh. 3, 8.

762—767 nitas vestra pronuntiaverit, nunc tamen per eas, quas in praesenti per harum latorem misistis sillabas, amplissime nobis paternitatis[a] vestrae affectum protulistis; significans, bone excellentissime fili et spiritalis compater et noster post Deum defensor et liberator, firma perseverantia in amore ipsius principis apostolorum et nostra caritate permansurum. Quod quidem nos securi de vestra immutabilis verbi pollicitatione existimus[b]. Scimus enim, cui credidimus[c]; et certi sumus[1], omnia[d], iuxta ut asseris, perfici.

Quid itaque ex hoc vestrae valebimus rependere excellentiae? aut quam vicissitudinem reddere potuerimus pro tantis beneficiorum suffragiis, quae sanctae Dei ecclesiae et christianorum fidei inferre precelsa eximietas vestra dignata est, dum ad referendas[e] gratiarum laudes mens nostra die noctuque provocatur? Admirandum[f] mihi potius est[g] et valde stupendum, quomodo oris mei loquacitas tantorum praesidia benificiorum proferre queat. Veruntamen calicem salutaris accipiam et nomen Domini invocabo[2]. Et crebro, elevatis oculis et palmis extensis ad aethera, divinam pro vobis indesinenter exposco clementiam: ut ipse super vos de throno maiestatis suae respiciat, et regni vestri fastigium foveat[h], atque inmensas vobis de celo tribuat victorias, et omnes barbaras gentes vestris prosternere dignetur vestigiis, et terminos regales vestrae potentiae dilatet.

Etenim nos, fili excellentissime et spiritalis compater, testem proferimus veritatis Deum, in cuius manu cor excellentiae vestrae corrigitur: quod, sicut sepius nostri cordis puritate propalavimus, in vestro amore et caritate, quemadmodum inter vos et sanctae recordationis dominum et germanum nostrum sanctissimum Stephanum papam et per eum cum sancta Dei ecclaesia confirmatum est, permanentes permanebimus; vestris obtemperantes voluntatibus. Et absit a nobis, quod a vestro quoquo modo sepa-

a. patertis *corr. in* paternitatis *c.* b. existitimus *c.* c. credimus *corr. in* credidimus *c.* d. *sequitur* uerbis. e. refendas *c.* f. admirandū *c.* g. *sequitur* qualitas. h. fovead *corr. in* foveat c.

1. 2 Timoth. 1, 12. 2. Ps. 115, 13.

remur amore. Nulla quippe premiorum datio nulla promissionis 762—767
qualitas nullaque blandimentorum suasio nos, sicut sepius diximus, a vestra caritate poterit avellere. Sed peto et tamquam praesentaliter obsecro mellifluam excellentiam vestram, ut amplissimam iam fatae spiritalis vestrae matris ecclesiae exaltationem perficere et firmissimus christianorum fidei defensor existere iubeas, benignissime regum; quatinus[a] ex hoc memoria nominis vestri usque in finem mundi in domo Domini celebretur, et suffragiis apostolorum et praesentis vitae prospera et aeterne beatitudinis vobis tribuantur gaudia.

Inter ea, excellentissime fili et spiritalis compater, quia, inspiratus a Deo, nobis monasterium illud secus montem Serapten situm concedere dignatus es[1], magnas atque innumerabiles gratiarum actiones eximiae praecellentiae vestrae referimus. Sit vobis ex hoc Dominus retributor et dignam caelestium praemiorum remunerationem in aeterna beatitudine concedat. Nos quidem monasterium illud ad laudem Dei et vestri memoriam atque aeternam mercedem nostro monasterio[2] dinoscimur subdidisse; ut, quia beatus Silvester christianorum inluminator fidei, cuius sanctum corpus in nostro monasterio a nobis reconditum requiescit, pridem persecutionem paganorum fugiens conversatus est, iustum prospeximus, ut sub eius fuisset[b] ditione, ubi ipsum venerandum requiescit corpus. Verumtamen nos penitus neque de hoc monasterio neque de aliis quibuslibet causis extra vestram[c] voluntatem nequaquam quippiam agere volumus; sed ut vestra fuerit voluntas, de omnibus agere studemus.

Itaque noster animus laetus effectus est et Deo omnipotenti et vestrae praecellentiae immensas retulimus grates, in id quod nostram deprecationem a Deo inspiratus exaudire dignatus es, benignissime rex, et preceptum regalis vestri culminis nostro

a. quatenus *corr. in* quatinus *c.* b. fuissed *corr. in* fuisset *c.* c. vr̃a *c.*

1. Paulus indictione XV (761 Sept. 1—762 Aug. 31) coenobium Soractense Pippino contulerat (v. ep. 23 supra p. 97). Idcirco haec coenobii restitutio spatio annorum 762—767 facta est. 2. monasterio SS. Stephani et Silvestri Romano. Cf. Regesta pont. Rom. n. 1799.

762—767 monasterio[1] dirigendum pronuntiastis; firmam eiusdem sanctae mansionis .....[a] procurantes nunc et retro cunctis temporibus. Unde petimus divinam clementiam: ut, sicut vos nostrum monasterium[b], quod ad laudem[c] Dei constitutum est, confirmare studetis, ita vestrum regnum confirmare super omnes gentes dignetur. Et pro certo sciat[d] excellentissima christianitas vestra: quod[e] omnes illos marthyres, qui pro Christi nominis confessione suum fuderunt[f] sanguinem et in eodem sancto requiescunt monasterio, firmissimos[g] apud divinam clementiam habebitis[h] intercessores.

De eo vero, quod innotuistis de nostra vos certos effici sospitate, nos, bone et[i] christianissime rex, in eo sospes fatemur esse, dum vestri corporis sospitas et salus animae, opitulante Deo, adcrescit. Quia vestra salus nostra est prosperitas.

His praelibatis, omnipotens rerum opifex et arbiter Deus sua vos gratia foveat; et longevo ac prospero senio regalis culminis sceptra[k] cum magna victoria vobis, cum dulcissima vestra coniuge praecelsa filia et spiritali nostra commatre domna Bertrada eximia regina, et amantissimis vestris nostrisque filiis eximiis regibus et patriciis Romanorum domnis Carolo et Carlomanno, nec non et domna Gisila nobilissima perfrui concedat[l]; et celestis regni gaudia cum sanctis et electis possidenda per infinita tribuat secula.

Incolumem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

a. dationem *addidit manus antiqua*. b. nasterium *corr. in* monasterium *c*. c. dē *corr. in* laudē *c*. d. credat *corr. in* sciat *c*. e. ut *corr. in* quod *c*. f. futurum *corr. in* fuderunt *c*. g. firmissima *corr. in* firmissimos *c*. h. habebit *corr. in* habebitis *c*. i. et *addidit manus antiqua*. k. ceptra *corr. in* sceptra *c*. l. conconcedat *c*.

1. Pippini diploma, monasterio SS. Stephani et Silvestri Romano concessum, non iam exstat.

43. *Paulus I papa Pippino regi Francorum scribit, ad mandata eius, ab Hariberto abbate Murbacensi et Dodone comite relata, voce se respondisse. Legatos suos commendat*[a].

(Cod. 18, Cen. 34)

Domino excellentissimo filio et nostro spiritali compatri 767
Pippino regi Francorum et patritio[b] Romanorum Paulus papa.

Explere verbis nequeo et penitus sermonum copia nequaquam complecti[c] valeo, excellentissime et re vera prae cunctis regibus christianissime atque orthodoxe regum, quantum vestris meritis atque piis operationum studiis intima cordis nostri affectio congratulatur; dum profecto vestro certaminis praesidio et laborioso[d] conamine sancta catholica et apostolica universalis mater vestra spiritalis Dei ecclesia atque orthodoxa christianorum fides ab emulorum inpugnationibus erepte consistunt; et ex hoc indesinenter ab omni populo christiano redemptori nostro domino Deo ob tantum vestrum adhibitum beneficii adminiculum referuntur laudes. Unde merito, christianissime fili et spiritalis compater, cum egregio illo ac praecipuo David rege et eximio prophetarum in celestibus regnis participem te esse, omnium fidelium mentes opinantur. Quia sicut honorum infulis ita quoque et operibus eum coequare christianitas tua, ut ipsa rei operatio demonstrat, dinoscitur. Ille enim, erepta ab allophilis arca Domini, cum ymnis et canticis spiritalibus ac psalterii modulatione exultans iocundabatur; tu quoque, fundamentum et capud omnium christianorum sanctam Romanam redimens ecclesiam et universum ei subiacentem populum, gaudens atque laetus omnipotenti domino Deo nostro offerre satagis, cuius tanti pii[e] operis perfectionem adhibere benignitas tua anhelat; de quo, iam repositam sibi[f] in celestibus arcibus, praemiorum credat consequi remunerationem.

a. *ex cod. f.* 28 – 28*v*. *Lemma:* Item exemplar epistolae ad domnum Pippinum regem per Haribertum abbatem et Dodonem comitem directa, in qua continentur uberrime benediccIones et gratiarum laudes de firmo atque incommutabili pollicitationes verbo et magna perseverantia in perficiendis causis apostolicis. b. ptritio *c.* c. completi *c.* d. laboroso *c.* e. pio *c.* f. sib *c.*

767 Properantes siquidem ad vos praesentes solertissimi viri, Haribertus scilicet abbas[1] et Dodo comes, excellentiae vestre fidelissimi missi, detulerunt nobis mellifluas et nimis desiderabiles sillabas a vestra praeclara christianitate directas; in quibus solite nos de vestro firmo atque incommutabili pollicitationis verbo et magnae perseverantiae constantia, quam in apostolicis perficiendis causis gerere videmini, certos reddere studuistis. Quod quidem nos, firmi et omnino freti in vestro benigno proposito, existimamus fine tenus vos permansuros atque perfectius operaturos[a] id, quod beato Petro apostolorum principi et praedecessori domino et germano nostro beatissimo Stephano pape polliciti estis.

Inter ea ferebatur et hoc in eisdem vestris apicibus: quia id, quod et praesentes de parte vestra velle habuistis nos debere cognosci, scriptis nequaquam propalare maluistis; sed informatis de singulis causarum meritis praelatis vestris missis, quae nostris deberent innotesci auribus. Et ita, iuxta ut a vobis praecepta sunt, egerunt. Quod quidem nos de singulis, quae nobis affati sunt, liquidius eos informavimus: qualiter nostram vitam a Deo institutae regali vestrae potentiae enarrare debeant.

Sed et praesentes nostros missos, id est Iohannem subdiaconum et abbatem atque Petrum primum defensorem, cum eis pariter ad vestra regalia direximus vestigia. Quos petimus benignae solite a vobis suscipi; et quicquid vobis ex nostra informatione enarraverint, eis in omnibus credere iubeatis. Et ita de causis sanctae Dei ecclesiae, sicut magnam post Deum in vobis abemus fiduciam, disponere iubeatis, ut perfectae liberatio atque exaltatio sanctae Dei ecclesiae et fidei orthodoxe proficiat, et merito repositam vobis in caelo consequamini mercedis coronam.

a. operaturus *c*.

1. Murbacensis. Ann. Nazariani 762: „Haribertus abba ordinatus est"; 767: „Paulus papa obiit. Haribertus abba Roma transmissus". (Mon. Germ. SS. I 29, 31). Annalium scriptor licet relationi de Pauli papae morte postposuerit legationis memoriam, tamen ex epistola hac apparet, Haribertum abbatem ad viventem eundem papam pervenisse.

Deus autem omnipotens, qui in excelsis habitat et humilia 767
respicit, qui palmo universum mundum concludit, in cuius manu omnia regnorum iura consistunt, sua vos protegat gratia; et e celo vobis tribuat victorias, subiciens vestro regali culmini omnes adversantes nationes; aevisque ac prosperis temporibus regni gubernacula faciat possidere cum excellentissima filia et nostra spiritali commatre benignissima regina dulcissima vestra coniuge, atque amantissimis natis Carolo et Carlomanno excellentissimis regibus et nobilissima atque excellentissima Gisila nostra spiritali filia; et vitam aeternam per infinita vobis tribuat secula possidendam.

Incolumem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

---

44. *Constantinus II papa Pippino regi Francorum significat, se, Paulo I mortuo, pontificem creatum esse. Studium eius in b. Petrum confirmat. Spem suam in eo esse. Nuntii sui priores cum redierint, alios legatum iri. De sanctis postulanti mittit*[a]. (Cod. 98, Cen. 43)

Domino excellentissimo filio Pippino regi Francorum et pa- 767
tricio Romanorum Constantinus papa.

Omnino credimus, iam precurrentibus nuntiis ad vestram excellentissimam atque a Deo institutam regalem potentiam pervenisse: quod beatae recordationis predecessor noster domnus Paulus papa de hac lucę Dei vocatione (subtractus est et[b]) urbis vel subiacentium ei civitatum populos meam infelicitatem sibimet preesse pastorem elegerunt. Et ecce — cum nimio stupore mentis dico — illud, quod nequaquam penitus[c] obtabam nec mea exiebat merita, tam sacrum apostolatus culmen magnique oneris pastoralis adeptus sum curam.

Propterea quia omnipotens Deus per manus ipsius prin-

a. *ex cod. f.* 96 – 96*v*. *Lemma:* Item exemplar epistolae Constantini papae neophiti ad domnum Pippinum regem directa, in qua continentur gratiarum actiones, et de obitu domni Pauli papae; et postulat, ut in gratia domni Pippini regis permanere possit, sicuti antecessores sui fuerunt. b. subtractus est et *addidi.* c. penitus penitus *c.*

767 cipis Petri adque eius vicarii ad exaltandam sanctam[a] suam ecclesiam et redimendam hanc provinciam prae omnibus regibus ac mundi potentibus, utpote novum Moysen qui Israheliticum Dei nutu redemit populum, vestram excellentiam in his diebus eligere ac suscitare iussit — quod profecto, Deo annuente, vestro ausilio ac certamine perpetratum est — idcirco obnixis deprecationibus, tamquam presentaliter coram vestro mellifluo regali adsistens conspectu, flecso poblite deprecor precellentiam vestram: ut illud, quod beato Petro polliciti estis, simulque et caritatem atque amicitiam, quam cum beatae recordacionis domno Stephano summo pontifice vel eius germano[1] predecessoribus nostris habuistis, omnimodo recordare ac conservare iubeatis; et multo amplius exaltationem sanctae Dei ecclesiae spiritalis matris vestrae atque orthodoxae fidei defensionem, huius vobis commisse provintiae perfectam liberationem procurare dignemini; quatenus repositam iam vobis in sidereis mansionibus mercedis coronam, interveniente beato Petro apostolorum principe, ab omnipotente Deo consequi mereamini.

Nos enim nequaquam alibi post Deum nostram habemus spem nisi in vestro a Deo conroborato brachio. Pro quo et eundem dominum Deum nostrum, cui occulta cordis manifestata sunt, proferimus testem: quod amplius ....[b] ipsi praedecessores nostri pontifices in vestra caritate ac fida dilectione atque sincera amicitia[c] firmi atque inmutabiles satagimus fine tenus permanendum[d]; et per nullam temporum interruptionem a vestra nos caritate atque a Deo protecti regni vestri Francorum sincera amicitia[c] quoquo modo[e] separamus.

Itaque, christianissime et a Deo institutae magne victoriosissime bone rex et noster Dei nutu defensor, interim diversis nobis inminentibus causis nulla extitit possibilitas, donec missi[f] nostri, qui illuc ad vos[g] directi sunt, revertantur, alios ad vos dirigendum missos. Dum vero illi remeati fuerint, confestim

a. scm̄ *c.* b. ut *sive* quam *excidisse videtur.* c. amititia *c.* d. permanemdum *c.* e. quomodo *c.* f. mis *c.* g. nos *c.*

1. Paulo I papa.

nostros missos ad vestri presentiam dirigimus. Tamen et huic vestro misso hoc ipsud in ore posuimus, vestrae benignae excellentiae suggerendum gestum .....[a] quippe[b] sanctorum, de qua misistis vobis dirigi, in quantum reperire valuimus, vobis transmisimus. 767

Deus autem omnipotens, in cuius manu cor excellentiae vestrae regitur, felicia vobis tribuens tempora, omnes adversas nationes vestris regalibus subiiciat vestigiis; et per multorum annorum metas regni gubernacula vos cum excellentissima et a Deo inlustrata filia nostra domna regina atque precellentissimis regibus vestris natis faciat possidere, et aeternae beatitudinis cum sanctis et omnibus electis eius per infinita annuat secula effici[c] participes.

Incolomem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

---

45. *Constantinus II papa Pippino regi iterum de pontificatu suscepto scribit. Ne inimicorum de se mendaciis credat, petit. Legatos suos commendat. Patriarchae Hierosolymitani epistolam synodicam mittit. Georgium episcopum Ostiensem et Marinum ac Petrum presbyteros remitti cupit*[d].

(Cod. 99, Cen. 44)

Domino excellentissimo filio Pippino regi Francorum et patricio Romanorum Constantinus papa. 767 post Aug. 31

Dum internae mentis intuitu infra memet ipsum vehementer considero, quanta mihi inrepti pastoralis officii[e] debet insistere curandas fruendasque dominicas rationales oves, valde fateor intolerabilis[f] mestitia cordis mei archano adhesisse. Quia procul dubio non meriti et onoris[g] huiuscemodi provectio, omni-

a. *lacuna non est in cod.* b. quippe *c.* c. efficiat *c.* d. *ex cod. f.* 96*v* – 98. *Lemma:* Item exemplar epistolae Constantini papae neophiti ad domnum Pipinum regem directa; in qua continetur, quod a populo Romano per violentiam electus et in sede apostolatus intromissus fuit, postulans, ut in gratia domni regis Pippini permanere possit, sicut antecessores sui fuerunt; et inde epistola Teodori patriarchae Ierosolimitani, et de aliis epistolis Alexandrini et Atioceni patriarchis; et in enbolo de Georgio Marino et Petro. e. officio *corr. in* officii *c.* f. intolerabiles *c.* g. oneris *c.*

767 bus curam animarum adsumentibus videtur esse conferta sollicitudo. Et qui nimis compremor et nullis operum meritis neque virtutum profectibus me prestitutum cerno, perpendo, quid divina misericordia, inspirante cordis affectu, operari iusserit; et ilico velut ex gravi somno experectus, nimio stupore et exstasi invenio et video[a] in me inrogatum, quod numquam obtavi, quod numquam penitus cogitavi, nec cor pussillitatis meae quoquo modo ascendit[1]. Ex inprovisa enim violenti manu a populorum innumerabili concordantium multitudine velut valida aura venti raptus, ad[b] tam magnum et terribile pontificatus culmen provectus sum. Unde, sicut navis aequoreis procellis fluctuatur, ita ego infelix et inutilis curarum tumultibus et populorum proclamationibus atque lacrimosis ululatibus concutior[c]. Etenim omnes omnino, a magno usque ad parvum, proprios dolores ac violentias[d] vociferare non cessant; circumvallent me undique cogitationum certamina ob consolationem et iustitias inpertiendas huic a vobis liberato populo. O quam magna et metuenda existis, pastorum sollicitudo! Et quomodo, infelix, possim onerosam[e] animarum exequi curam?

post Aug. 31

Verumtamen, dum protinus iactavi cogitatum meum in Domino et spei meae fiduciam apud eius contuli misericordiam meque, excellentissime et a Deo protecte magnae victoriosissimae rex, in vestro solito auxilio et protectione commisi, paratum iam remedium inveni; et afflictus animus meus paulisper expiravit. Valde enim post Deum confortor in vestra regali potentia et a Deo protecto regni vestri Francorum robustissimo[f] brachio.

Inter haec itaque considero, quanta sit Dei nostri omnipotentis misericordia; et confestim opima consolationis oportunitas mihi confertur. Ipse enim pro humani generis salute, de sinu Patris descendens, verbum caro factum, de virgine Maria domina nostra nasci dignatus est, non amittens deitatem; sed semet ipsum exinanivit, formam servi accipiens[g]. Qui mortem

a. invenio et video *scripsi pro* nevenio en veni deo *c*. b. at *c*. c. concutioribr *c*. d. uiolentiãs *c*. e. oneram *c*. f. robustistimo *c*. g. actipiens *c*.

1. Cf. 1 Corinth. 2, 9.

nostram moriendo destruxit, et vitam resurgendo reparavit. Unde 767
non est dedignatus cum peccatoribus et puplicanis loqui ac con- post Aug. 81
vesci. Suscepit enim puplicanum et euangelistam effecit[a]; Matheum dico, qui euangelica verba mundo propagavit. O multitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei; quam inscrutabilia sunt iudicia eius et investigabiles viae eius[1]! Vere magnus Dominus et laudabilis nimis[2], et sapientiae eius non est numerus[3]; qui ponit humiles in sublimi, et merentes erigit sospitate[4]. Pro quo, tamquam unum ex puplicanis me existimans, cum gemitu cordis, percusso pectore, deprecor eius ineffabilem misericordiam, ut tanti pastoralis officii, quod mihi inmerito contulit, me salubriter exequi et lucra animarum eius divinae maiestati offerre me annuat. Crebro enim laudem ipsius redemptoris nostri loquitur os[b] meum, caro et lingua benedicit sanctum nomen eius[5]; qui non merita existimat[c], sed miseretur quibus misereri vult[6].

Premissis quidem iam vicibus nostris apostolicis apicibus visi sumus intimasse a Deo instituto regali[d] vestro culmini de recessu predecessoris nostri domni Pauli papae, et quomodo me indignum et inutilem divina dignatio in apostolatus ordinem provehere iussit. Unde ecce et nunc, iteratis nostris apostolicis affatibus, debitum honoris ac salutationis affectum et visitationis conatum excellentissimae christianitati vestrae aptum duximus persolvendum.

Et quoniam omnipotens et longanimis Deus noster, verbum salutis per suum apostolum beatum Petrum excellentiae vestrae mittens, fortissimum sanctae suae ecclesiae et fidei orthodoxae liberatorem ac defensorem te suscitavit atque constituit, precellentissime fili et magnae orthodoxae rex, ideo, licet mutatis pastoribus, cura tamen huiuscemodi conaminis[e] ac defensionis vobis subcumbit. Et ob oc, tanquam presentaliter coram mellifluo

a. efficit *c.* b. hos *corr. in* os *c.* c. existimant *c.* d. rega *c.* e. certaminis *c.*

1. Rom. 11, 33. 2. Ps. 47, 2. 3. Ps. 146, 5. 4. Iob 5, 11. 5. Cf. Ps. 144, 21. 6. Cf. Rom. 9, 18.

767 post Aug. 31 regali vestro aspectu consistens, deprecor et per Deum omnipotentem — qui est iudex vivorum et mortuorum; ante cuius conspectum omnia elementa contraemescunt et abyssi moventur; qui omnia regna mundi suae providentiae nutu disponit; qui etiam te, excellentissimae fili ac benignissime rex, tuosque amantissimos natos ac meos spiritales filios in reges per manus beati Petri apostolorum principis ungui precepit — firmiter excellentiam vestram coniuro: ut ea, quae pro stabilitate[a] regni vestri et aeternae vitae remunerationem beato Petro polliciti estis, pro exaltatione ac defensione sanctae Dei ecclesiae spiritalis matris vestrae et sanctae orthodoxae fidei observare et in omnibus adinplere iubeatis; et in ea caritate ac dilectione, qua[b] cum nostris predecessoribus domno Stephano ac Paulo beatissimis pontificibus permansistis, nobiscum permanere iubeatis et in eadem amicitiae[c] conexione cum mea fragilitate persistere; non[d] nostra, quae mala sunt merita, existimans, sed adimplens illud divini oraculi preceptum[e]: *Qui recipit prophetam in nomine prophetae, mercedem accipiet prophetae; et qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem suscipiet iusti*[1], et illud, quod ipsa veritas Deus noster ait: *Qui me recipit, vos recipit*[2]; *et qui mę spernit, vos spernit*[3].

Considera[f], bone rex, quia potuerat Deus noster per angelum virtutis suae aut alio modo liberationem suae ecclesiae et fidei orthodoxae operari. Sed non in alio nisi in tua excellentia conplacuit; quia tibi hoc bonum servatum erat opus. Unde apertae cunctis datur intelligi, quia omnia iam ante mundi constitutionem a Deo praedestinata sunt. An non erat predistinatus[g] Davit, de cuius[h] secundum carnem Christus in mundo editus est? Pusillus enim inter fratres existens, ab ovibus patris abstultus, in regem unctus est. Et quia a Deo predestinatus es defensor[i] sanctae Dei ecclesiae ac noster adesse, exaudi preces

a. stabilitabılite *c.* b. quā *c.* c. amititiae *c.* d. non *om. c.* e. preceptum *c.* f. concider *c.* g. predisti *c.* h. genere *excidisse videtur.* i. defen *c.*

1. Matth. 10, 41. 2. Matth. 10, 40. 3. Luc. 10, 16.

nostras, mitissime rex; sic te exaudiat Dominus, in quacumque 767
die eum invocaveris. Nos quidem, testatur nobis Deus noster post Aug. 31
cui occulta cordis manifesta sunt, ut plus etiam quam[a] prelati nostri predecessores pontifices in vestra a Deo protecti regni vestri Francorum caritate et dilectione atque sincera fidelitate cum omni nostro populo firma constantia erimus permansuri.

Et peto coram Deo vivo: ut, si forsitan quispiam, spiritu nequitiae inreptus, contraria de nobis vestro regali culmini garrire adtemptaverit, nulla ei credulitas admittatur. Quia, confidimus in Dei omnipotentis misericordia, plenius eritis de nostra puritate satisfacti.

Unde ecce magnopere ad vestra a Deo directa vestigia direximus presentes fidelissimos nostros missos, scilicet Cristophorum dilectum filium nostrum presbiterum atque Anastasium notarium regionarium spiritalis matris vestrae sanctae nostrae aecclesiae; qui vos de nostra fidelitate, quam erga vestram regalem potentiam gerimus, satisfacere debeant; quibus et in ore posuimus hoc ipsud christianitati vestrae nostra vicae enarrandum. Quos petimus ob reverentiam .....[b] vestri beati Petri benignae a vobis solite suscipi eisque in omnibus credere, et cum letabundis nuntiis de vestro benigno proposito et inmensa prosperitate absolvere iubeatis.

Itaque innotescimus excellentiae vestrae: quod duodecimo Aug. 12
die preteriti Augusti mensis nunc transactae[c] quintae indictionis[1] coniunxit[d] ad nos a sancta civitate quidam religiosus presbiter Constantinus nomine, deferens synodicam fidei, missam a Theodoro[2] Hierusolimitano patriarcha ad nomen predecessoris nostri domni Pauli papae; in quo et reliqui patriarchae, id est Alexandrinus[3] et Antiocenus[4], et plurimi metropolitani episcopi orientalium partium visi sunt concordasse. Eamque cum magna lae-

a. qua *c.* b. *lacuna non est in cod.;* fautoris *vel simile quid excidisse videtur.* c. transacti *c.* d. coniunxionis *c.*

1. itaque post d. 31 Aug. 767 scripta haec epistola est. 2. I, de quo v. Le Quien Oriens christianus III 291 squ. 3. Cosmas. Cf. Le Quien l. l. II 457 squ. 4. Theodorus I. V. Le Quien l. l. II 745.

767 post Aug. 31 titia suscipientes atque amplectentes, in populo in ambone relegi fecimus. Cuius exemplar in Latino et Greco eloquio vestrae excellentiae direximus; ut agnoscatis, qualis fervor sanctarum imaginum orientalibus partibus cunctis christianis inminet.

His prelibatis, extensis palmis ad aethera, cum omnibus Dei cultoribus et cuncto nostro populo redemptoris nostri divinam exoramus clemenciam: ut suae extensionis dextera vos protegat; et regni vestri a Deo confortati Francorum terminos dilatet atque immensas de hostibus victorias vobis tribuat cunctosque adversarios regalibus vestris prosternat vestigiis; regnique gubernacula longo ac prospero senio vobis una cum excellentissima filia nostra a Deo protecta regina et amantissimis natis perfrui concedat possidenda; et sicut temporale ac terrenum regnum et celestia vobis regna cum omnibus sanctis, qui ab initio mundi divinae placuerunt maiestati, tribuat possidenda.

Incolomem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

EMBOLUM.

Itaque hoc excellentiam vestram petimus: ut iubeas, christianissime ac mitissime rex, inspiratus a Deo, ad nos absolvere revertendum sanctissimum fratrem nostrum Georgium episcopum[1] atque dilectos filios nostros Marinum et Petrum presbiteros[a], qui ad vestram precellentiam a nostro predecessore domno Paulo papa directi sunt. Cotidie enim cum magno ploratu eorum parentes nos adeunt, ut vestram a Deo institutam excellentiam deprecari debeamus pro eorum absolutione; et iam non possumus eorum lacrimas sufferre. Per te enim, bone misericordissime rex, salvi effecti sunt et a manibus persequentis liberati consistunt. Unde magna in celo vobis reposita est mercedis corona, quoniam scriptum est: *Qui salvat, tamquam qui edificat.* Propterea coram Deo vivo deprecamur[b], ut, in hoc preces nostras exaudiens[c], ipsos absolvere iubeatis. Ipsis enim revertentibus, cum magna letitia eos suscipi et caros in nostris visce-

a. presbiterū *corr. in* presbiteros *c.* b. depre *c.* c. exaudies *c.*

1. Ostiensem.

ribus amplecti studebimus. Episcopatum enim et ecclesias quas tenere videbantur, inordinate usque hactenus consistunt. Pro quo iubeat excellentia vestra disponere, quatenus prelati viri ad terram nativitatis eorum revertantur; quia adest tempus, ut pariter cum suis parentibus et una nobiscum in Domino exultent, nosque merito pro vita et incolomitate vestra fundere valeamus preces. 767 post Aug. 31

---

46. *Stephanus IV papa Carolo et Carolomanno regibus Francorum concordiae reconciliationem gratulatur. Eorum in b. Petrum studium laudat. Petit, ut sibi quam primum satisfieri a Langobardis iubeant*[a]. (Cod. 47, Cen. 47)

Dominis excellentissimis filiis Carolo et Carolmanno regibus Francorum et patriciis Romanorum[b] Stephanus papa. 769—770

Benedictus dominus Deus noster, pater misericordiarum et deus totius consolationis, qui consolator et propitiator existit omnium invocantium eum in veritate. Ipse enim redemptor noster, preces clamantium ad se exaudiens, merentium tribulationes ad gaudium convertit. Quod certae nunc in vobis atque universo peculiare populo sanctae Dei ecclesiae eius divinae piaetatis clementiam et misericordiae benignitatem cernimus esse diffusam; in eo quod, nostra oratione vota exaudiens, meroris nostri lamentationem, quam usque[c] hactenus habuimus ipsa divisione ex discordia[d] illa, quam antiquus hostis inimicus pacis intra vestram fraternitatem inmiserat — nunc Deo propitio, eodem pestifero aemulo confuso, in communem dilectionem et concordiam ut vere uterinos et germanos fratres vos conexos esse discentes — in magnam laetitiam[e] convertere dignatus est.

Itaque, praecellentissimi filii magni victoriosissimi reges et Dei providentia nostri Romanorum patritii, coniungentes ad nos fidelissimi ac sollertissimi vestri missi, scilicet Gauzibertus reve-

a. *ex cod. f.* 52 — 53. *Lemma*: Item exemplar epistolae eiusdem papae ad domnum Carolum et Carlomannum regibus directa, in qua continentur uberrimae benedictiones et pro eorum fraternitatis concordia gratiarum actiones, et de iustitiis sancti Paetri. b. nomanorum *c.* c. us *c.* d. discorrat *c.* e. laetiā *c.*

769—770 rentissimus et sanctissimus[a] frater noster episcopus[1] atque Fulcbertus religiosus et Ansfredus seu Helmgarius gloriosissimi viri[b], detulerunt nobis honorabiles et nimis desiderabiles syllabas vestras, a Deo instituta regale potentia directas; per quas innotuistis: contentionis rixas ac litigia inter vos versata fuissent, sed annuentae Domino nunc ad veram dilectionem et unitatis concordiam et fraternam amorem conversi extitisse videmini. Quo audito, magno gaudio atque laetitia una cum universo populo nostro istius provintiae a vobis redemptae repleti sumus, et gemina festivitatis gaudia peregimus; inmensas Deo nostro omnipotenti referentes gratiarum actiones, atque victricem eius claementiam conlaudantes, consona cum prophetica voce cantantes atque dicentes: *Benedictus es, domine Deus noster, et benedicta omnia opera tua*[2]. Ecce enim nunc gaudet Deus noster in caelis, gaudet et universus corus angelorum, et in terra etiam cunçtus exultat populus christianus; et solus diabolus inimicus pacis et discordiae seminator luget, dum victum se esse et superatum conspicit. Non enim aliter fidelium mentes existimare poterunt provenire, quam quod nunc factum esse gaudemus, si Deus omnipotens illam pacem et fraternam dilectionem in vobis multiplicet et multiplicatam conroboret, quam suis donavit sanctis apostolis. Unde de vestra unitate et sancta spiritalis mater vestra Dei ecclaesia et eius universus populus exultat.

Nam sic[c] vero et in is[3] ipsis vestris ferebatur apicibus: tota vestra virtutae vos esse decertaturos pro exigendis iustitiis protectoris vestri beati Petri et sanctae Dei ecclesiae; atque in ea promissione amoris, quam cum[d] vestro pio genitore sanctae recordationis domno Pippino eidem principi apostolorum et eius vicariis polliciti estis, esse permansuros, et plenarias iustitias sanctae Dei ecclesiae atque eius exaltationem esse operaturos. Et quidem nos, excellentissimi filii christianissimi magni reges, omnino de hoc certi atque in omnibus satisfacti sumus: quod

a. scãssimus *c.* b. viri *scripsi pro* uñi (*i. e.* vestri) *c.* c. si *c.* d. quam cum *addidi.*

1. cuius sedes incognita est. 2. Cf. Dan. 3, 52. 57. 3. his.

nulla hominum suasio aut thesaurorum copiosa datio vos poterit 769—770
declinare aut ab eadem vestra promissione, quod beato Petro spopondistis, quoquo modo inmutare. Tamen nunc firmitatem vestram comprobavimus, dum non corruptori et fragili homini sed Deo omnipotenti et eius apostolorum principi placere procurastis.

Unde obnixae tamquam praesentialiter petimus et coram Deo vivo, qui vos regnare praecepit, coniuramus excellentiam vestram: ut plenarias iustitias beati Petri sub nimia velocitate secundum capitulare, quod vobis per[a] praesentes vestros fidelissimos missos direximus, exigere et beato Petro reddere iubeatis; sicut et vestra continet promissio. Et omnia, quae beato Petro et eius vicariis cum vestro sanctae memoriae pio genitore promisistis, adimplere dignemini; quatenus, intercedente eodem principe apostolorum, perfectam ab omnipotenti Deo in praesenti vita et futura beatitudine suscipiatis[b]. Post Deum in vobis[c] habemus fiduciam; et in vestro amore atque caritatis dilectione firmiter usque ad animam et sanguinis effusionem una cum universo populo permanemus atque permanebimus. Tamen et de hoc et de omnibus iustitiis beati Petri praedictis vestris missis subtilius locuti sumus, vestro regali culmini cuncta enarrandum. Et, ea[1], sicut terra siciens imbrem prestolatur, ita vestrum auxilium et congruum effectum de nostris petitionibus postulamus.

Et videte, excellentissimi filii, quia obtestamur vos per[d] tremendum diem iudicii. Etiam beatus Petrus per nos vos adhortatur atque obtestatur: ut sub nimia velocitate ipsas iustitias eiusdem principis apostolorum exigere a Langobardis iubeatis; fortiter eos cum Dei virtute distringentes, ut sua propria isdem princeps[e] apostolorum atque sancta Romana rei puplice ecclesia recipiat. Nam si, quod non credimus, ipsas iustitias exigere neglexeritis aut distuleritis, sciatis: vos de istis rationes[f] fortiter ante tribunal Christi eidem principi apostolorum esse factu-

a. per *om. c.* b. *sequitur iterum in cod.:* adimplere dignemini, quatenus. c. nobis *c.* d. per *om. c.* e. principis *c.* f. vos distos nationes *c.*

1. eia.

769—770 ros. Si quis autem vobis dixerit, quod iustitias beati[a] Petri recepimus, vos ullo modo ei non credatis.

Deus autem omnipotens sua vos dextera protegat et victoriam vobis de celo tribuat; suumque angelum ante faciem vestram mittat, qui vos precedat, et inimicos vestros coram vestris prosternat vestigiis, atque a Deo instituti regni vestri terminos dilatet; et praesentis[b] regni longeviter ac prospere gubernacula perfrui faciat, etiam et post huius vitae inaevitatem caelestia vobis regna per infinita tribuat saecula possidenda.

---

47. *Stephanus IV papa Carolum et Carlomannum reges Francorum obtestatur, ne alteruter eorum, dimissa uxore, filiam Desiderii Langobardorum regis in matrimonium ducat, neu Gisilam sororem Athalgiso filio Desiderii collocent*[c].

(Cod. 45, Cen. 49)

769—770 Dominis excellentissimis filiis Carolo et Carlomanno regibus Francorum et patriciis Romanorum Stephanus papa.

Dum omnium electorum Dei praecipuam vitam et digna operum merita in nostri memoriam revolvimus, invenimus profecto, nulla eos potuisse qualitatis diversitate ab eorum cordis statu et pristina sponsionis constantia amoveri. Unde, et variis antiqui hostis suasionibus ac blandimentis circumvallati, inmutabiles in suae mentis firmitate constat permansisse; et ob hoc cum triumpho victoriae ad optata pertingere meruerunt gaudia. Et nimirum considerandum est: quia, si quis, quibusdam suasionibus demulcitus, victus fuerit, a recto confestim tramitae, qui ducit ad vitam aeternam, per abrupta declinans deviare contendat, ut ex hoc in proclivem delabatur noxam. Nam plerumque certum est, quia isdem antiquus hostis per infirmam naturam fidelium mentes subripere nititur. Hinc est enim, quod olim primo omini in paradyso constituto per infirmam mulieris

a. beatri *c.* b. *in* praesentis *novissima littera erasa est.* c. *ex cod. f.* 49*v* — 51*v*. *Lemma:* Item exemplar epistolae eiusdem papae ad domnum Carolum et Carlomannum regibus directa, prohibendo atque cum nimiis adiurationibus obligando, ut de gente Langobardorum uxores minimae acciperent.

naturam pestiferis valuit suadere blandimentis, divinum trans- 769—770
gredi mandatum; et ob hoc dirae mortis humano generi inrepsit excidium. Et ideo, praecellentissimi filii magni reges, tanto studio[a] eiusdem molimini[b] inmiti resistendum est, ne quemquam suis inretire valeat argumentis, quanto cernimus suis crebro insidiis ad decipiendum fidelium corda insistere.

Itaque nostrae perlatum est notioni, quod certae cum magno cordis dolore dicimus: eo quod Desiderius Langobardorum rex vestram persuadere dinoscitur excellentiam, suam filiam uni ex[c] vestra fraternitate in conuvio[d] copulari[e]. Quod certe si ita est, haec propriae diabolica est immissio[f], et non tam matrimonii coniunctio[g] sed consortium nequissimae adinventionis esse videtur.

Quoniam plures conperimus, sicut divinae scripturae historia instruimur, per aliene nationis iniustam copulam a mandatis Dei deviare et in magno devolutos facinore. Quae est enim, praecellentissimi filii magni reges, talis desipientia, ut penitus vel[h] dici liceat: quod vestra praeclara Francorum gens, quae super omnes gentes enitet, et tam splendiflua ac nobilissima regalis vestrae potentiae proles perfidae — quod absit — ac foetentissimae Langobardorum gente polluatur, quae in numero gentium nequaquam conputatur, de cuius natione et leprosorum genus oriri certum est. Nullus enim, qui mentem sanam habet, hoc suspicari potest, ut tales nominatissimi reges tanto detestabili atque abhominabili contagio implicentur. Quae enim societas luci ad tenebras?[1] aut quae pars fideli cum infidelae?[2]

Etenim, mitissimi et a Deo instituti benignissimi reges, iam Dei voluntate et consilio coniugio legitimo ex praeceptione genitoris vestri copulati estis; accipientes, sicut preclari et nobilissimi reges, de eadem vestra patria, scilicet ex ipsa nobilissima Francorum gentae pulchrissimas coniuges. Et eorum vos oportet

a. studio *corr. antiqua manus in* studiosius. b. oli..ni *corr. antiqua manus in* molimini. c. ex ex *c.* d. conuiuio *c.* e. copulandi (r) *c.* f. immisio *c.* g. coniuntio *c.* h. *an* vix?

1. 2 Corinth. 6, 14. 2. 2 Corinth. 6, 15.

769—770 amori esse adnexos. Et certae non vobis licet, eis dimissis, alias ducaere uxores, vel extranaee nationis consanguinitate immisci.

Etenim nullus ex vestris parentibus, scilicet neque avus vester[1] neque proavus[2] sed nec vester genitor[a] ex alio regno vel extranea natione coniugem accepit. Et quis de vestro nobilissimo genere se contaminare aut conmiscere cum horrida Langobardorum gente dignatum est, ut nunc vos suademini — quod avertat Dominus — eidem horribili genti pollui? Itaque nullus, exterae[b] gentis assumta coniuge, innoxius perseveravit. Advertite, queso: quanti qualesque potentes, per aligenigena coniugia a praeceptis Dei declinantes et suarum[c] sequentes uxorum aligenae gentis[d] voluntatem, validis inrepti excessibus, immensa pertulere discrimina.

Impium enim est, ut vel penitus vestris ascendat cordibus: alias accipere uxores super eas, quas primitus vos certum est accepisse. Non vobis convenit tale peragi nefas, qui legem Dei tenetis et alios, ne talia agant, corripitis. Haec quippe paganae gentes faciunt. Nam absit hoc a vobis, qui perfecte estis christiani et gens sancta atque regale estis sacerdotium[3]. Recordamini et considerate: quia, oleo sancto uncti per manus vicarii beati Petri[4], caelesti benedictione estis sanctificati; et cavendum vobis est, ne tantis reatibus inplicemini.

Mementote hoc, praecellentissimi filii: quod sanctae recordationis praedecessor noster domnus Stephanus papa excellentissimae memoriae genitorem vestrum obtestavit, ut nequaquam praesumpsisset[e] dimittere[f] dominam et genetricem vestram; et ipse, sicut re vera christianissimus rex, eius salutiferis obtemperavit monitis.

Nam et illud excellentiam vestram oportet meminere: ita vos beato Petro et praefato vicario eius vel eius successoribus

a. gitor *c.* b. exterrae *c.* c. suorum *c.* d. gentes *c.* e. praesumpsitset *c.* f. dimitte *c.*

1. Carolus Martellus. 2. Pippinus maior domus (de Heristal). 3. 1 Petr. 2, 9: „Vos autem — regale sacerdotium, gens sancta“. 4. Stephani III papae.

spopondisse, se amicis nostris amicos esse et se inimicis inimicos; sicut et nos in eadem sponsione firmiter dinoscimur permanere. Et quomodo nunc contra animas vestras agere contenditis et cum nostris inimicis coniunctionem facere vultis, dum ipsa periura Langobardorum gens, semper ecclesiam Dei expugnantes et hanc nostram Romanorum provintiam invadentes, nostri esse conprobantur inimici? 769—770

Itaque et hoc, peto, ad vestri referre studete memoriam: eo quod, dum Constantinus[1] imperator nitebatur persuadere sanctae memoriae mitissimum vestrum genitorem ad accipiendum coniugio filii sui[2] germanam vestram nobilissimam Ghisylam ....[a] neque vos aliae nationi licere copulari, sed nec contra voluntatem apostolicae sedis pontificum quoquo modo[b] vos audere peragere[c]. Et quam ob causam nunc contra apostolica mandata et voluntatem vicarii apostolorum principis agere conamini, quod numquam vester pater perpetravit? An nescitis, quod non infelicitatem nostram sed beatum Petrum, cuius licet immeriti vices gerimus, spernitis? Scriptum est enim: *Qui vos recipit, me recipit*[3], *et qui vos spernit, me spernit*[4].

Recordamini, peto, excellentissimi filii: quomodo vos fidedicere[5] visus est prelatus vester domnus ac genitor, promittens in vestris animabus[d] Deo et beato Petro atque eius vicario antefato sanctae recordationis praedecessori nostro domno Stephano papae, firmiter debere vos permanere erga sanctae ecclesiae fidelitatem et omnium apostolicae sedis pontificum oboedientiam et inlibatam[e] caritatem. Et postmodum praedecessori nostro domno Paulo papae eadem vos una cum eodem vestro genitore certum est plerumque per missos et scripta promisisse. Et post decessum antefati sanctae memoriae patris vestri et vos ipsi sepius tam per vestros missos quamque per litteras simulque et per Sergium fidelissimum nostrum nomenculatorem[6] et per alios no-

a. *lacuna non est in cod.* b. quoq; modo *c.* c. perage *c.* d. animabib; *c.* e. inlibatatam *c.*

1. IV. 2. Leonis (anno 750 nati, postea IV imperatoris). 3. Matth. 10, 40. 4. Luc. 10, 16. 5. fideiubere. 6. et secundicerium. Cf. Regesta pont. Rom. n. 1822.

769—770 stros missos nobis spopondistis: in eadem[a] vos vestra promissione[b] sicut genitor vester circa sanctam Dei ecclaesiam et nostram fidelitatem esse perseveraturos.

Sed et illud, queso, ad vestri refertae memoriam: qualiter vos prelatus domnus Stephanus papa in suo transitu[1] per sua scripta[2] sub terribili adiuratione adhortari studuit, firma stabilitate vos esse permansuros erga dilectionem Dei, sanctae Dei ecclaesiae et inlibatam caritatem apostolicae sedis pontificum; et omnia vos adimplere iuxta vestram eidem Dei apostolo adhibitam[c] sponsionem. Et nunc[d] ista est vestra promissio!

O quantum laborem sustinuit isdem praecipuus ac beatissimus pontifex; qui, ita inbecillis existens, tanto se exhibuit prolixi itineris periculo[3]. Et nisi Dominus presto fuerit, in vacuum eius labor deducetur; fietque nobis iter illud, quod ibidem isdem noster praedecessor Franciam properavit, in magnam ruinam; dum nostri inimici[e] plus nunc quam pridem in superbiae ferocitatem elevati sunt. Et eccae, quod veraebamur, evenire cernimus; conversaque est nostra laetitia in luctum; et facta sunt novissima mala peiora prioribus; et unde exspectabamus nobis lumen oriri, eruperunt tenebrae.

Quapropter et beatus Petrus princeps apostolorum, cui regni caelorum claves a domino Deo traditae sunt et caelo ac terra ligandi solvendique concessa est potestas, firmiter excellentiam vestram per nostram infelicitatem obtestatur; simulque et nos una cum omnibus episcopis presbiteris et ceteris sacerdotibus atque cunctis[f] proceribus et clero sanctae nostrae ecclesiae, abbatibus etiam et universis religiosis divino cultui deditis seu optimatibus et iudicibus[g] vel cuncto nostro Romanorum istius provintiae populo sub divini iuditii obtestatione vos adoramus per Deum vivum et verum, qui est iudex vivorum et mortuorum, et per eius ineffabilem divinae maiestatis potentiam atque per tremendum futuri iuditii diem, ubi omnes principes

a. eodem *c.* b. promissiones *c.* c. adhibita *c.* d. nuc *c.* e. inimiti *c.* f. cuntis *c.* g. iuditibus *c.*

1. 757 Apr. 26. 2. quae perierunt. 3. anno 754.

et potestates et cunctum umanum genus cum tremore assistere 769—770
habebimus, nec non et per omnia divina misteria et sacratissimum corpus beati Petri: ut nullo modo quisquam de vestra fraternitate praesumat filiam iam dicti Desiderii Langobardorum regis in coniugium accipere. Nec iterum vestra nobilissima germana Deo amabilis Ghysila tribuatur filio[1] saepe fati Desiderii. Nec vestras quoquo modo coniunges audeatis dimittere.

Sed magis recordantes, quae beato Petro apostolorum principi polliciti estis, viriliter eisdem nostris inimicis Langobardis resistitae; distringentes eos firmiter: ut propria sanctae Dei ecclesiae Romane[a] rei puplicae reddere debeant; eo quod, omnia quae vobis polliciti[b] sunt transgredientes, nos cotidiae adfligendo et obprimendo non cessant; etiam quia aliquid nobis reddere minime sunt inclinati; etiam et nostros invadere fines noscuntur. Et tantummodo per argumentum in praesentia de vestris missis simulant iustitias nobis faciendum. Nam nihil ad effectum perducitur; et quicquam ab eis de nostris iustitiis nequaquam recipere valuimus.

Unde ecce, ut cuncti nostri dolores subtiliter vestris auribus suggerantur, direximus nostros missos, videlicet Petrum dilectum filium nostrum presbiterum et Pampylum defensorem regionarium sanctae nostrae ecclesiae. Quos et de imminente nobis tribulatione nec non et de singulis causis subtiliter informavimus, vestro regali intimandum culmini. Et petimus, ut solitae benignae eos suscipere nostraeque petitioni vestras a Deo inspiratas aures adcommodare dignemini. Et amplissimam liberationem[c] atque exaltationem sanctae Dei ecclesiae spiritalis matris vestrae et istius a vobis redemtae provintiae defensionem perficere iubeatis; ut perfectam remunerationem a iusto iudicae Deo nostro, intercedente eius principe apostolorum beato Petro, suscipiatis.

Praesentem itaque nostram exhortationem atque adorationem in confessione beati Petri ponentes, et sacrificium super

a. Romamane *c*. b. polliti *c*. c. libeliberationem *c*.

1. Athalgiso.

769—770 eam atque hostias Deo nostro offerentes, vobis cum lacrimis ex eadem sacra confessione dereximus. Et si quis, quod non optamus, contra huiusmodi nostrae adiurationis atque exhortationis seriem agere praesumserit, sciat se auctoritate domini mei beati Petri, apostolorum principis, anathematis vinculo esse innodatum et a regno Dei alienum atque cum diabolo et eius atrocissimis pompis et ceteris impiis aeternis incendiis concremandum deputatum. Ad vero, qui observator et custos istius nostrae exhortationis extiterit, caelestibus benedictionibus a domino Deo nostro illustratus, aeternis praemiorum gaudiis cum omnibus sanctis et electis Dei particeps effici mereatur.

Incolomem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

---

48. *Stephanus IV papa Bertradae reginae et Carolo regi Francorum Ittherium nuntium, qui mirificam operam in recuperando b. Petri patrimonio Beneventano consumpserit, commendat*[a]. (Cod. 44, Cen. 46)

770—771 Dominae religiosae filiae Bertrade Deo sacratae[b] seu domino filio Carolo regi Francorum et patritio Romanorum Stephanus papa.

Dum tantis beneficiorum in diversis apostolicis causis atque utilitatibus a vobis commulatis suffragiis nimia iocunditatis laetitia sancta spiritalis mater vestra universalis Dei ecclaesia relevata exultat, nulla, ut opinor, oris assertio ad referendas sanctissimae religiositatis vestrae atque christianissimae praecellentiae[c] tuae gratiarum laudes sufficere valebit. Sed tamen, licet digna vobis ab hominibus pro tanto vestro pio opere rependi non possit vicissitudo, verumtamen misericors Deus noster[d], qui potens est et scit bonis bona reddere, ipsae copiosam laborum vestrorum vobis caelestium retribuet praemiorum reconpensatio-

a. *ex cod. f.* 49—49*v*. *Lemma:* Item exemplar epistolae Stephani papae ad domnum Carolum regem et eius praecelsam genetricem directa, in qua continentur gratiarum actiones; et conlaudans Ittherium abbatem, et postulans, ut ei digna retributio pro suo certamine fieret. b. secratae *c.* c. praecellentissime *c.* d. nñ *c.*

nem. Sed et nostra sincera cordis abita erga vos affectio saedula pro vobis divinae non desistit maiestati orationum persolvendum vota. 770—771

Itaque praesens Ittherius[a] religiosus ac prudentissimus vir et re vera vester nosterque[b] sincerus fidelis, quem cum suis concomitibus et reliquis vestris missis pro exsequendis[c] faciendisque iustitiis fautoris vestri[d] beati Petri direxistis, ad nos coniungens, ilico partes Beneventani profectus est ducatus[e] pro recolligendo illis in partibus situm patrimonium eiusdem protectoris vestri apostolorum principis[1]. Qui videlicet sollertissimus vir in omnibus secundum vestram nostramque decertavit voluntatem suique laboris constantiam, iuxta ut a vobis illi praeceptum est, in ipsis apostolicis exhibuit utilitatibus. Unde nimis cor nostrum in eius indefesso[f] certaminae et firma operationis perseverantia laetatum est; quia profecto, secundum quod celestis muneris gratia magnae scientiae illustratur prudentia piis quoque meritis atque inmutilatae fidei decoratur integritatae, tantam[g] in eo repperimus fidelitatem in vestro nostroque servitio, quantum diutissimae nostra ardentius de eo optabat agnoscere mens.

Unde maximas atque innumerabiles gratiarum actiones religiosissime sobriaetati vestrae atque[h] christianissimae excellentiae tuae referimus. Et ideo obnixae tamquam praesentialiter benignitatem vestram petimus, ut amplissimam favoris vestri gratiam atque largitatis munificentiam et dignam consolationem eidem religioso viro pro eius laboroso certamine, quod in vestro atque nostro ut dictum est apostolico servitio exhibuit, inpertire iubeatis; quatenus, sicut ab omnipotenti Deo intercedentae beato Petro digna operis eius in caelestibus regnis exarata fertur remuneratio, ita et a vobis consolationis consequatur opem.

a. itetherius *c.* b. nosterq; vester *c.* c. exsequenticb; *c.* d. *sequitur iterum in cod.* et reliquis vestris missis. e. ductus *c.* f. indefensio *c.* g. tamtam *c.* h. *sequitur* praesentialiter *in cod., praepropere scriptum. Cf. ea, quae infra leguntur:* tamquam praesentialiter.

1. V. Annales Mosellani (Mon. Germ. SS. XVI 496) 770: „fuit Berta regina in Italia ad placitum contra Desiderio rege, et reddite sunt civitates plurime ad partem S. Petri“. Cf. Annal. Petaviani 770 (ibid. I 13).

770—771 Omnipotens[a] autem Deus noster sacris apostolorum principum interventionibus[b] sua vos circumtegat gratia, et praesentis vitae prospera et aeterna felicitatis vobis multipliciter tribuat gaudia.

Incolomem religiositatem vestram atque excellentiam tuam gratia superna custodiat.

---

49. *Stephanus IV papa Carlomanno regi Francorum scribit, ad ea quae nuntii eius retulerint voce se respondisse. Cupit puerum eius nuper natum baptizare. Optima omina in reginam liberosque congerit*[c]. (Cod. 48, Cen. 48)

770—771 Domino excellentissimo filio Carlomanno regi Francorum et patricio Romanorum Stephanus papa.

Dum tantam piae considerationis gratiam atque efficacem sollertiam creator noster omnipotens Dominus vestro mellifluo regali cordi pro defensione et exaltatione sanctae suae ecclesiae effundere dignatus est, praecellentissime fili[d] ac benignissimae rex; idcirco opinatissimi nominis tui praeclara memoria et indita caelitus prudentia in toto orbe terrarum divulgata permanet, etiam et caelestibus regnis dignorum[e] operum tuorum refulgent merita. Unde beatus es, bone christianissime rex. Quod quidem nos, conspecta fidei tuae constantia, quam in apostolicis causis et nostri amoris fervore habere dinosceris, firmi in tua dilectione permanentes, sedulae eidem nostro conditori pro inmensa vestra laetitia et a Deo instituti[f] regni vestri stabilitate praeces fundere nequaquam desistimus.

Inter ea coniungentes ad nos Beraldus religiosus abbas[1] et Audbertus vir inluster detulerunt nobis honorandas nimisque desiderabiles syllabas a Deo protectae excellentiae vestrae; quas

a. ompotens *c.* b. interventioniob; *c.* c. *ex cod. f.* 58—58*v. Lemma:* Item exemplar epistolae eiusdem papae ad domnum Carlomannum regem directa, in qua continentur gratiarum actiones; et postulabat, ut filium suum ex fonte sacri baptismatis suscipere meretur. d. filii *c.* e. dignum *c.* f. institutae *c.*

1. quem abbatem Epternacensem fuisse, „conicere potius licet quam affirmare“, ut scripsit Mabilio (Ann. ord. Bened. T. II 220).

cum magno honoris affectu suscipientes atque relegentes, quae in eis ferebantur, omnino agnovimus. Sed et ipsi vestri fidelissimi missi ea, quae a vestra a Deo protecta excellentia iniuncta habuerunt, nobis subtilius retulerunt. De quibus sicut vestris fidelibus ad singula eis responsum reddidimus, vestro a Deo inspirato culmini liquido enarrandum. 770—771

Ad vero, quia amoris vestri fervor in nostris firmiter viget praecordiis, magna nobis desiderii ambicio insistit, praecellentissime regum: ut Spiritus sancti gratia, scilicet compaternitatis affectio, inter nos eveniat[a]. Pro quo obnixae quaesumus christianitatem tuam, a Deo institutae bone rex excellentissimeque fili: ut de praeclaro ac regali vestro germine, quod vobis Dominus pro exaltatione sanctae suae ecclesiae largiri dignatus est, in nostris ulnis ex fonte sacri[b] baptismatis aut etiam per adorandi chrismatis unctionem spiritalem suscipere valeamus filium[1]; ut, eadem Deo prosperante compaternitatis gratia in medio nostrum corroborata, magna laetitia ex hoc tam nos quamque universus noster populus pariter relevati, exultare valeamus in Domino.

Deus autem omnipotens, per quem reges regnant et principes imperant, sua vos protegat gratia et victoriam vobis de caelo pro suae sanctae ecclesiae defensione tribuat, atque longevos[c] et sospites in solio regni pariter cum excellentissima ac christianissima filia nostra regina dulcissima vestra coniuge[2] et amantissimis natis[3] conservare, et celestis regni aeterna gaudia concedere dignetur possidenda.

Incolomem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

a. adueniat c. b. sacris c. c. longaeuus c.

1. Annal. Petavian. cont. 770 (Mon. Germ. SS. I 13): „Nativitas Pipini filii Karlomanni". 2. Girberga. 3. Itaque iam ante Pipinum natum parens factus erat Carlomannus.

50. *Stephanus IV papa Bertradae reginae et Carolo regi Francorum scribit, Christophorum et Sergium, qui de se necando cogitaverint, excaecatos esse. De Dodone, Carolomanni regis nuntio, queritur. Desiderium regem Langobardorum sibi prorsus satisfecisse nuntiat*[a] [1]. (Cod. 46, Cen. 45)

771 Dominae religiosae filiae Bertradae Deo consecratae seu domno excellentissimo filio Carolo regi Francorum et patricio Romanorum Stephanus papa.

Cum magno dolore et gemitu cordis tribulationis atque mortis periculum, quod nobis per sequaces diaboli iam eveniebat, ecce subtilius per has nostras apostolicas syllabas a Deo consecratae religiosaetatis vestrae atque praecellentissimae christianitatis tuae auribus intimare studemus, eo quod nefandissimus Christophorus[2] et Sergius[3] nequissimus eius filius, consilium inientes cum Dodone misso germani tui Carlomanni regis, nos interficere insidiabant. Unde cum eodem Dodone et eius Francis, cum aliquibus eorum nequissimis consentaneis aggregantes exercitum, super nos in Lateranensium sanctum patriarchatum cum armis ingressi sunt, confringentes et ianuas, atque omnes cortinas[4] ipsius venerandi patriarchii lanceis perforantes; atque intus in basilicam domni Theodori papae, ubi nullus ausus est aliquando vel etiam cum cultro ingredi, cum loricis et lanceis, ubi sedebamus, introierunt; sicque ipsi maligni viri insidiabant nos interficere.

Sed omnipotens Deus, cernens rectitudinem cordis nostri quod nulli umquam malum cogitavimus, de eorum nos eripuit manibus. Et vix per multum[b] ingenium, dum hic apud nos excellentissimus filius noster Desiderius Langobardorum rex pro

a. *ex cod. f.* 51v—52. *Lemma:* Item exemplar epistolae eiusdem papae ad domnum Carolum regem et eius praecelsam genetricem directa de Cristophoro et Sergio filio eius, qui cum Dodone et caeteris Francis Stephanum papam interficere conati sunt. b. per multum per multum *c.*

1. Epistolam hanc anno 771 scriptam esse, docui in Regestis pontificum Romanorum p. 201 sequ. 2. primicerius. 3. secundicerius. 4. aulaea.

faciendis nobis diversis iustitiis beati Petri existeret, per eandem occasionem valuimus cum nostro clero refugium facere ad protectorem vestrum Beatum Petrum[a][1]. Et continuo direximus nostros sacerdotes[2] ad eosdem malignos Christophorum atque Sergium: ut ab eadem iniquitate, quam pertractaverant nobis ingerendum, resipiscerent; et ad nos ad Beatum Petrum properarent. Illi, mox ut audierunt, de praesenti cum Dodone et eius Francis turmas facientes et portas civitatis claudentes, fortiter resistebant; et nobis comminabantur; atque in civitatem nos ingredi minime permittebant. 771

Et dum in eadem perfidia permanerent, et cognovisset universus noster populus eorum iniquum consilium, de praesenti eos dereliquerunt. Qui etiam et plures per murum descendentes ad nos properaverunt; alii vero, portam civitatis aperientes, ad nostri progressi sunt praesentiam. Et ita ipsi maligni viri coacti atque nolentes ad nos in ecclesia beati Petri sunt deducti. Quos interficere universus populus nitebantur; et vix de eorum manibus eos valuimus eripere. Et dum infra civitatem nocturno silentio ipsos salvos[b] introducere disponeremus, ne quis eos conspiciens interficeret, subito hi, qui semper eis insidiabantur, super eos inruentes, eorum eruerunt oculos — Deo teste dicimus — sine nostra voluntate atque consilio. Unde magno dolore nostrum atterritur cor.

Et credite[c] nobis, a Deo consecrata[d] filia atque excellentissimę fili, nisi Dei[e] protectio atque beati Petri apostoli et auxilium excellentissimi filii nostri Desiderii regis adesset, iam tam nos quamque noster clerus et universi fideles sanctae Dei ecclesiae et nostri in mortis decideremus periculum. Ecce quantas iniquitates et diabolicas immissiones hic seminavit atque operatus est praedictus Dodo; ut, qui debuerat in servitio beati Petri et nostro fideliter permanere, ipse e contrario animae nostrae

a. Beatum Petrum *addidi*. b. saluuos *c.* c. creditur *c.* d. consecratae *c.* e. dō *c.*

1. in ecclesiam S. Petri. 2. Andream ep. Praenestinum et Iordanem ep. Signiensem.

771 insidiabatur; non agens iuxta id, quod a suo rege illi praeceptum est, in servitio beati Petri et nostra oboedientia fideliter esse permansurum. Et certe credimus, quod, dum tanta eius iniquitas ad aures excellentissimi filii nostri Carlomanni[a] regis pervenerit, nullo modo ei placebit, in eo quod in tantam deminorationem atque devastationem sanctam Dei ecclesiam is Dodo cum praelatis suis nefandissimis sequacibus[b] cupiebat deducere. Et ideo nostras tribulationes et angustias atque pericula a Deo institutae religiosissimae christianitati[c] tuae atque excellentiae vestrae innotuimus, quoniam profecto omnipotens Deus credentes in se et confidentes in eius misericordia non derelinquid.

Agnoscat autem Deo amabilis religiositas vestra atque christianissima excellentia tua, eo quod in nomine Domini bona voluntate nos convenit cum praelato excellentissimo et a Deo servato filio nostro Desiderio rege; et omnes iustitias beati Petri ab eo plenius et in integro suscepimus. Tamen et per vestros missos de hoc plenissime eritis satisfactum.

Deus autem omnipotens sua vos protectionis dextera circumtegat et presentis regni gubernacula aevis atque prosperis temporibus perfrui annuat et aeterna praemiorum gaudia multipliciter[d] faciat adipisci.

Incolomem religiositatem vestram atque excellentiam tuam gratia superna custodiat.

---

51. *Hadrianus I papa Carolo regi de Leonis archiepiscopi Ravennatis mendaciis et arrogantia scribit. Videat, ne iam peiore sit conditione ecclesia, quam Langobardorum temporibus. Anastasium legatum suum commendat*[e].

(Cod. 54, Cen. 51)

774 ex. Domino excellentissimo filio Carolo regi Francorum et Langobardorum atque patricio Romanorum Hadrianus papa.

a. Carlomanno *c.* b. sequatibus *c.* c. christianitate *c.* d. multiplicentur *c.* e. *ex cod. f.* 58*v* — 59*v*. *Lemma:* Item exemplar epistolae eiusdem papae ad domnum Carolum regem directa, in qua continetur de protervia Leonis archiepiscopi Ravennantium civitatis.

Pervenit ad nos, eo quod protervus et nimis arrogans Leo archiepiscopus Ravennantium civitatis suos ad vestram excellentissimam benignitatem ad contrarietatem nostram, falsa suggerendo, direxit missos. 774 ex.

Etenim, praecellentissimae magne rex, postquam vestra excellentia a civitate Papia in partes Frantiae remeavit[1], ex tunc tyrannico atque procacissimo intuitu rebellis beato Petro et nobis extitit. Et in sua potestate diversas civitates Emiliae detinere videtur, scilicet Faventias, Forumpopuli, Forolivi, Cesinas, Bobio, Comiaclum, ducatum Ferrariae, seu Imulas atque Bononias; asserens, quod a vestra excellentia ipse civitates una cum universo Pentapoli illi fuissent concessae. Et continuo direxit Theophylactum missum suum per universam Pentapolim, hoc ipsud denuntians; cupiens eosdem Pentapolenses[a] a nostro servitio separare. Sed ipsi[b] nullo modo sese[c] illi humiliare inclinati sunt nec a servitio beati Petri et nostro recedere maluerunt; magis autem firmi in nostris apostolicis mandatis, quemadmodum extiterunt sub nostro praedecessore domno Stephano papa, cui sanctae recordationis genitor tuus simulque et praeclara excellentia tua ipsum exarchatum sub iure beati Petri permanendum traditum est, in omnibus firmiter permanere noscuntur. Nam praenominatas civitates, ut dictum est, Emiliae ipsae nepharius archiepiscopus in sua potesta detinens, ibidem actores quos voluit constituit, et nostros quos ibidem ordinavimus proicere visus est. Sed et cunctas actiones infra civitatem Ravennantium ipse ordinavit.

Et ecce, quod numquam speravimus, in magnam humilitatem sancta spiritalis mater tua Romana ecclesia evenisse dinoscitur, et nos etiam in nimiam deminorationem atque despectum esse videmur; dum ea, quae potestativae temporibus Langobardorum detinentes ordinare ac disponere videbamur, nunc temporibus vestris a nostra potestate impii atque perversi, qui vestri nostrique existunt emuli, auferre conantur. Et ecce inproperatur

a. Pentalenses *c.* b. ipse *c.* c. esse *c.*

1. post d. 16 m. Iulii a. 774.

774 ex. nobis a plurimis nostris inimicis, exprobrantes nos et dicentes: *Quid vobis profuit, quod Langobardorum gens est abolita et regno Francorum subiugata? Et ecce iam nihil de his, quae promissa sunt, adinpletum est; insuper et ea, quae antea beato Petro concessa sunt a sanctae recordationis domno Pippino rege, nunc ablata esse noscuntur.*

Etenim illud, quod antefatus nefandissimus archiepiscopus asserit, proponens occasionem, in ea potestate sibi exarchatum Ravennantium, quam Sergius archiepiscopus habuit, tribui; nos, excellentissimae fili, quemadmodum tempore domni Stephani[1] papae, qui illuc Franciam profectus est, cui et ipsum exarchatum traditum est, ita et nostris temporibus eum sub nostra potestate disponere atque ordinare volumus. Et omnes in hoc cognoscere possunt, qualem potestatem eius ter beatitudo in eandem[a] Ravennantium urbem et cunctum exarchatum habuit, qui etiam archiepiscopum Sergium exinde abstulit, dum contra eius voluntatem agere spiritu superbiae nitebatur. Etenim ipse noster praedecessor cunctas actiones eiusdem exarchatus ad peragendum distribuebat; et omnes actores ab hac Romana urbe praecepta earundem actionum accipiebant[b]. Nam et iudices ad faciendas iustitias omnibus vim patientibus in eadem Ravennantium urbe residendum ab hac Romana urbe direxit, Philippum videlicet illo in tempore presbiterum simulque et Eustachium quondam ducem.

Et ut plenius de hoc satisfacere christianissima excellentia vestra potest, dignetur advocare praedictum Phylippum episcopum. Eoque de huiusmodi re inquisito, certissimae veritatem agnoscere potestis, quia omnia ita sunt, quemadmodum innotuimus.

Et non tibi placeat, bone et excellentissimae fili, ut in tantum despectum atque humilitatis deminorationem sancta Dei ecclesia[c] Romana, spiritalis mater tua, quae caput est omnium ecclesiarum Dei, eveniat. Sed magis peto te coram Deo omni-

a. eadem *c.* b. actipiebant *c.* c. eccessia *c.*

1. III.

potente, ut ita disponere iubeas, eundemque archiepiscopum sub nostra potestate contradere digneris, ut a nobis cunctum exarchatum disponatur, sicut saepefatus domnus Stephanus beatissimus papa temporibus sanctae memoriae genitoris vestri domni Pippini disponere visus est; quatenus vestris felicissimis temporibus ipsa sancta universalis Dei ecclaesia exaltata permaneat, et ex hoc in presenti vita suffragiis apostolorum beati Petri et Pauli regni gubernacula longo senio cum inmensis victoriis possidere, etiam et in futura beatitudine caelestia regna adipisci mereamini. 774 ex.

Ecce enim magnopere dreximus ad vestra regalia vestigia praesentem Anastasium, fidelissimum nostrum cubicularium; cui et in ore posuimus, quae nostra vice vestrae excellentiae enarrare debeat. Quem in omnibus vobis commendantes, cuncta illi credere et ad nos cum prospero nuntio et effectu cause absolvere iubeatis.

Incolomem[a] excellentiam vestram gratia superna custodiat.

---

52. *Hadrianus I papa Carolo regi victoriam adepto gratulatur. Gausfredum Pisanum, cum nuntio suo ad eum accedentem, commendat. Pisano, Lucensi, Regino episcopis postliminium petit*[b]. (Cod. 55, Cen. 50)

Domino excellentissimo filio Carolo regi Francorum et Langobardorum atque patritio Romanorum Adrianus papa. 774 ex.

Reversus a vestris Deo dilectis regalibus vestigiis praesens Gausfridus, habitator civitatis Pisinae, nostrisque praesentatus optutibus, retulit nobis de inmensis victoriis[1], quas vobis omnipotens et redemptor noster dominus Deus per intercessiones

a. Incomem *c.* b. *ex cod. f.* 59*v* – 60*v*. *Lemma:* Item exemplar epistolae ad domnum Carolum[a] regem directa per Gausfridum abbatem, in qua continetur de victoria ipsius praedicti regis et de episcopis Pissano et Lucano, ut ad proprias sedes adque ecclesias pro sua pietate remeare concederet.
a. Carolarolū *c.*

1. e Saxonibus circiter mense Septembri a. 774 latis. V. Annales Laurissenses 774, Mon. Germ. SS. I 152.

774 ex. beati Petri principis apostolorum concedere dignatus est; sed et de vestra prosperitate nos certos in omnibus reddidit. Quo audito, vehementi exultationis laetitia noster in Domino ovans relevatus est animus. Et protinus extensis palmis ad aethera, regi regum et domino dominantium opimas laudes retulimus; enixius deprecantes ineffabilem eius divinam clementiam, ut et corporis sospitatem et anime salutem vobis tribuat et multipliciter de hostibus victorias tribuat omnesque barbaras nationes vestris substernat vestigiis.

Et certe crede nobis, magne christianissime rex bone praecellentissime fili, et maximam habeto fiduciam: quia, dum tu fideli studio in amore ipsius principis apostolorum secundum tuam promissionem permanseris et cuncta eidem Dei apostolo adimplere studueris, et salus tibi et inmensa victoria ab omnipotenti Deo tribuetur indesinenter.

Et quidem nos Deum proferimus testem, cui omnium cordium occulta reserata existunt: ab illo die, quo ab hac Romana urbe in illis partibus profecti estis[1], cotidiae momentaneis etiam atque sedulis horis omnes nostri sacerdotes seu etiam religiosi Dei famuli monachi per universa nostra monasteria simulque et reliquus populus tam per titulos quam per diaconos trecentos kyrieleyson extensis vocibus pro vobis Deo nostro ad clamandum non cessant flexisque genibus eundem misericordissimum dominum Deum nostrum exorantes, ut et veniam delictorum vobis et maximam prosperitatis laetitiam etiam et copiosas victorias vobis multipliciter e caelo concedat.

Ipse referuit nobis siquidem Gausfridus: dum a vobis absolutus reversus est, voluit eum interficere Allo dux. Unde dum vellet ipse Gausfredus ad vestra denuo reverti vestigia, posuit exploratores atque insidiatores in itinere, qui eum interficerent. Quo cognito, apud nos refugium fecit. Et dum se petisset ad vestra absolvi vestigia, dum iam aderatum[2] habuimus Anastasium[3] nostrum missum ad vestram excellentiam dirigendum,

1. post d. 6 Apr. 774. 2. adaeratum (statutum). 3. cubicularium. V. ep. 51 supra p. 173.

eum ad vestram[a] presentiam cum ipso nostro misso absolvimus. Quem, petimus, ut pro amore beati Petri et nostra postulatione benigne suscipere, et protectionis atque favoris vestri opem illi inpertinere dignemini; deprecantes et hoc: ut masas illas, quas ei concessistis, per vestram auctoritatis[1] largitatem possideat. 774 ex.

Sed et hoc nimis quesumus atque postulamus vestram[b] benignitatem: ut episcopos illos, id est civitatis Pissinae seu Lucanae[2] et Regio, ad proprias sedes adque ecclesias et plebes eis commissas absolvere iubeatis revertendum. Quia ita, bone rex excellentissime fili, animae tuae expedit, ut ipsi episcopi propriis sedibus restituantur; omnesque Dei ecclaesiae suis praesulibus ornatae consistant, et cunctus Dei populus in magna laetitia vestris felicissimis temporibus degere valeat, vobisque hoc respiciat ad[c] aeternam mercedem.

Nos itaque, firmi in vestra caritate permanentes, ideo ea, quae pertinere cognoscimus ad salutem animae vestrae, fiducialiter vos satagimus deprecandum, ut Deus noster omnipotens vestris semper placatus existat piis operibus et copiosam vobis ex hoc in presenti et futura vita tribuat remunerationem.

Incolomem excellentiam vestram[d] gratia superna custodiat.

---

53. *Hadrianus I papa Carolo regi respondet de legatis eius a sese benigne receptis. Petit, ne malignis de sese sermonibus credat. Eum mense Octobri in Italiam venturum esse gaudet. Legatis eius nuntios suos adiungit. Anastasium nuntium suum, ab eo retentum, dimitti cupit. De Gaidifrido Langobardo. Pascalem et Saracinum, fraudulentos ipsius detractores, miratur in honore apud eum esse; de iisque poenas sumi vult*[e]. (Cod. 50, Cen. 61)

Domino excellentissimo filio Carolo regi Francorum et Langobardorum atque patricio Romanorum Adrianus papa. 775

a. ura ͨ *c.* b. vestram *addidi.* c. at *c.* d. vestram *om. c.* e. *ex cod. f.* 55 – 56. *Lemma:* Item exemplar epistolae eiusdem papae ad

1. diplomatis. • 2. Peredeum.

775 Desiderantissimae vestrae excellentiae scripta suscepimus; in quibus tantum de absenti conlocutione gavisi sumus, quantum et ipsum, qui locutus est, semper mihi cupio esse presentem. Quas relegentes et de vestra immensa prosperitate agnoscentes, nimis sumus gratulati[a]; quoniam vestra prosperitas nostra esse comprobatur letitia, et vestra exaltatio nostra existit post Deum securitas.

Ferebatur enim in ipsis regalis vestrae potentiae apicibus: quod remeantes ad vos missi vestri, scilicet Wilcharius sanctissimus frater noster archiepiscopus[1] seu Dodo religiosus abbas, vobis retulissent, quod ea, quae eis a vobis[b] essent[c] iniuncta, benignae atque amabiliter a nobis esse suscepta. Sed cognoscit omnipotens Deus noster, cui archana cordis reserata assistunt: quia omnem missum, a vestris regales obtutibus directum, cum nimio amore et decenti honore suscipere studemus; et omnem vestram voluntatem sincera mentis integritate inplere satagimus; atque cum prosperitate ad vos repedandum absolvere festinamus; neque nulla nos posse huius mundi transitorii ac labentibus opibus vel humani suasioni blandimentis ab amore et dilectione vestrae inclytae sublimitatis vel ab eas, quae vobis polliciti sumus, declinari, dum hic advixerimus; sed firmi et stabiles in vestra permanemus caritate. Absit namque a nobis, carissime et nimis nobis dulcissime fili, ut ea, quae inter nos mutuo coram sacratissimi[d] corpus fautoris tui beati apostolorum principis Petri confirmavimus atque stabilivimus, per quovis modum irritum facere adtemptemus. Quoniam et nos satisfacti sumus, qui et vos in nostra caritate firmiter esse permansuros.

Sed peto te coram Deo, carissime fili, sicut iam olim per nostros affatus vestro culmine deprecare visus sum: si quis de nobis nequissimas dictas vestris auribus proferre maluerint, cu-

domnum Carolum regem directa, in qua continetur de fide et constantia ipsius, et de Anastasio misso ipsius apostolici, qui hic Frantia demoratus fuerat.

a. gratulari *c.* b. *sequitur* retulissent. c. essent *addidi.* d. sacratissimis *c.*

1. Senonensis.

piens per fallatiam se vobis commendare[1], nullam credulitatis 775
illi admittatis copiam. Quia, ut prediximus, nos firmi in vestra permanemus dilectione; magis dum et salvator noster designandum expressit dicens: *In hoc cognoscent omnes, quia*[a] *mei estis discipuli, si dilectionem habueritis in invicem*[2].

Interea continebatur series vestrae excellentiae: quod, accedente proximo mense Octobrio[3], dum Deo favente in partibus Italiae adveneritis, omnia, quae beato Petro regni celorum clavigero et nobis polliciti estis, ad effectum perducere maturatae. Laetitia enim patris est perfectio filiorum, et de eorum provectu naturalis affectu congaudet. Quapropter salutis tuae agnoscentes perfectionem, hilares redditi sumus. Et quia augmento et exaltatione matris tuae sanctae Dei ecclesiae in Italiam destinatis properare, ut perficiantur, magis magisque optamus. Sed deus et dominus noster Iesus Christus faciat nobis in propinquo de vestra praesentia gaudere et una vobiscum in invicem exultare.

De missis nempe nostris, Andream videlicet coepiscopum[b][4] seu Pardum egumenum[5], unde nobis intimandum direxistis, ut cum missi vestri Possessorem fratrem nostrum episcopum atque Dodonem religiosum abbatem, ad vestris regalis vestigiis repedantes, dirigeremus; ita adimplere velotius destinavimus. Sed Pardus egumenus propter[c] inbecillitatem corporis sui proficiscere minime valuit. Et direximus in vicem illius Valentinum episcopum.

Illud vero, quod de Anastasium missum nostrum[6] nobis indicastis, quod aliqua inportabilia verba, que non expediaebat, vobis locutus fuisset, unde valde tristi effecti fuistis et pro hoc adhuc apud vos eum detinetis, nimis noster fraglat animus; dum

a. cognoscent omnes quia *scripsi pro* cognovimus *c.* b. coepiscopusn *c.* c. propt *c.*

1. Cf. ep. 51 supra p. 171: „Leo — suos ad vestram excellentissimam benignitatem ad contrarietatem nostram, falsa suggerendo, direxit missos". 2. Ioh. 13, 35. 3. Oct. 775. 4. Praenestinum. 5. abbatem. 6. V. epp. 51 et 52 supra p. 173 et 174.

775 Langobardi et Raviniani fatentur[a] inquientes: quia nullo modo rex in apostolico permanet caritate, dum eius missum apud se detinet. Sed neque ab ipsis mundi exordiis cognoscitur evenisse, ut missum protectoris tui beati Petri magnus vel parvus a quacumque gente detentus fuisset. Sed iubeat nobis eum vestra sollicitudo dirigere; et severissimae eos sciscitantes, iuxta noxam ei repertam eum corripiemus.

Nam de Langobardo illo, qui cum eodem Anastasio misso nostro apud vos properavit nomine Gaidifridus[1], unde nobis significastis: ut, dum vestro fuisset palatio, fraudem agebat adversus vestram regalitatem, insuper et vestrum suasisset notarium[b], falsasque fecisset litteras[2], per quas nos cupiebat in scandalum vobiscum immittere; quod avertat divinitas, neque invenitur homo, qui nos possit per quovis modum adversus vos in iracundiam provocare. Sed testis nobis est Deus, qui hocculta hominum cognoscit: per nullum argumentum eum infidelem vestrum cognovimus.

Sed ut brevius dicamus, si ille, qui ab amatorem tuum beatum Petrum ad vos destinavit, talia suscipere meruit[c], quid considerandum est de nefandissimos et nimis strophariis Passcalem et Saracinum, qui talia, ut et vos per honorandis vestris apicibus insinuastis, in hac Romana[d] urbę agere ausi sunt, quale numquam ab exordio mundi auditum est sortisse. Et dum talia egissent et apud vestris optutibus coniunxissent, non ambigentes pro reatum quam operati sunt, vos deprecati sunt, ut eos in nostram[e] reducere debuissetis gratiam. Sed magis coram vestris presentiis et nostris missis disstractionibus vacabant. Et miror valde, quod illi, qui talia et inaudita de nos coram vestris op-

a. *an* fatuantur? b. notanum *c.* c. meruit *c.* d. nomana *c.* e. inrām *c.*

1. s. Gausfridus; v. ep. 52 supra p. 173. Licet enim nomen Gausfridus non idem sit ac nomen Gaidifridus, tamen utroque nomine in his epistolis eundem Langobardum significari facillimum probatu est. Cf. not. 2.
2. Cf. ibid. Hadriani rogationem hanc: „ut masas illas, quas ei (Gausfrido) concessistis, per vestram auctoritatis (i. e. diplomatis) largitatem possideat“.

tutibus proferebant verba, in magnis deliciis habere dinoscitis. 775
An nescit vestra praecellentia, quia, si quacumque persona de qualibet gente adversa aut inania de vestra eximia celsitudine reseruisset verba, dignam in eum exercentes vindictam, vinctum eum usque ad vestram direxerimus excellentiam? sicut et de Paulino egimus. Pro quo deprecamus atque coniuramus praecellentiam vestram, dulcissime fili, per redemptorem dominum nostrum Iesum Christum: ut viriliter, Deo vobis inspirante, exurgatis[a], et miserae et flagitiosae praesumptionis, utpote pium regem, legalem vindictam nobis de eis exercere iubeatis; ut in hoc cognoscant gentes, quia ob amorem beati Petri magnam in nobis habetis dilectionem; ut, qui nobis dolentibus condolent, ita et nobis laetantibus congaudeant. Aut nobis eos dirigere[b] dignetis; ut omnipotens Deus, respiciens de excelso, pro iusta vindicta nobis de eis inlata concedat tibi una cum excellentissima filia nostra regina[1] et amantissimis natis longa spatia vitae per metas annorum; et ego licet peccator, dum de eis perfectam suscepero iustitiam, magis ac magis, ut ago, ante ipsius ianitoris regni celorum sacram confessionem assidue pro vestra incolomitate fundere valeam preces.

Incolomem excellentiam vestram[c] gratia superna custodiat.

---

54. *Hadrianus I papa Carolo regi de promissis per litteras ac per legatos factis gratias agit. Quae ut quam primum exsolvat, petit. Leonem archiepiscopum Ravennatem ad eum accessisse, non aegre fert*[d]. (Cod. 53, Cen. 52)

Domino excellentissimo filio Carolo regi Francorum et Langobardorum atque patritio Romanorum Hadrianus papa. 775

a. exurgates *c.* b. dirigeretis *c.* c. vestram *addidi.* d. *ex cod. f.* 58—58r. *Lemma:* Item exemplar epistolae eiusdem papae ad domnum Carolum regem directa per Andream et Anastasium, pro iustitia sanctae Dei ecclesiae et de Leone archiepiscopo, qui ad iam praefatum domnum regem properatus est.

1. Hildigarda.

775 Revertentes ad nos missi nostri, quos ad vestram a Deo illustratam praecellentiam nuper visi sumus direxisse, scilicet Andreas reverentissimus frater noster episcopus[1] et Anastasius cubicularius[2], detulerunt nobis honorandos atque mellifluos benignissimae christianitatis vestrae apices; quorum series dum nostris recitaretur auribus, liquido cuncta in eis adnexa didicimus. Sed et ipsi praefati nostri missi indeminutae nobis omnia, quae illis a vobis iniuncta sunt, retulerunt plenissime; adserentes de vestra benivola puritate et magna cordis constantia, quam erga beatum Petrum principem apostolorum et nostram mediocritatem secundum vestram promissionem habere videmini. Pro quo nimio repleti gaudio, ilico extensis palmis ad aethera[a], omnium creatori domino Deo nostro inmensas referuimus grates; inpensius pro vestra prosperitate eius divinam exorantes clementiam, ut confirmet isdem dominus Deus noster hoc ipsud in vestro florigero pectore, quatenus velociorem atque copiosum fructum sancta spiritalis mater vestra Romana nostra ecclaesia, capud omnium ecclesiarum Dei, de vestra consequatur promissione.

Sed, bone dulcissime atque praecellentissime fili domine mi a Deo institute magne rex, deprecor et obnixae peto, tamquam praesentaliter coram tuis adsistens optutibus, cum magna fiducia: ut velociter ea, quae beato Petro pro magna animae tuae mercede et a Deo protecti regni vestri stabilitate beato apostolorum principi Petro celorum regni clavigero per tuam donationem offerenda spopondisti, adimplere[b] iubeas; quatenus isdem princeps apostolorum multo amplius tibi protector et auxiliator apud divinae maiestatis potentiam existat.

Plenissimae enim satisfactus es, praecellentissime regum: qualis fortissimus ac validus ipse ianitor regni caelorum beatus Petrus tuae extitit excellentiae adiutor, et quomodo eius sacris

a. ad athera *c*. b. adimple *c*.

1. Praenestinus, quem cum Valentino episcopo Hadrianus ineunte fere anno (775) ad Carolum miserat. V. ep. 53 supra p. 177. 2. V. epp. 51, 52, 53 supra p. 173, 174, 177.

interventionibus omnipotens dominus Deus noster victoriam tibi 775
tribuit regnumque Langobardorum tuae tradere iussit potestatis dicioni. Et in antea magnam habeto fiduciam: quia, eius suffragiis circumvallatus, tuis regalibus vestigiis caeteras barbaras nationes omnipotens Dominus substernet. Quia nos omnino satisfacti sumus et magnam habemus fiduciam in vestri cordis constancia, celeriter vos omnia perfici, quae eidem apostolo apostolorumque principi spopondistis. Optime enim cognoscimus, qualis firmitas et integritatis stabilitas inter nos Deo auspice in apostolica aula corroborata est. Et scimus, cui credidimus; et certi sumus.

De eo vero, quod innotuistis, ad vos properasse Leonem archiepiscopum[1], nos quippe, testatur veritas, libentissimae acceptamus eos, qui ad vestra regalia accelerant vestigia. Quoniam una dilectio una caritas eademque puritatis affectio inter nos consistit. Et si praefatus archiepiscopus nobis direxisset, ad vestri se praesentiam velle proficisci, gratuito animo nostrum missum cum eo direxissemus.

Itaque praesens vester missus aliam nobis optulit praecellentiae vestrae epistolam. Cuius confertam paginam didicentes, valde noster laetatus est animus in vestrae mentis benigno proposito; redemptorem nostrum multipliciter deprecantes, ut longo ac prospero senio cum magna de hostibus victoria caelestis regni gubernacula pariter cum excellentissima et a Deo protecta filia nostra benignissima et vere christianissima regina fidelissimaque amatrix beati Petri dulcissima vero vestra coniuge[2] atque amantissimis natis vos perfrui annuat; tribuens vobis et celestis regni cum sanctis perenniter possidenda gaudia.

Incolomem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

1. Ravennatem. 2. Hildigarda.

55. *Hadrianus I papa Carolo regi epistolam Iohannis patriarchae Gradensis mittit. Quam nuntiat a Leone archiepiscopo Ravennate eo consilio resignatam esse, ut regis inimicos de ea erudiret. Eundem Leonem e Francia reducem queritur insolentius se efferre*[a]. (Cod. 52, Cen. 53)

775 (Oct. 27) Domino excellentissimo filio Carolo regi Francorum et Langobardorum atque patricio Romanorum Hadrianus papa.

Dum tanta amoris dilectio et firma caritatis integritas inter nos Deo auspicae[b] corroborata existit, magnum nobis imminet fervoris desiderium de vestra inmensa prosperitatis laetitia certos effici. Quapropter, paterno sinceritatis affectu vestram a Deo protectam excellentiam ter et in Domino plurimum osculantes, quaesumus: ut nos celerius de vestra sospitatis integritate atque praecellentissimae filiae nostrae a Deo inlustratae magnae reginae[1] dulcissime filiae nostrae nec non et excellentissimorum filiorum vestrorum nos laetos quantotius efficere[c] studeatis; in eo quod expectabiles usque hactenus fuimus vestros suscipiendum missos[2], sed nondum ad nos pervenerunt. Et ob hoc maxima nos dilectionis affectio cogit, sinceram cordis nostri puritatem vestro regali culmini enucleanter proferre; dum nimirum vestra salus nostra est laetitia, et prosperitatis vestrae commoditas nostra est exultatio.

Itaque innotescimus excellentiae vestrae, suscepisse nos epistolam directam nobis a Iohanne patriarcha Gradense. Vicesima
Oct. 27 septima enim die Octobrii mensis ipsa ad nos pervenit epistola, et protinus — nec potum nec cibum sumsimus neque nos neque huius scriptor nostrae apostolice relationis — sed eadem hora eodemque momento ipsam antefati patriarchae epistolam cum his nostris apostolicis syllabis vobis transmisimus.

a. *ex cod. f.* 57—58. *Lemma:* Item exemplar epistolae eiusdem papae ad domnum Carolum regem directa, in qua continentur uberrime benedictiones pro exaltatione sanctae Dei ecclesiae, et de epistolae Iohannis patriarchae Gradense. b. auscicae *c.* c. effice *c.*

1. Hildigardae. 2. quos quidem autumno legatum iri, Carolus promiserat epistola Andreae episcopo Praenestino ad papam data. V. ep. 56 infra p. 185.

Itaque valde tristes effecti sumus, quoniam sifoniatas[a][1] bullas eiusdem epistolae repperimus. A Leone archiepiscopo[2] primitus relecta, nobis directa est. Et in hoc conprobare potest excellentissima christianitas vestra, qualis est fraudulenta fides ipsius Leonis archiepiscopi. Quia non pro alio praesumsit eandem epistolam primitus reserare ac relegere, nisi ut omnia, quae ibi ascripta sunt, ut certe omnibus manifestum est, adnuntiaret tam Arghis duci Beneventano quamque reliquis nostris vestrisque inimicis. Et dubium non est, cuncta iam praelatis emulis ab eodem archiepiscopo esse adnuntiata. 775 (Oct. 27)

Nos quidem, veritate testante, coram Deo dicimus puriter et fideliter, in vestro permanentes amore, iuxta quod inter nos praesentialiter in aula apostolica confirmatum est, ea, quae ad nos perveniunt, de praesenti cum magna cautela vobis studemus denuntianda; quia post Deum et beatum Petrum alibi nostra spes et fiducia non est nisi in vestra a Deo protecta excellentia. Tu enim, dulcissimae magnae a Deo inlustratae rex, noster cum Deo defensor et protector existis; quia per te sancta Dei ecclesia spiritalis mater tua exaltata magno exultat gaudio; confidentes, cuncta a vobis beato Petro promissa velociter effectui mancipanda.

Sed Deus omnipotens, in cuius manu omnia mundi regna consistunt, sua vos multipliciter foveat gratia et beatorum apostolorum principum Petri ac Pauli intercessionibus longo ac prospero senio regni gubernacula possidere et pariter cum excellentissima filia nostra regina et amantissimis natis gaudere, et celestia praemiorum cum sanctis perenniter vos faciat adipisci regna.

Incolumem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

EMBOLUM DE LEONE ARCHIEPISCOPO.

Etenim innotescimus excellentissimae christianitati vestrae: eo quod[b], quando a vestra regalia vestigia reversus est Leo ante-

a. asifoniatas *c.* b. *sequitur erasa littera* a.

1. turbatas. Patet enim, „sifoniare“ nihil aliud esse nisi Francicum „chiffonner“. 2. Ravennate.

775 fatus archiepiscopus, in magnam superbiam ac[a] tyrannicam ela-
(Oct. 27) tionem pervenit; et nullo modo, sicut antea, nostris apostolicis obtemperare inclinatus est mandatis; et nullum ex Ravinianis vel Emiliae pro accipiendis praeceptis de diversis accionibus ad nos venire permisit. Ita eis indignatus comminatus est dicens, quod, si quis ex eis ad nos venire praesumpsisset, non potuisset venire. Nam Pentapolenses omnes, oboedientes existentes in nostro apostolico servitio, ad nos proni sicut tempore praedecessoris nostri domni Stephani papae properaverunt et praecepta de singulis eorum civitatibus more solito acceperunt. De reliquis vero civitatibus Emiliae simulque et Gabello hi[b], qui a nobis ibidem ordinati sunt, ab eo exinde proiecti sunt; et alios ex eis in vinculis detinet. At vero de civitatibus Imulense seu Bononiense ita profanizat dicens: quod vestra excellentia ipsas civitates minime beato Petro et nobis concessit[c]; sed sibi ipse archiepiscopus a vobis fuisse concessas ac traditas asserit, sub sua potestate permanendas. Unde nullum hominem ex eisdem civitatibus ad nos venire permisit, sed ipse ibidem actores, quos voluit, sine nostra auctoritate ordinavit et in sua eos detinet potestate. Et non tibi placeat, excellentissimae fili, ut tanto despectui hanc apostolicam habeat fidem, non reputans de sua promissione, quam beato Petro et eius vicariis iureiurando adibuit; sed sicut transgressor mandatorum Dei in periurii reatus incidit. Etenim nos firmiter credimus et magnam habemus fiduciam[d], quod omnia, quae beato Petro per vestram donationem offerenda promisistis, adinplere pro magna regni vestri stabilitate et aeterna vobis conferenda retributione studeatis.

a. ac *erasum est.* b. hi *erasum est in cod.* c. concesset *c.* d. fiducinam *c.*

56. *Hadrianus I papa Carolo regi scribit, nuntios eius a se frustra exspectatos esse. Legatos mittit. Promissa effici cupit. De Leonis archiepiscopi Ravennatis iniuriis exponit*[a].

(Cod. 51, Cen. 54)

Domino excellentissimo filio Carolo regi Francorum et Langobardorum atque patricio Romanorum Hadrianus papa. 775 (Nov.)

Dum in tanta securitatis laetitia spiritalis mater vestra sancta Dei catholica et apostolica Romana ecclaesia consistens exultat, ob hoc opinatissima nominis vestri memoria in universo orbe terrarum dilatata atque laudabiliter permanet divulgata etiam et apostolica aula; et ob vestrorum veniam delictorum sedule a nobis et cunctis Dei sacerdotibus orationum vota et sacrificiorum hostiae divinae offeruntur maiestati.

Itaque, praecellentissime fili, recordari credimus a Deo protectam christianitatem vestram: nobis direxisse in responsis per Andream reverentissimum et sanctissimum fratrem nostrum episcopum[1], quod hoc autumno tempore vestros ad nostri praesentiam studuissetis dirigendum missos, qui nobis omnia secundum vestram promissionem contradere deberent[2].

Et expectabiles fuimus usque hactenus per totum Septembrium etiam et Octobrium et praesentem Novembrium mensem, Nov.
ipsos vestros suscipiendum missos et de vestra sospitate per eos agnoscere. Et dum minime ad nos advenissent[3], direximus nostras apostolicas literas[b] usque Papiam ad iudices illos, quos ibidem constituere visi estis, ut nobis significare deberent de

a. *ex cod. f.* 56 – 57. *Lemma:* Item exemplar epistolae eiusdem papae ad domnum regem Carolum directa, in qua continentur gratiarum actiones pro exaltatione sanctae Dei ecclesiae; et de missis domni regis, qui autumno tempore Roma venire debuerunt. b. siteras *c.*

1. Praenestinum. V. ep. 54 supra p. 180. 2. Antequam Andreas episcopus Praenestinus ad Carolum pervenit, rex se ipsum m. Octobri (775) in Italiam venturum esse scripserat. V. ep. 53 supra p. 177: „quod, accedente proximo mense Octobrio, dum in partibus Italiae adveneritis, omnia, quae beato Petro et nobis polliciti estis, ad effectum perducere maturatae“. 3. Cf. ep. 55 supra p. 182: „quod expectabiles usque hactenus (Oct. 27) fuimus vestros suscipiendum missos; sed nondum ad nos pervenerunt“.

775 (Nov.) adventu eorumdem vestrorum missuum. Qui ita nobis direxerunt in responsis: nequaquam ad nos vestri nunc esse profecturi missi[1]. Unde[a] magnum desiderium in nostro imminet cordae, et interna mentis nostrae viscera in vestro ardentius fervescunt amore.

Idcirco, cupientes de vestra prosperitate certos laetosque effici, magnopere studuimus praesentes nostros missos, scilicet antefatum Andream sanctissimum fratrem nostrum episcopum et Pardum Deo amabilem dilectum filium nostrum egumenum[2], ad vestra regalia transmitti vestigia; visitantes et salutantes per eos tam praecellentissimam christianitatem vestram quamque excellentissimam filiam nostram amantissimam coniugem vestram a Deo inlustratam reginam[3] et dulcissimos ac nobilissimos natos vestros. Predictis siquidem nostris missis cuncta in ore subtilius posuimus; eosque diligenter informavimus, quae de singulis causis vestrae a Deo protectae excellentiae nostra vice enarrare debeant. Eosque benignae atque hilari vultu a vobis suscipi petimus; eorumque sermonibus, quos nostra vice protulerint, credere et aurem benignitatis vestrae adcommodare; cunctaque perficere et adimplere dignemini, quae sanctae memoriae genitor vester domnus Pippinus rex beato Petro una vobiscum pollicitus et postmodum tu ipse, a Deo institutae magnae rex, dum ad limina apostolorum profectus es, ea ipsa spopondens confirmasti eidemque Dei apostolo praesentaliter manibus tuis eandem offeruisti promissionem.

Nos enim magnam fiduciam habemus in vestri cordis firma constantia, et certi sumus omnino de benigno mentis vestre proposito. Unde et copiosum a vobis suscipi prestolamus fructum; ut, sicut caepisti, bonum opus perficias; tuisque temporibus sancta Dei ecclesia multo amplius exaltata permaneat; quatenus omnipotens Dominus, intercedente beato Petro principe aposto-

a. Undum c.

1. Ex quo perspicuum est, mense Novembri (775) iam Papiae fuisse Caroli legatos; et Possessorem quidem Rabigaudumque, de quibus v. epp. 57, 58, 59 infra. 2. abbatem; de quo v. ep. 53 supra p. 177. 3. Hildigardam.

lorum dignam vobis remunerationem tribuat et in celestibus regnis cum sanctis et electis post huius vitae longevitatem perenniter exaltandum vos recipiat. Per te enim, bone victoriosissime rex, praefata sancta universalis Dei ecclesia de inimicorum inpugnationibus erepta magno, ut dictum est, triumphat gaudio; et orthodoxa christianorum fides vestro praesidio in pristino venerationis statu permanet inmutilata. 775 (Nov.)

Pro quo obnixe quaesumus[a], ut de vestra prosperitate nos quantotius certos reddere iubeatis; quia vestra salus nostra est securitas, et vestra laetitia nostrum esse comprobatur gaudium. Unde, firmi in vestro amore et dilectionis caritate permanentes, incessanter divinam deprecamur clementiam, ut sua vos gratia multipliciter tueatur; tribuens praecellentiae vestrae atque excellentissime filiae nostrae reginae et amantissimis natis vestris longeva ac prospera tempora regni gubernacula possidenda. Vestrisque vestigiis cunctas barbaras nationes prosternat, dilatans multipliciter terminos regni vestri; etiam et celestis regni gaudiis vos faciat esse participes.

Incolumem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

EMBOLUM DE PROTERVIA LEONIS ARCHIEPISCOPI.

Et hoc[b] vestrae a Deo protectae excellentiae innotescimus: eo quod, postquam a vobis reversus est Leo archiepiscopus[1], in nimiam superbiam elevatus, nullo modo nostris praeceptionibus sicut antea oboedire voluit. Sed brachio fortae usque hactenus in sua potestate detinere videtur Imulas atque Bononias; dicens, quod easdem civitates nullo modo beato Petro neque nobis concessistis nisi tantummodo eidem Leoni archiepiscopo. Unde[c] dirigentes ibidem nostrum missum[d], id est[e] Gregorium saccellarium, qui iudices earundem civitatum ad nos deferre deberet et sacramenta in fide beati Petri et nostra atque excellentiae vestrae a cuncto earum populo susciperet; sed nequaquam idem archiepiscopus eundem nostrum saccellarium illuc ire permisit.

a. q̄s *c.* b. ho *c.* c. Un *c.* d. misum *c.* e. est *om. c.*

1. Ravennas.

775 (Nov.) Nam et Dominicum, quem nobis in ecclesia beati Petri tradidistis atque commendastis, comitem constituimus in quandam brevissimam civitatem Gabellensem, praeceptum eiusdem civitatis illi tribuentes. Minime illum permisit ipsum actum agere; sed, dirigens exercitum, vinctum eum Ravennam deduxit et sub custodia habuit. Nam et de aliis civitatibus Emiliae, id est Faventias ducatus Ferrariae Comiaclo Forolivi[a] Forumpopuli[b] Césinas et Bobio seu Tribunatum decimo, nullum hominem exinde ad nos pro suscipiendis praeceptis actionum advenire permisit. Nam illi omnes parati erant ad nos coniungere.

De reliquis vero civitatibus utrarumque Pentapoleos, ab Arimino usque Eguvium, omnes more solito ad nostri advenerunt praesentiam et praecepta actionum[c] de ipsis civitatibus a nobis susceperunt, et in nostro servitio atque oboedientia fideliter cuncti permanent; nisi solummodo ipse archiepiscopus in sua ferocitatis[d] superbia existit.

Sed petimus te coram Deo vivo, praecellentissime fili, ut nullo modo hoc tibi placeat, ut ea, quae sanctae memoriae genitor tuus et tu ipse beato Petro concessistis atque offeruistis, quod absit, temporibus vestris abstollantur et ecclesia beati Petri per malignos homines, qui iniqua inmittunt, humilietur; sed magis semper per vos exaltata permaneat.

---

57. *Hadrianus I papa Carolo regi queritur, Possessorem et Rabigaudum legatos eius non Romam sed Spoletium adiisse ad Hildibrandum ducem indeque Beneventum se contulisse. Promissi ducatus Spoletini eum admonet*[e].

(Cod. 58, Cen. 56)

775 ex. Domno excellentissimo filio Carolo regi Francorum et Langobardorum atque patricio Romanorum Hadrianus papa.

a. nroroliui *c.* b. rorumpopuli *c.* c. actionem *c.* d. ferotitatis *c.*
e. *ex cod. f.* 61*v* – 62*v*. *Lemma:* Item exemplar epistolae eiusdem papae ad domnum Carolum regem directa pro exaltatione sanctae Dei ecclesiae, et de Possessore et Rabigaudo; ipsum apostolicum despicientes Spoleto ad Hildibrandum ducem perrexerant et inde Benevento pervenerant.

Omnino confidimus et certi sumus: quod tua a Domino protecta excellentia in his, quae pariter loquentes inter nos convenerunt, firmiter atque inmutabiliter permanere studeat et caritatis vinculum in medio nostrum corroboratum toto mentis adnisu atque sincero[a] affectu observare procuret; dum nos, Deo propicio in ea ipsa abita in invicem dileccionis concordia cum magna sinceritate mentis satagimus perseverandum. Quia, Deo teste dicimus, a quo cum vestram mellifluam christianitatem in alterno amicitiae[b] amore colligati sumus, maximam in tua a Deo inspirata benignitate[c] habere videmus fiduciam, quod omnes causas sanctae Dei ecclesiae et provinciae nostrae salubri mancipentur effectu. 775 ex.

At vero, excellentissimae et a Deo servate fili bone et optime rex, tuae per huius nostrae apostolicae relationis seriem deducimus notioni: eo quod, dum ad nos pervenisset de fidelissimi[d] vestri missi adventu[1], scilicet Possessorem sanctissimum fratrem nostrum episcopum seu Rabigaudum religiosum abbatem, in magno gaudio noster elevatus est animus. Quoniam desiderabilis[e] sum adsidue, missos excellentiae vestrae solite cum magno gaudio et decenti honore suscipere, et per eos de vestrae sublimitatis sospitate certos esse. Unde nos ilico, secundum qualiter missis vestrae regalis potentiae decet, omnem praeparationem seu et caballos in obviam eorum dereximus.

Illi nempe, dum Perusiam[f] coniunxissent — relaxsantes recto itinere ad nos coniungendum[2], secundum qualiter a vestro a Deo protecto culmine directi fuerunt et ut vestros honorandos apices relegentes invenimus — nos despicientes, apud Hildibrandum[3] in Spoletium perrexerunt; dirigentes nobis per nostros

a. sencero c. b. amitiae c. c. benignimitate c. d. fidelissim c. e. desiderabiles c. f. pusiam c.

1. Legatos Caroli cum mense Novembri 775 iam Papiae fuisse sciamus (v. ep. 56 supra p. 186), eorum ad Spoletium Beneventum Romam accessus (de quo et haec epistola agit et epp. 58 et 59 infra) ad spatium mensium Novembris et Decembris a. 775 admodum convenit. 2. Hinc intelligimus, quo animo iudices Papienses paullo ante papae responderint: „nequaquam ad nos (Hadrianum) vestri (Caroli) nunc esse profecturi missi“. V. ep. 56 supra p. 186 3. ducem Spoletinum.

775 ex. missos: *eo quod tantummodo cum Hildibrandum loquimur; et deinde, ut directi sumus, una vobiscum apud domnum apostolicum coniungemus*[a].

Postmodum enim, dum cum praedictum Hildebrandum locuti fuissent et apud eum diucius morarentur, nostris apostolicis eis adiurantes dereximus syllabas: *Per Deum omnipotentem*[b] *et vitam excellentissimi filii nostri domni Caroli magni regis, ut directi estis, apud nos coniungere satagite; ut, unanimiter pertractantes*[c], *quod ad exaltationem sanctae Dei ecclesiae pertinuerit et ad laudem regni nostri praecellentissimi filii, agere studeamus. Et tunc per dispositum, ut eius praecellentiae decet missos, apud Beneventum vos proficiscere disponimus.* Sed illi, nescimus quid pertractantes, statim a[d] Spoletio in Beneventum perrexerunt, nos in magnum derelinquentes ignominium[e]; et Spoletinos ampliaverunt in protervia.

Unde valde hanc nostram perturbaverunt provinciam. Et pro hac re in magna tristitia noster reiacet animus; quia, quantum per illos expectabamus suscipere prospera nuntia de exaltatione sanctae nostrae ecclesiae — sicut et in vestris reperimus honorandos apices et nostri nobis referuerunt missi, qualiter a vestra regalitate iniunctum habuerunt — in tanta afflictione et deminoratione conati sunt.

Sed recordari te credimus, dulcissimae atque amantissime fili, qualiter nobis benignissimo vestrum ore affati estis, dum ad limina beatorum principum apostolorum Petri et Pauli properati estis[1]: quia, non aurum neque gemmas aut argentum vel litteras et homines conquirentes, tantum[f] fatigium[g] cum universo a Deo protecto vestro Francorum exercitu sustinuissetis, nisi pro iustitiis beati Petri[h] exigendis et exaltatione sanctae Dei ecclaesiae perficienda et nostram securitatem ampliare certantes.

Sed, tamquam presentaliter coram vestris mellifluis regalis optutibus assistentes, obsecrantes petimus vestram a Deo funda-

a. coniugemus *c.* b. ompotentē *c.* c. pertractes *c.* d. ad *c.* e. igninominium *c.* f. tatum *c.* g. fastigium *c.* h. Pet *c.*

1. anno 774.

tam regalem potentiam: ut de tanta et tali tribulatione, in qua nos ipsi vestri dereliquerunt missi, velociter per fidelissimos et benignissimos vestros missos nos consolari et laetificare iubeatis. Quia et ipsum Spoletinum ducatum vos praesentaliter offeruistis protectori vestro beato Petro principi apostolorum per nostram mediocritatem pro animae vestrae mercaede. Et ita obnixe quaesumus, praecellentissime fili, ut nostram depraecationem de predicta afflictione et prenominatum Spoletinum ducatum celerius effectui mancipetis[a]; quatenus dignam ex hac misericordissimo Deo nostro — intercedente beato Petro apostolorum principe, pro cuius amore et reverentia aurem in nostris petitionibus accomodare inspiratus fueris — suscipias mercedem. Quia, Deo teste dicimus, nisi vestram cupimus exultationem et laetitiam; dum, annuente Deo, magna inter nos atque insolubilis caritatis concordia corroborata est; permanentes in his, quae mutuo inter nos asserentes confirmavimus. 775 ex.

Incolomem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

---

58. *Hadrianus I papa Carolo regi significat, Hildibrandum Spoletinum Arigisum Beneventanum Rodcausum Foroiulianum Reginbaldum Clusinum duces conspiravisse, ut cum Graecis et Athalgiso Desiderii filio Romam invaderent et regnum Langobardorum restituerent. Hortatur, ut sibi quam maturrime suppetias adveniat*[b]. (Cod. 59, Cen. 57)

Domino excellentissimo filio Carolo regi Francorum et Langobardorum atque patricio Romanorum Hadrianus papa. 775 ex.

Reminiscere[c] consideramus a Deo protectam excellentiam vestram: sepius vobis innotuendum direxissemus de Hildibrandum Spoletinum ducem seu Arighisidem Beneventanum ducem

a. mantipetis *c.* b. *ex cod. f.* 62v — 63. *Lemma:* Item exemplar epistolae eiusdem papae ad domnum Carolum regem directa, in qua continetur, quod Hildibrandus et Arigis atque Rodgaus nec non et Gimbaldus duces consilium inierant, qualiter se in unum[a] conglobarent cum Grecis et Adalgis terrae marique ad dimicandum contra Romam et Italiam; et sub nimiis adiurationibus postulans adiutorium contra eos. c. Reminiscere *posteriores correxerunt in* Reminisci.

a. um *c.*

775 ex. atque Rodcausum Foroiulanum de sevissimum[a] consilium, quod erga nos atque vos gerendum non differunt.

Nunc vero dum fidelissimi vestri missi, re vera sanctissimus frater noster Possessor episcopus atque Rabigaudus religiosus abbas, a Benevento repedantes, per praedictum Hildibrandum apud nos properati sunt, nimis nos obsecrantes pro prenominati[b] Hildibrandi noxa, ut[c] ei veniam tribuissemus; adserentes, ut apud eum nostrum indiculum et obsides pro sua dubitatione (mitteremus[d]), et Hildibrandus nostris se praesentasset optutibus. Nos quippe secundum fidelissimi missi vestri dictum illuc usque Spoletio direximus[e] Stephanum nostrum fidelissimum dudum saccellarium. Qui cum eum affatus fuisset et tunc nostros ibidem destinassemus obsides, ipse nempe noster missus, cum apud eum coniunxisset, in magna eum invenit protervia. Eo quod missi Arigisi Beneventani ducis seu Rodcausi Foroiulani[1] nec non et Reginbaldi Clusinae civitatis ducum[f] in Spoletio cum praefatum reperit Hildibrandum; adibentes adversus nos perniciosum consilium: qualiter — Deo eis contrario — proximo Martio mensae adveniente[2] utrosque se in unum conglobent cum caterva Grecorum et Athalgihs Desiderii filium, et terrae marique ad dimicandum super nos irruant; cupientes hanc[g] nostram Romanam[h] invadere civitatem, et cunctas Dei ecclesias denudare, atque ciborium fautoris vestri beati Petri abstollere, vel nosmet ipsos — quod avertat divinitas — captivos deducere, nec non Langobardorum regem redintegrare[i], et vestrae regali potentiae resistere.

Ob hoc, praecellentissimae rex et dulcissime fili, peto te et tamquam praesentaliter adsistens cum divinis mysteriis coniuro coram Deo vivo et vero et eius principae apostolorum beato Petro: ut sub nimia festinatione et maxima celeritate nobis subvenias, ne pereamus[3]. Quoniam post Deum in tuis ma-

a. sevisimum *c.* b. pernominati *c.* c. uen *corr. in* ut *c.* d. mitteremus *addidi.* e. direxim *c.* f. ducem *c.* g. hac *c.* h. Romana *c.* i. reddeintegrare *c.*

1. quem ante d. 14 April. a. 776 occisum esse constat. V. Annal. Lauriss. 776, Mon. Germ. SS. I 154. 2. Mart. 776. V. supra n. 1. 3. Firmissimum argumentum est, hanc epistolam non post exeuntem annum 775

nibus nostras omnium Romanorum commisimus animas. Ne nos derelinquas aut differas solatiandum; ut dicant gentes, quae in cuncto orbe terrarum sunt: *Ubi est fiducia Romanorum, quam post Deum in regem et regnum Francorum habebant?* Et tu de omnibus, a Deo protecte dilectissime fili, ante tribunal Dei eris redditurus rationem; quoniam, ut praefati sumus, tuae dulcissimae sublimitati per Dei praeceptionem et beati Petri sanctam Dei eclesiam et nostrum Romanorum rei puplicae populum commisimus protegendum. Et ita ad limina protectoris tui beati Petri apostolorum principis properare satagitae, ut cunctos adversarios sanctae Dei ecclesiae atque nostros seu vestros regalis vestri culminis substernantur vestigiis. Et ea, quae eidem Dei apostolo vestris propriis pro animae vestrae mercaede offeruistis manibus, ad effectum perducatis; ut, fructum bonum offerens, in futuri examinis die merearis dicere: *Domine meus princeps apostolorum beate Petre, cursum consummans, fidem tibi servans*[1], *ecclesiam Dei a superna clementia tibi commendatam de manibus persequentium defendens liberavi; et adsistens immaculatus coram te, offero tibi pueros, quos mihi commisisti de manibus inimicorum eruendos, sospes atque incolomes existentes.* Tunc et, qui in presenti vita regni guberuacula[a] tenes, etiam et in futuro saeculo cum Christo regnans caelestis praemiorum gaudia adipissci merearis, audiens nimirum paternam desiderabilem vocem illam inquientis: *Venite, benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis preparatum est ab origine mundi*[2]. 775 ex.

Incolomem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

a. guburnacula c.

scriptam esse, quod in ea Hadrianus a Carolo auxilium petit contra periculum sibi instans venturo mense Martio a. 776 (v. supra p. 192 n. 2).

1. Cf. 2 Timoth. 4, 7. 2. V. Matth. 25, 34.

59. *Hadrianus I papa Caroli regis litteris, Possessori et Rabigaudo ad sese datis, gaudet, quibus cognoverit, eum Italiam adeundi consilium cepisse. Nuntios eius laudat et commendat*[a]. (Cod. 63, Cen. 58)

775 ex. Domino excellentissimo filio Carolo regi Francorum et Langobardorum atque patricio Romanorum Adrianus papa.

Dum tanta securitatis laetitia spiritalis mater vestra sancta Dei catholica et apostolica Romana ecclesia dilatata laudabiliter permanet etiam apostolica aula, ob vestrorum delictorum veniam sedule a nobis et cunctis Dei sacerdotibus orationum vota et sacrificiorum hostiae divinae proferuntur maiestati.

Itaque, precellentissime fili, coniungentes ad nos fidelissimi vestri missi[b], scilicet Possessorem sanctissimum fratrem nostrum episcopum seu Rabigaudum religiosum abbatem, detulerunt[c] nobis desiderantissimas[d] vestre sublimitatis syllabas. Quas et cum nimio amoris dulcedine acceptantes suscepimus; relegentesque et de vestra inmensa prosperitate agnoscentes, magnas omnipotenti Deo nostro referuimus laudes, qui nobis tam benignissimum ac christianissimum regem suae ecclesiae detulit defensorem.

Continebatur[e] quippe in ipsis vestris regalis seriem apicibus: quod, Domino protegente, remeante vos a Saxonia[1], mox et de presenti Italiam vel ad limina protectoris vestri beati apostolorum principis Petri ad implendis, quae ei polliciti estis, properare desideraretis[f2]. De quo audito nimis noster letatus

a. *ex cod. f.* 65—65*v*. *Lemma:* Item exemplar epistolae eiusdem papae ad domnum Carolum regem directa, in qua praedictus papa postolans, ut domnus rex revertens a Saxonia ad limina sancti Petri properasset, quemadmodum ei pollicitus fuerat. b. misi *c.* c. detulererunt *c.* d. desiderantęssimas *c.* e. contine *c.* f. desiderarę *c.*

1. Saxonicum anni 775 bellum gestum est spatio dierum 3 Aug. et 25 Oct. (v. Böhmer Regesta Karolorum p. 10). Proinde Possessor et Rabigaudus ante diem 25 Oct. 775 a Carolo dimissi sunt in Italiam. Cf. supra p. 186 n. 1. 2. Primum scripserat Carolus, se mense Octobri (775) in Italiam venturum et „omnia, quae b. Petro et Hadriano papae pollicitus sit, ad effectum perducturum esse“ (v. ep. 53 supra p. 177). Deinde, haud scio an bello Saxonico impeditus, declaravit, legatos auctumni tempore (775) missum iri, „qui Hadriano omnia secun-

est animus una cum universo nostro populo; eo quod nimis desiderabiles sumus, prominentissimum vestrum conspicere vultum. Quoniam — satisfaciat te veritas, dulcissime et amantissime fili atque a Deo institute magne rex — in eadem sponsione, quam in invicem ante sacram eiusdem Dei apostoli confessionem adnexi sumus, firmi atque incommutabiles diebus vitae nostre cum universo nostro populo permanere satagimus. Unde et caritatis vestro regali culmini nos provocat, sedule de vestra sospitate addiscere. Et cognoscat vestra conspicua excellentia: quia, si mora de vestro adventu provenerit, magna nobis inminet voluntas, ibidem in vestri obviam, ubicumque vos valuerimus coniungere, gradiendum proficiscere. 775 ex.

Inter ea notioni vestrae excellentiae deducimus de predictis vestris fidelissimis missis: quia, sicut ad nos pervenerat et vestrae regali potentiae per nostros apices intimandum direximus, dum nobis praesentati fuissent ipsi missi vestri, fideles[a] in servitio fautoris vestri beati Petri apostolorum principis et nostri atque vestri repperimus. Pro quo petimus, ut benignae eos suscipere iubeatis.

His prelibatis, divinam[b] exoramus clementiam, ut sua vos gratia multipliciter tueatur, tribuens vobis atque excellentissime filiae nostre reginae[1] et amantissimis vestris natis longeva ac prospera tempora regni gubernacula possidenda; vestrisque vestigiis cunctas barbaras nationes prosternat, dilatans multipliciter terminos regni vestri; etiam et celestis regni gaudiis vos faciat esse per infinita saecula participes.

Incolomem excellentiam vestram, domine fili, superna custodiat gratia.

a. fidelis *c.* b. divinam divinam *c.*

dum suam promissionem contradere deberent" (v. ep. 56 supra p. 185). Ad extremum significavit hac epistola, ipsis legatis ad papam data, se e Saxonia reducem in Italiam „vel" Romam „ad implendis, quae b. Petro pollicitus sit, properare desiderare". Haec tria promissa quantopere inter se cohaereant, minime obscurum est.

1. Hildigardae.

60. *Hadrianus I papa Carolo regi mittit Stephani episcopi Neapolitani de Constantini IV imperatoris obitu litteras. Raginaldum ducem Clusinum pelli ex Tuscia postulat*[a].

(Cod. 60, Cen. 55)

776 post Febr. 7 Domino excellentissimo filio Carolo regi Francorum et Langobardorum atque patricio Romanorum Hadrianus papa.

Excellentissimae et a Deo protectae christianitati vestrae per his nostris apostolicis notescimus apicibus, pervenisse ad nos, nuntiis precurrentibus: quod Constantinus[1] imperator divina evocatione de hac subtractus fuisset lucae. Sed quia certum non didiceramus, pro hac de re vestrae a Deo protectae excellentiae indicare differuimus. Nunc vero suggessit nobis sanctissimus ac reverentissimus frater noster Stephanus Neapolitanae
Febr. 7 urbis episcopus per has syllabas ea ipsa nobis intimanda[b]. Quas et septima die praesentis Februarii[c] mensis suscipientes easque peragrantes, confestim vestro regali culmini significare maturavimus; et pro magna sublimitatis vestre satisfactione eosdem affatos infra haec[d] nostra scripta vobis directa posuimus.

Inter ea et hoc vestrae precellentiae, dulcissime et amantissimae fili, petendum dirigimus de perfidum illum et seminatorem zizaniorum atque instigatorem humani generis emulum Raginaldum, dudum in castello Felicitatis castaldium, qui nunc in Clusinae civitate dux esse videtur; eo quod plurima mala per suas iniquas summissiones spiritalis matris vestrae sanctae Dei ecclesiae et nobis ingerendum non desinit. Dum omnino ea, quae beato Petro principi apostolorum a vestra excellentia pro animae vestre mercede offertae sunt, per suum iniquum argumentum abstollere anhelat, et in suo proprio servitio eos habere desiderat. Unde et per semet ipsum cum exercitu in ean-

a. *ex cod. f.* 63 – 64. *Lemma:* Item exemplar epistolae eiusdem papae ad domnum Carolum regem directa, in qua continetur de transsitu Constantini imperatoris et de Raginaldo duce Clusanae; praefatus papa postulans, ut ipsum actum domnus rex ei habere non permitteret, eo quod multa mala in castello Felicitatis indesinenter agere non desistebat. b. intimand*e* *c.* c. Frebuarii *c.* d. hanc *c.*

1. IV, qui obiit 775 Sept. 14.

dem civitatem nostram castello Felicitatis properans, eosdem castellanos abstulit. 776 post Febr. 7 Et nequaquam credimus, benignissime fili et christianissime rex, quod pro[a] predicti Raginaldi ducis exaltatione mutationem fecisset vestra a Deo corroborata regalitas una cum excellentissima filia nostra regina[1] atque dulcissimis[b] natis vestris vel cunctum a Deo institutum Francorum exercitum, nisi pro sustentatione amatricis vestre sanctae Dei ecclesiae, ut per vestro benigno certamine perenniter permanens[c] eniteat.

Idcirco poscimus et nimis subplicando insistimus vestram a Deo illustratam potentiam: ut ob amorem beati Petri apostoli nullo modo praenominatum Raginaldum ibidem Tusciae partibus esse permittatis, sed neque illum ei agendum cedatis. Et non vobis hoc durum pareat. Dilectione, quam in invicem conpagati sumus, fiducialiter hoc petendum deducimus et obtinere speramus; eo quod et sub Desiderii temporibus iurgia et scandala frequenter seminando non omittebat.

Sed, excellentissime fili, ut nos post Deum in tuum fortissimum brachium una cum universo nostro populo speramus et die noctuque pro vestrae sospitatis atque victoriis concedendum divinam exoramus clementiam[d], ita dum omnibus causis sanctae Dei ecclesiae disponere celeretis; ut sancta Dei ecclesia et nosmet ipsi tuis felicissimis temporibus permaneamus, ut, sicut temporalia vobis largivit, et caelestia tribuat possidenda.

Incolomem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

---

61. *Hadrianus I papa Carolum regem, cum se una cum regina, ut filius nuper natus baptizaretur, paschate Romae fore significasset, declinasse a proposito dolet. Monet, ut Constantini magni in ecclesiam Romanam merita aemuletur. Legatos suos commendat*[e][2]. (Cod. 49, Cen. 59)

Domino excellentissimo filio Carolo regi Francorum et Langobardorum atque patricio Romanorum Hadrianus papa. 778 Maio

a. pro quod *c.* b. dulcissimas *c.* c. pmanes *c.* d. cleclementiam *c.* e. *ex cod. f.* 54—54*v.* *Lemma:* Item exemplar epistolae Adriani papae ad

1. Hildigarda. 2. Epistolam hanc mense Maio a. 778 scriptam esse, intelligimus ex epistola sequente. Cf. infra p. 198 n. 5 et p. 201 n. 2.

778 Maio Dum nimio provocati[a] amore, aptum duximus: primitus quidem a Deo protectae excellentiae vestrae seu spiritalis filiae nostrae reginae[1], proles etiam, episcopos et presbiteros nec non et universos optimates cunctumque preclare genti vestrae Francorum populi, a Deo confortati regni vestri pertinentem, his nostris apostolicis visitare apicibus; certos de vestra ac laetos effici inpensius prosperitatis ambigentes[2] integritatem.

Igitur dum ad nos reversi fuerunt missi spiritalis matris vestrae sanctae Dei ecclesiae a vestigio a Deo protecti regni vestri, id est reverentissimus frater noster Phylippus episcopus et Megistus dilectissimus filius noster archidiaconus, retulerunt nobis de fidei caritatis vestrae constantia, quam erga beatum Petrum apostolorum principem et nostram humilitatem habere dignati estis pro vestrae animae mercede. Hoc audito, magno gaudio noster relevatus est animus; et cepimus Deo laudes referre et beato principi apostolorum Petro pro exaltatione regni vestri atque filiae nostrae reginae coniugis vestrae, prolis etiam, et pro cunctis Francis, fidelis[3] beati Petri apostoli atque vestris.

De vero illud, unde vestrae eximiaetati per iam dictos nostros missos, scilicet reverentissimum fratrem nostrum Philippum episcopum et dilectissimum nostrum Megistum archidiaconum, dignati estis nobis repromittere: ut in sanctum[b] diem pascae[4] ad limina beati apostolorum principis Petri una cum spiritale filia nostra regina Domino auxiliantae properare debuissetis, ut filium, qui nunc vobis procreatus est[5], a sacro baptisma in ulnis nostris suscipere debuissemus; sicut terra sitiens imbrem,

domnum Carolum regem directa, in qua continentur gratiarum actiones pro vita et sanitate domni regis et uxoris vel filiorum eius[a], nec non et pro exaltatione sanctae Dei ecclesiae; et postolans, ut filium suum ex sacro baptismatis fonte suscipere mereretur.

a. eĩēs c.

a. sumus *excidisse videtur*. b. scāum c.

1. Hildigardae. 2. ambientes. 3. fidelibus. 4. d. 19 Apr. a. 778. 5. Carlomannum, qui postea Pippinus vocatus est. Qui cum die 6 Iulii a. 810 obierit (Einhardi annales 810, Mon. Germ. SS. I 197) „anno aetatis suae 33“ (v. Thegani Vit. Hludowici imp. c. 5, Mon. Germ. SS. II 591), apparet eum post d. 6 Iulii a. 777 natum esse.

ita et nos exspectabiles fuimus mellifluam excellentiam vestram. 778
Et dum adpropinquasset ipsum diem sanctum pascae et nullum Apr. 19
mandatum de adventum vestrum suscaepissemus aut de missis vestris secundum placitum, quod inter nos extiterat, valde tristes effecti sumus. Sed obnixae te petimus, praecellentissimae et Maio
magnae rex: ut, secundum quomodo inter nos constitit, pro ipso sancto baptisma nostrum adimplere iubeas desiderium de eundem eximium vestrum filium; quatenus duplex Spiritus sancti gratia in medio nostrum adcrescat et gemina festivitatis laetitia nobis caelebretur.

Et hoc deprecamur vestram excellentiam, amantissime fili et preclare rex, pro Dei amore et ipsius clavigeri regni caelorum, qui solium regni patris vestri vobis largiri dignatus est: ut secundum promissionem, quam polliciti estis eidem Dei apostolo pro animae vestrae mercaede et stabilitate regni vestri, omnia nostris temporibus adimplere iubeatis; ut ecclesia Dei omnipotentis, id est beati Petri apostoli cui claves regni caelorum ab omnium opificae facinorum nexus solvendi simulque ligandi attributa est facultas, in omnibus amplius quam amplius sancta Dei ecclesia exaltata permaneat; et omnia secundum vestram pollicitationem adinpleantur. Et tunc vobis in caelestibus arcibus adscribitur merces, et bona oppinio in universo mundo. Et sicut temporibus beati Silvestri Romani pontificis a sanctae recordationis piissimo Constantino magno imperatore per eius largitatem sancta Dei catholica et apostolica Romana ecclesia elevata atque exaltata est, et potestatem in his Hesperiae partibus largiri dignatus; ita et in his vestris felicissimis temporibus atque nostris sancta Dei ecclesia, id est beati Petri apostoli, germinet atque exultet et amplius quam amplius exaltata permaneat; ut omnes gentes, quae hec audierint, edicere valeant: *Domine, salvum fac regem, et exaudi nos in die, in qua invocaverimus te*[1]; *quia ecce novus christianissimus Dei Constantinus imperator his temporibus surrexit, per quem omnia Deus*

1. Ps. 19, 10.

778 Maio *sanctae suae ecclesiae beati apostolorum principis Petri largiri dignatus est.*

Sed et cuncta alia, quae per diversos imperatores patricios etiam et alios Deum timentes pro eorum anime mercedae et venia delictorum in partibus Tusciae, Spoletio seu Benevento atque Corsica simul et Savinensae patrimonio, beato Petro apostolo sanctaeque Dei[a] et apostolicae Romanae ecclesiae concessa sunt et per nefandam gentem Langobardorum per annorum spatia abstulta atque ablata sunt, vestris temporibus restituantur. Unde et plures donationes in sacro nostro scrinio Lateranensae reconditas habemus. Tamen et pro satisfactione christianissimi regni vestri per iam fatos viros ad demonstrandum eas vobis direximus. Et pro hoc petimus eximiam praecellentiam vestram, ut in integro ipsa patrimonia beato Petro et nobis restituere iubeatis. Et dum omnia per vestrum congruum dispositum sancta Dei ecclesia effectum susceperit, ipse princeps apostolorum beatus Petrus ante tribunal[b] omnipotentis clementiam pro vestra sospitate atque longevitate et exaltatione a Deo confortati regni vestri deprecetur maiestatem.

Opere enim direximus apud vestram eximiam praecellentiam[c], id est reverentissimum et sanctissimum fratrem nostrum Philippum et Andream[1] episcopos seu Theodorum ducem nostrum. Quibus et in ore posuimus, ut vestrae a Deo protectae excellentiae minutius enarrare debeant. Quibus et eis in omnibus credere debeatis, et solite benignae eos suscipere iubeatis pro amore fautoris vestri beati Petri apostoli; ut, dum ad nos reversi fuerint cum effectu causae, ante confessionem ipsius Dei apostoli cum omnibus episcopis et sacerdotibus atque cuncto clero senatu et universo nostro populo pro vestra sospitate atque longevitate et exaltatione regni vestri Domino fundere valeamus praeces; ut aevis temporibus eximietatem vestram conservare dignetur ad exaltationem spiritalis matris vestrae sanctae

a. *sequitur* aposlicae. b. antribunal *c. pro* ante tribunal. c. missos nostros *excidisse videtur.*

1. ep. Praenestinum.

Dei Romanae ecclesiae; et sicut terrena gaudia largitus est, ita et celestia tribuat sempiterna. 778 Maio

Incolomen excellentiam vestram gratia superna custodiat.

---

62. *Hadrianus I papa Carolo regi, irruptionem regno imminere ab Agarenis nuntianti, victoriam precatur. Legatos suos commendat. Beneventanos deterreri cupit, ne civitates Campanas ex b. Petri ditione sub potestatem patricii Siciliae redigant*[a]. (Cod. 73, Cen. 60)

Destinavit nobis per vestros apices a Deo constituta regalis potentia, quia — Deo sibi contrario — Agarenorum gens cupiunt ad debellandum vestris introire finibus[1]. Hoc vero cognito, in magna exinde tribulatione atque afflictione positi sumus. Sed nequaquam dominus Deus noster talia fieri permittat nec beatus apostolorum Petrus princeps. Nos vero, dulcissime fili et magne rex, incessanter pro vobis cum omnibus nostris sacerdotibus atque religiosis monachis et cunctum clerum vel universum populum nostrum domini Dei nostri deprecamus clementiam: ut ipsam necdicendam Agarenorum gentem vobis subiciat et vestri eam substernat pedibus, et minime prevalere adversus vos valeant. Quia, sicut populus Pharaonis demersus est in mari rubro, eo quod non crediderint Deo, ita et in hac vice dominus Deus noster per intercessiones beati Petri apostoli in vestris eos tradat manibus. Confortamini autem et estote robusti; quia Dominus omnipotens confidentes in eum[b] vestri regni dabit victoriam de inimicis vestris atque nostris. Et sicut indesinenter die noctuque ante confessionem eiusdem Dei apostoli Domini deprecamus maiestatem, ut vestrum dilatet regnum, ita nos faciat de vestra sospitate et exaltatione regni vestri semper in Domino exultare. 778 Maio

In quibus et ante aliquantos dies istius Maii mensis, quod vestros suscepissemus apices, direximus[2] apud vestram a Deo

a. *ex cod. f. 72 — 73. Sine lemmate.* b. *hic quaedam excidisse videntur.*

1. Carolum, cum haec (circiter mense Aprili) pontifici significaret, in eo iam fuisse, ut in Hispaniam ingrederetur, facile cognitu est ex conclusione huius epistolae. 2. V. ep. 61 supra p. 197.

778 Maio protectam excellentiam[a] Andream[1] et Philippum sanctissimos episcopos atque Theodorum eminentissimum nostrum nepotem pro salutatione[b] atque visitationis causa, et prosperitatis vestrae letitiam[c] agnoscere. Et hoc petimus te, amantissime fili, ut pro amore fautoris vestri beati apostolorum principis Petri benigne eos solite suscipere iubeatis; ut cum gaudio et effectu causae et exaltatione sanctae Dei Romane ecclesiae ad nos remeandum celeriter eos absolvere dignemini; ut ipse princeps apostolorum pro vobis intercedat ante domini Dei nostri maiestatem, ut amplius vestrum dilatet regnum et victorias tribuat; nosque, vel si peccatores, ante confessionem ipsius Dei apostoli fundere valeamus preces.

Et hoc agnoscat a Deo protecta precellentia vestra: quia, aliquantas civitates nostras Campaniae operantes, emuli vestri atque nostri nefandissimi Beneventani ipsum nostrum populum suadent atque subtrahere a nostra dicione decertant una cum habitatores castri Caietani seu Terracinensium; obligantes se validis sacramentis cum ipso patritii Siciliae, qui in predicto castro Caietano residet. Et decertant a potestate et dicione beati Petri et nostra eosdem Campaninos esurpare et patricio Siciliae subiugare. Nos vero, dum hoc ipsud agnovissemus, vicibus atque vicibus admonendum et predicandum per nostris episcopis et fideles beati Petri eis dreximus — cupientes eosdem Campaninos salvos habere, aut aliqua malitia eis minime eveniret —: ut nostri presentia coniungere debuissent aut per unam quamque civitatem primatos quinque apud vestra a Deo fundata precellentia destinare debuissent. Sed neque ad vestri presentiam eos dirigere valuimus, nec ad nostris obtutibus coniungere noluerunt. Tamen et reverentissimum fratrem nostrum Philippum seu Pascalem nostrum nepotem eis direximus: ut nostris se presentarent obtutibus aut apud vestra regali potentia coniungendum properare debuissent. Nec tunc nostris ammonitionibus se accommodare voluerunt. Dum vero eorum nequi-

a. excel excellentiā *c*. b. salutione *c*. c. detitiam *c*.

1. ep. Praenestinum.

tiae praevalere minime potuimus, disposuimus cum Dei virtute atque auxilio una cum vestra potentia generalem nostrum exercitum illuc dirigere, qui eos constringere debeant et inimici[a] beati Petri atque nostri seu vestri emendare. 778 Maio

Sed petimus te, amantissime fili, coram Deo vivo: ut nefandissimos et Deo odibiles Beneventanos per vestra scripta atque fidelissimum vestrum missum praetestandum dirigere iubeatis, ut a tale iniqua operatione resipiscere debeant et in nostris Camponinos talia inmittere. Quia nos per nullum tenorem ipsos nefandissimos Beneventanos aut eorum missis recipere volumus, sed nec ad consecrationem episcoporum[b] suscipere; dum contrarii beati Petri atque nostri et vestri effecti sunt.

Inter ea petimus te, magnae rex et dulcissime fili: ut, sicut vobis poscendum per Andream et Philippum sanctissimis episcopis nostris seu Theodorum eminentissimum nostrum nepotem direximus, ita in omnibus nostram postolationem adimplere iubeatis; ut angelus Dei omnipotentis vos praecedat, et faciat vestra praecellentia triumfans atque cum magnis victoriis et exaltationem ad proprii regni vestri culmen una cum omnem Deo dilectum Francorum exercitum incolomem revertendum[1].

---

63. *Hadrianus I papa Carolo regi respondet, vota faciens, ut omnes nationes barbaras vincat. Benevolentiam eius in b. Petrum confirmat*[c]. (Cod. 62, Cen. 62)

Domino excellentissimo filio Carolo regi Francorum et Langobardorum atque patricio Romanorum Hadrianus papa. 774—780

Mellifluae et a Deo protectae tuae excellentiae, benignissimae fili, honorabiles suscepimus syllabas; quas et cum nimio amore liquido informati sumus. Sed omnipotens clemens et misericors Deus, in cuius manu cor excellentiae tuae, bone et Deo

a. inimiti *c.* b. episcorum *c.* c. *ex cod. f.* 64*v* — 65. *Lemma:* Item exemplar epistolae eiusdem papae ad domnum Carolum regem directa pro exaltatione sanctae ecclesiae, et de orationibus ipsius apostolici.

1. Vota facit papa, ut „ad proprii regni culmen" ex Hispania victor revertatur Carolus.

774—780 imitabilis fili, regitur, corroboret cor et mentem tuam, et brachium suae potentiae tibi extendat. Nos quidem die noctuque numquam desistimus, cum sacerdotes cunctoque christiano populo in confessione beati Petri principis apostolorum subpliciter exorare: ut una cum excellentissima filia nostra regina[1] et precellentissimos vestros nobilissimos proles victorem te super omnes barbaras nationes faciat; quatenus omnes, sub tuo brachio umiliati, vestigia pedum tuorum prorsus osculentur, et ecclesia Dei tua[a] a Deo instituta regali[b] potentia nimirum exaltetur. Numquam enim credimus, quod semel pollicitus es super venerabile corpus beati Petri clavigeri regni[c] caelorum[2], qualibet falsa potestas seu principatus poterit tuam firmissimam excellentiam segregare a caritate et amore, quam a cunabulis tuis beato Petro principi apostolorum habuisti. Sed in ea fide et dilectione simulque et promissione te confidimus permanere, in qua et nos firmi et stabiles, quod faciae ad faciaem polliciti sumus, Domino praesidiante et beato Petro principe apostolorum mediante, usque in finem manemus. Unde omnipotens pius et misericors Deus longo ac prospero senio una cum precellentissima filia nostra regina et nobilissimis suboles regni gubernacula faciat perfrui, et vitam aeternam vobis tribuat possidendam.

Incolomem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

---

64. *Hadrianus I papa Carolo regi rescribit, non Saracenis Romanos vendidisse mancipia, sed Langobardos Graecis. Quorum quosdam suo mandatu comprehensos navesque eorum combustas esse nuntiat. Sacerdotum suorum mores tuetur*[d].

(Cod. 65, Cen. 63)

774—780 Domino excellentissimo filio Carolo regi Francorum et Langobardorum atque patricio Romanorum Hadrianus papa.

a. tua *addidi.* b. regalis *c.* c. negni *c.* d. *ex cod. f.* 66 — 67. *Lemma:* Item exemplar eiusdem papae ad domnum Carolum regem directum, in qua continetur de venundatione mancipiorum genti pagane Saracenorum; et praedictus papa excusans Romanis numquam tale scelus perpetrasse, sed a Longobardis et Grecis eos traditos esse dicit.

1. Hildigarda. 2. anno 774.

Insignis preconii vestre a Deo fundatae regalis potentiae syllabas suscepimus. Et Deo omnipotenti gratias egimus, qui nos certos reddidit de sospitate a Deo protecti regni vestri, simul et de spiritale filia nostra regina dulcissima vestra coniuge[1], proles etiam, et pro cunctos episcopos, diversos sacerdotes, senatu et universo a Deo conservato populo Francorum. Cognitor enim scrutator corda et renum Deus noster: quia et sincere[a] sine qualibet occasione in vestra melliflua regalis potentiae permanemus caritate. Et deprecamus Dei omnipotentis[b] clementiam cum nostris episcopis sacerdotibus clerum atque senatum et universum nostrum populum: ut vobis[c] indesinenter victorias tribuat et vestrum dilatet regnum ad exaltationem spiritalis matris vestrae sanctae Dei Romane ecclesiae et salutem populi nobis a Deo commissi; quia vestra exaltatio nostra est letitia. Et semper desideramus et cupimus, quae bona sunt atque prospera, de vestro a Deo protecto regno et omnium Francorum salutaria addiscere; quia nos post Deum alii fiduciam non habemus nisi in vestro fortissimo brachio. Et sicut predecessor noster domnus Stephanus papa bonam habuit fiduciam genitori vestro sanctae recordationis[d] domno Pippino regi, ita et nos multo amplius in vestro fortissimo regno confidimus et certi permanemus. 774—780

Repperimus enim in ipsas vestras mellifluas apices pro venalitate mancipiorum, ut quasi per nostris Romanis venundati fuissent in gentem necdicendam Saracenorum. Et numquam, quod absit, in tale declinavimus scelus, aut per nostram volontatem factum fuisset. Sed in litoraria Langobardorum semper navigaverunt necdicendi Greci, et exinde emebant ipsa familia; et amicitia cum ipsis Langobardis fecerunt, et per eosdem Langobardos ipsa suscipiebant mancipia. In quibus et dereximus exinde Alloni duci, ut preparare debuisset plura[e] navigia, et comprehenderet iam dictis Grecis[f], et naves eorum incendio concremaret; sed noluit nostris obtemperare mandatis. Quia nos

a. sinceres *c.* b. *sequitur* adī *in c.* c. nobis *c.* d. recordationes *c.* e. prura *c.* f. crecis *c.*

1. Hildigarda.

774—780 nec navigia habemus nec nautas, qui eos conprehendere potuissent. Tamen in quantum valuimus, Domino proferimus teste, quia magnum exinde habuimus certamen, cupientes hoc ipsud scelus vetare; qui et naves Grecorum gentis in portu civitatis nostrae Centumcellensium comburi fecimus, et ipsos Grecos in carcere per multa tempora detinuimus. Sed a Langobardis[a], ut praefati sumus, plura familia venundata sunt, dum famis inopia eos constringebat. Qui alii ex eisdem Langobardis propria virtute in navigia Grecorum ascendebant, dum nullam habebant spem vivendi.

De autem sacerdotibus nostris quod vobis false et contra Deum et animae eorum suggerere ausi sunt, mentita est iniquitas sibi[1]. Et nulla est, Domino annuante, in nostris sacerdotibus pollutio; nec talia credere debet vestra sublimitas. Dum nos vero, Domino cooperante, per intercessiones sanctae semper virginis Mariae dominae nostrae et beati Petri apostolorum principis in vinculo caritatis atque dilectione nos adnecti dignatus est. Nunc vero quaerunt emuli nostri, qui semper zizania seminaverunt, aliquam — illis Deo contrario — inter partes malitiam seminare. Sed Domino[b] auxiliante, per intercessiones beati Petri apostoli prevalere minime habebunt, quia nos cum Domini virtute talem in vestro regali culmine habemus fiduciam. Dicit enim psalmista: *Disperdat Dominus universa labia dolosa et linguam maliloquam*[2], qui talia vobis inaudita mala suggerunt et crimina in nostris sacerdotibus ponunt.

Deus autem noster suae protectionis dextera vos conservare dignetur ad exaltationem sanctae Dei Romane ecclesiae.

Incolomem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

a. langobar *c.* b. Sedño *c.*

1. Ps. 26, 12. 2. Cf. Ps. 11, 4.

65. *Hadrianus I papa Carolum regem rogat, mandet Marcario duci Foroiuliensi, ut Mauricium episcopum Istriae, a Graecis et Istriensibus excaecatum, in episcopatum restituat*[a].

(Cod. 57, Cen. 64)

Domino excellentissimo filio Carolo regi Francorum et Langobardorum atque patricio Romanorum Hadrianus papa. 776—780

Credimus, quod iam vestrae a Deo protectae excellentiae auribus pervenisset de episcopo Mauricio Histriense: qualiter, dum eum fidelem beati Petri et nostrum cognovissent nefandissimi Greci, qui ibidem in praedicto territorio residebant Histriense — et dum per vestram excellentiam dispositus fuit praenominatus Mauricius episcopus, ut pensiones beati Petri, qui in superius nominato territorio reiacebant, exigeret et eas nobis dirigere debuisset — zelo ducti tam predicti Greci quamque de ipsis Histriensibus eius oculos eruerunt; proponentes ei, ut quasi ipsum territorium Histriense vestrae sublimi excellentiae tradere debuisset.

Propterea petimus a Deo protectam excellentiam vestram, amantissime fili et magne rex, ut iubeas dirigere Marcario duci praecipiendum, ut iam fatum Mauricium episcopum, qui in visione vestrae excellentiae praesentatus est, ut eum in suo episcopio reverti faciatis pro vestrae animae mercede; eo quod ipse iam dictus episcopus ad nos properavit, et nos eum iterum dreximus ad Marcario duce Foroiuliense[1], ut, qualiter a vobis fuerit dispositus, ita peragere debeat. Et hoc petimus excellentiam vestram: ut per vestrum congruum dispositum ipse adpraehendatur, prout salus populi, qui ibidem commoratur, proveniat.

Incolomem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

a. *ex cod. f.* 61—61*v*. *Lemma:* Item exemplar epistolae eiusdem papae ad domnum Carolum regem directa, in qua conti(netur) de Mauricio episcopo, quod Histrienses ei oculos eruissent.

1. de Rodcauso duce Foroiuliensi anno 776 necato v. supra p. 192 n. 1.

66. *Hadrianus I papa Carolo regi nuntiat, Terracinam a Neapolitanis et Graecis invasam esse. Uulfuinum mitti cupit, ut Terracinam, Caietam, Neapolim recuperet. De sua cum Neapolitanis pactione, de Arighiso duce Beneventano, de Athalgiso Desiderii filio*[a]. (Cod. 64, Cen. 65)

779—780 Domino excellentissimo filio Carolo regi Francorum et Langobardorum atque patricio Romanorum Hadrianus papa.

Nullum plus credimus victoriosissimae regalis excellentiae vestre uti presidium, quam[b] erga beatum Petrum apostolorum principem et pro eius sanctae aecclesiae exaltatione, sicut coepistis, usque in finem decertari[c].

Quatenus[1] salutantes triumphatorissime erga vos benivolentiae vestrae, per hos nostros affatus enucleatius vobis de partibus istis insinuamus: qualiter nefandissimi Neapolitani una cum Deo odibiles Grecos, praebente maligno consilio Arighis duce Beneventano, subito venientes, Terracinensem civitatem, quam in servitio beati Petri apostolorum principis et vestro atque nostro antea subiugavimus[2], nunc autem in valido consilio iterum ipsi iam fati nefandissimi Neapolitani cum perversis Grecis invasi sunt. Nos quidem sine vestro consilio nullatenus ibidem dirigere voluimus. Sed poscimus vestram a Deo promotam regalem excellentiam: ut, sicut solita est, pro amore beati Petri clavigeri regni caelorum disponere debeat, et celeriter nobis Uulfuinum dirigere, ut hic apud nos Kal. Augustas paratus esse festinet. Atque talem eidem mandationem facere iubeatis: ut cum omnes Tuscanos seu Spoletinos atque cum ipsos nefandis-

a. *ex cod. f.* 65v — 66. *Lemma:* Item exemplar epistolae eiusdem papae ad domnum Carolum regem directae, in qua continetur, quod Neapolitani cum Grecis civitatem Terracinensem invasissent. b. quod quam *c.* c. *sic.*

1. Quapropter. 2. post m. Maium a. 778. V. ep. 62 supra p. 202: „nefandissimi Beneventani ipsum nostrum populum (Campaniae) subtrahere a nostra dicione decertant una cum habitatores castri Caietani seu Terracinensium; obligantes se cum ipso patritii Siciliae, qui in praedicto castro Caietano residet .... disposuimus — generalem nostrum exercitum illuc dirigere, qui eos constringere debeant“.

simos Beneventanos in servitio vestro pariterque nostro ad recolligendum ipsam civitatem Terracinensem eveniant, simulque Domino annuente ad expugnandum Caietam seu Neapolim, nostrum recolligentes patrimonium quod ibidem in territorio Neapolitano ponitur, occurrant; ut, eos in omnibus subiugantes, sub vestra atque nostra sint dicione. 779—780

Placitum quidem cum ipsi fallaces Neapolitani per missum eorum nomine Petrum in istum sanctum paschae[1] habuimus — patrimonium nos beati Petri apostoli, quod ibidem in Neapoli ponitur, exquirentes, et in vestro servitio eos subiugare desiderantes —: ut, quindecim obsides ex nobilissimis eorum filiis nobis dantes, ipsam civitatem Terracinensem illi colligerent; sub ea videlicet ratione, ut issent ad patricium eorum in Sicilia et, si nostrum patrimonium reddere voluissent, ipsam civitatem et obsides reciperent. Sed nos sine vestro consilio neque obsides neque ipsam civitatem reddere habuimus; eo quod pro vestro servitio ipsos obsides apprehendere cupiebamus. Quia eorum malignum consilium aliud non est, nisi una cum infidelissimo Arigihs duce Beneventano tractantes[a]. Et cotidie missos nefandissimi patricii Siciliae ipso Arighis suscipiente, impedimentum iam fatus Arighis solus fecit, ut minime nos obsides a iam dictis Neapolitanis reciperemus. Quia cotidie ad istam perditionem filium[2] nefandissimi Desiderii dudum necdicendi regi Langobardorum expectat, ut una cum ipsum pro vobis nos expugnent.

Sed hoc petimus vestram a Deo promotam excellentiam: ut nulla qualisvis persona vobis pro hoc impedire valeat pro amore beati Petri et nostro. Quia nullo modo potest nos eos sinenter[b] vobiscum pariter ab illis deridamur; quia nostra virtus atque gloria una cum beato Petro apostolorum principe vos estis. Nos quidem pro nihilo deputamus ipsam civitatem Terracinensem; sed ut non per illum vitium incurrat, et infideles Beneventani, sicut desiderant, locum invenientes, a vestra subtrahantur fide. Idcirco ista vobis insinuantes dirigimus,

a. tra̦ctantes *c.* b. *sic.*

1. aut d. 11 Apr. 779 aut d. 26 Mart. 780. 2. Athalgisum.

779—780 ut — per vestrum adminiculum, sicut fati sumus, ecclesia protectoris vestri beati Petri apostoli exaltata — laus[a] vestra atque victoria in universo mundo sonetur; et in perpetuum una cum excellentissima[b] filia nostra regina[1] atque precellentissimis vestris suboles cum sanctis omnibus regnare mereamini.

Incolomem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

---

67. *Hadrianus I papa Carolum regem rogat, mittat, qui idoneas ad ecclesiam b. Petri reficiendam trabes ex partibus Spoletinis advehat. Corpus S. Candidi nuntiat Addoni diacono, nuntio eius, concessum esse. De Neapolitanorum cum Graecis et Beneventanis collusione*[c]. (Cod. 61, Cen. 66)

779—780 Domino excellentissimo filio Carolo regi Francorum et Langobardorum atque patricio Romanorum Hadrianus[d] papa.

Directus a vestigia regalis excellentiae vestrae Addo Deo amabilis diaconus, noster vesterque fidelis, multa nobis consueta, quae erga nos et beatum Petrum apostolorum principem geritis, referuit. Quatenus omnipotente Deo et eiusdem apostolo gratias egimus[e], indesinenter orantes pro vestra sospitate atque ampliata victoria.

Porro, dilectissimae atque excellentissime fili, sicut direxistis nobis nostrae petitioni adimpleri pro trabes ad restaurationem sanctae ecclesiae[2], poscimus vestra a Deo promota excellentia: ut Kal. Augustus hic ad limina beati Petri fautoris vestri, si fieri potest, parate esse inveniantur, ut exinde sempiterna memoria vestra et hic et in futuro permaneat.

a. lau *c.* b. excellentisasima *c.* c. *ex cod. f.* 64—64*v*. *Lemma:* Item exemplar epistolae eiusdem papae ad domnum Carolum regem directa, in qua continetur de camerado vel trabes seu lignamen, quod necesse erat ad ipsam ecclesiam sancti[a] Petri faciendum, et de corpore sancto quod Fulratus petiit. d. Hadrinus *c.* e. egmus *c.*

a. sēe *c.*

1. Hildigarda. 2. Hadriani vita (Lib. pontif. ed. Vignolius II p. 212) „in — basilica b. Petri apostolorum principis, dum per olitana tempora vetustissimas trabes — cerneret isdem pontifex, mittens Ianuarium vestararium suum — mutavit ibidem trabes numero 14, atque totum eiusdem basilicae tectum et porticus a noviter restauravit".

De camarado[1] autem, quod est ypochartosin[2] ad renovandum[a][3] in basilica beati Petri apostoli nutritori vestro, prius nobis unum dirigite magistrum, qui considerare debeat ipsum lignamen[4], quod ibidem necesse fuerit, ut, sicut antiquitus fuit, ita valeat renovari. Et tunc per vestram regalem praecellentiam iussionem dirigatur ipse magister in partibus Spoletii, et demandationem ibidem de ipso faciat lignamen, quod in predicto ypochartosin, hoc est camarado, necesse fuerit. Quia in nostris finibus tale lignamen minime reperitur. Et pro hoc[5] sanctissimus frater noster Wilcharius archiepiscopus[6] nunc minime fatigetur venire, dum ipsum lignamen per semet ipsum siccetur; quia, dum viride est, non audemus exinde opera qualecumque facere. 779—780

Praefatus autem Addo Deo amabilis diaconus olim, dum cum fratri nostro Fulrado Deo amabili religioso abbate[7] et presbitero hic venisset, petiit nos, ut ei corpus sanctum tribuissemus. Sed nos, sicut iam dudum vobis dreximus, per revelationem territi, ullo modo audebimus ex ipsa sanctorum corpora amplius exagitare. Sed si vestra voluntas fuerit corpus beati Candidi marthyris, quod apud Wilcharium fratrem nostrum archiepiscopum reiacet, si mutatum non est — sed ipsum est, quod sanctae recordationis predecessor noster domnus Paulus papa concesserat dudum Aciulfo presbitero — una vobiscum ipsum illi concedimus sanctum corpus. Quia per concilium et fide dignas personas testimonium reddentes eius locum atque ecclesiam repperimus, unde iam fato domno Paulo papa ipsum sanctum corpus apud iam dictum Aciulfum presbiterum concessum est.

De autem partibus Neapolitanis, sicut cum nefandissimi Graeci seu Beneventani consiliant, qualiter vobis insinuantes

a. renocandum *c.*

1. camaradum videtur esse parietum tegmentum lignis scalptis factum. 2. V. apud Cangium: Gloss. Graeco-Lat. ὑποχάρτωσις tectorium. 3. Hadriani vita (l. l. p. 219): „Cameram vero beati Petri apostolorum principis, in omnibus destructam atque dirutam, exemplo olitano exculpens, diversis coloribus a novo fecit". 4. materiam. 5. Et cum hoc ita sit. 6. Senonensis. 7. S. Dionysii.

779—780 per nostras apostolicas syllabas[1] dreximus, omnia minutius in ore posuimus fidelissimi vestri missi, scilicet Addoni diaconi, quod vobis enucleatius simulque per ordinem enarrare debeat; ut — sicut semper et nunc per vestram a Deo confirmatam regalem potentiam sancta ecclesia exaltata triumphat — in ampliato honore una cum spiritale filia nostra regina[2] seu precellentissima vestra[a] prole in aeterno regno fulgentes, in perpetuum cum sanctis omnibus regnare mereamini.

Incolomem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

---

68. *Hadrianus I papa Carolo regi de monasterii S. Vincentii Vulturnensis discordiis scribit, alterum abbatem Autbertum repente obiisse, alterum Pothonem et proprio iuramento et iurantibus monachis decem purgatum de perduellione esse*[b].

(Cod. 72, Cen. 78)

781 Mai. Iun. Domino excellentissimo filio nostroque spiritali compatri Carolo regi Francorum et Langobardorum ac patricio Romanorum Hadrianus papa.

Precelsas ac Deo inspiratas per reverentissimum et sanctissimum Possessorem archiepiscopum[3], fidelissimum missum vestrum, sagacissimas precipuasque syllabas suscipientes, valde in his noster relevatus est animus; regales triumphos in eis atque sospitates reperientes. Et pro hoc magnas omnipotenti Deo referuimus grates, in aula fautoris vestri beati Petri apostoli divinam exorantes clementiam. Referebatur quippe in ipsis vestris regalis apicibus, quia causa vestra nostra sit, et nostra vestra. In oc[4] vero freti existimus, quia divina inspiratione veritas haec, procul dubio a vobis exarata, prorsus omnibus manifesta ac certa splendescit.

Et quoniam[c] ad nostrum iudicium canonice simulque regulariter contentiones inter monachos venerabilis monasterii sancti

a. vestro *c.* b. *ex cod. f. 70v — 72, ubi vacuum spatium lemmati relictum est.* c. quo *c.*

1. supra ep. 66 p. 208. 2. Hildigarda. 3. quem archiepiscopum Ebredunensem fuisse putat Mabilio (Annales ord. Bened. II p. 231), nec vero rationibus rem affirmat. 4. hoc.

Vincentii[1] et abbatibus eiusdem[a] monasterii, scilicet Autbertum[2] 781
et Pothonem, discuti atque examinari vestra[b] direxit precelsa Mai. Iun.
regalis excellentia, ipse quippe prefatus Autbertus dudum abba, calle itineris peragratus, repentina morte occupatus[3], minime nostris apostolicis valuit se manifestare presentiis. Quapropter convenientes plures ex primatis monachis cum prefato Pothone abbate ipsorum, adstiterunt omnes pariter in conspectu apostolici decreti nostri.

Qui residentes una cum reverentissimo et sanctissimo Possessore archiepiscopo seu Ansoaldo abbate venerabilis monasterii sancti Petri[4], pariter Aquilino abbate de Varegio[c5] atque Raginbaldo abbate venerabilis monasterii sanctae Dei genetricis[6], simul Gisulfum abbatem venerabilis monasterii sancti Petri, Hildibrando duci[7], Taciperto et Prandulo, simulque nostris adstantibus servitiis: Theophylacto bibliothecario, Stephano saccellario[8], Campulo notario, Theodoro duci et caeteri plures.

Et dum ingressus fuisset Rodicausus eiusdem monasterii monachus, referebat adversus eundem Pothonem abbatem testimonium dicens: *Domine[d], cum[e] cursum hore sextae explessemus, et secundum consuetudinem pro regis incolomitate eiusque prolis propheticum decantaremus psalmum, videlicet: „Deus, in nomine tuo salvum me fac“[9], subito surrexit abba et psallere noluit.*

a. eidem *c.* b. aura *c.* c. deua regio *c.* d. Dne *c.* e. cum *addidi.*

1. Vulturnensis. 2. Ambrosium Autpertum, de quo v. Mabillon Acta SS. ord. S. Benedicti saec. III P. II 259 squ., Hist. liter. IV 141 et Bähr Geschichte der römischen Literatur im Karolingischen Zeitalter p. 293. 3. In Chronico Vulturnensi (ap. Duchesne Hist. Fr. SS. III 678 et ap. Muratori Rer. It. SS. I. II 365) Autbertus obiisse fertur „anno 778 ind. 2“; et ap. Mabillon Acta SS. l. l. p. 265 additum est: „die decimo nono Iulii“. Sed hoc chronicon rebus fictis plenum (v. Cuperi commentationem in Act. SS. Iul. IV 649) ne minima quidem fide dignum est de Autberti morte, quam anno 781 post d. 15 Apr. accidisse, ex hac epistola sentimus. V. infra p. 216 n. 1. 4. „forte Beneventani“ Mabillon Annales ord. Bened. II 247. 5. S. Angeli Baregiensis. 6. Farfensi, qui post m. Augustum 779 abbas factus est. V. Historiae Farfenses, Mon. Germ. SS. XI 529 n. 6. 7. Spoletino. 8. Is diversus esse videtur a „Stephano dudum saccellario“, qui comparet in ep. 58 supra p. 192 et in ep. 72 infra. 9. Ps. 53, 3.

781 Mai. Iun. Item referebat: *Quia, pariter peragrantes, coepit mihi abba dicere: „Quid tibi videtur de hac causa, quia exinde exspectavi signum videre et minime vidi?" Tunc ergo respondi: „Deus omnipotens humiliet cor ipsius, et faciat nos incolomes reverti, quia non sunt tales nostra merita, ut taliter agnoscere mereamur". Et dixit mihi abba iterum: „Quia, si non mihi fuisset pro monasterio et terra Beneventana, talem eum*[1] *habuisse sicut unum canem".* Et iterum adversus eum addidit: *Quia tantos ex Francos remansissent, quantas ego in umero vegetare valeo.*

Et dum a nobis sciscitatus fuisset prelatus Potho abba, si ita esset, cum nimia satisfaccione respondit dicens: *Quia semper congregatio nostra pro eius excellentia, simul pro ipsius prole, procul dubio in monasterio psallit. Sed dum in opera essem cum ipso et ceteris, infantes expleta oratione prostrati in terra initiantes psallere: „Deus, in nomine tuo salvum me fac", subito surrexi pro opera, quae ad utilitatem ipsius monasterii fiebat. De vero itineris collocutione nullo modo ad iniuriam eius regalis excellentiae quicquam locutus sum, nisi fatus sum: „Quod, si pro monasterii desertione seu terram illam mihi non fuisset, omnino in talem pergere habui loco, ubi a nemine curassem". Porro de Francis quod fatus est, nullo modo talia proferui, aut ex meo exivit ore; sed contagio ex omni parte mihi opponit.*

Dum a nobis interrogatus fuisset praenominatus Rodicausus, si haec alii cum eo audissent, tunc adfirmavit, quia solus esset et nullus secum alius audisset.

Tunc plures ex ipsis priores[a] monachi asserebant testimonio pro ipso Rodicauso dicentes: *Quia, in stupro captus cum propria neptę sua, ex presbitero factus monachus effectus est. Et tale crimen adversus abbatem nostrum inponere minime valebit, quia a sacris canonibus respuetur.*

Et introducti[b] sunt alii tres monachi, qui cum Hildibrando duce venerunt et cum Autberto abbate moraverunt, adserentes

a. prioes *c.* b. Et infra docti *c.* 1. Carolum regem.

adversus Pothonem abbatem: *Quia nos, cupientes apud excellentissimum regem peragrari, a custodia comprehensi sumus et in carcerem missi.* Ad haec respondit ante dictus abba: *Veritas est, quia custodes habui in ponte; non eos qui apud regem irent devetare, sed eos, qui suam regulam relinquunt et ad suum vomitum in saeculo, peccato inminente, revertunt, eos conprehendere iussi. Et tunc, quando dicunt, ibidem minime fui sed aput magnum regem iter carpebam*[a]. 781 Mai. Iun.

Tunc nos liquidius pertractantes et sacrorum canonum instituta inquirentes, repperimus in concilio Calcedonensae capitulo octavo decimo[1] confirmante ita: *Coniurationis et conspirationis crimen et ab exteris est legibus prohibitum, multo magis hoc in Dei ecclesia ne fiat, admonere conveniet*[b]*; si qui ergo clerici vel monachi reperti fuerint coniurantes aut conspirantes aut insidias ponentes episcopis aut clericis, gradu proprio penitus abiciatur.* Item capitulo vicesimo primo[2]: *Clericos aut laicos, accusantes episcopum aut clericos, passim et sine probatione ad*[c] *accusationem recipi non debere, nisi prius eorum discutiatur existimationis opinio.* Simul et in Africano concilio capitulo octavo[3] fertur: *„Preterea sunt quam plurimi non bonae conversationis, qui existimant, maiores natu vel episcopos passim vageque in accusatione pulsandos; debent tam facile admitti nec ne?“ Aurelius episcopus dixit: „Placet igitur caritati vestrae, ut is, qui aliquibus sceleribus inretitus est, vocem adversus maiorem natu non habeat accusandi?“ Ab universis episcopis dictum est: „Si criminosus est, non admittatur placet“.*

Et haec omnia considerantes; et quoniam habet hoc proprius hostis insidias, ut, quos in pravorum actuum[d] perpetratione, Deo sibi resistente, decipere non valet, opiniones eorum falsas ad presens simulando dilacerat; et quia, utrum vera essent

a. carpepam *c.* b. convenit et *c.* c. ad *om. c.* d. *sequitur lacuna quindecim fere litterarum in cod.*

1. In Dionysii Exigui collectione canonum (Codex canonum vetus ecclesiae Romanae, Lutetiae 1609) p. 129. 2. ibid. p. 130. 3. imo Carthaginiensis concilii cap. 8, ibid. p. 188.

781 Mai. Iun. an non, districta diutius per triduum fecissemus inquisitione perquiri, et nullam in ea de his, quae dicta fuerant, culpam invenissemus; sed ne quid nobis videretur obmissum aut nostro potuisset cordi dubium remanere; praefatum abbatem Pothonem sacramentum proferri decrevimus: quia nulla talia pro infidelitate regalis vestrae potentiae dixisset, sed nec aliquando eiusdem[a] magni regis infidelis fuit vel erit cunctis diebus vite suae.

Simul et alii decem primati monachi ipsius venerabilis monasterii, quinque ex genere Francorum et quinque ex genere Langobardorum, statuimus, ut preberent sacramentum: quia numquam audierunt ex ore abbatis quamlibet infidelitatem adversus vestram regalem excellentiam.

Ipsi vero petierunt, se omnes pariter ad vestram regalem venire praesentiam[1]. Nos quippe, illorum exquirentes fidem erga vestram regalem venire potentiam, sinuimus properandi; solite pro vobis in confessione beati Petri clavigeri regni caelorum non sinentes fundi preces, ut, una cum domna regina[2] vestrisque sobolis multorum annorum curriculis hic pollentes, cum sanctis omnibus sine fine regnare mereamini.

Incolomem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

[3]Paulus presbiter, Venerandus presbiter, Faroaldus, Adalbertus, Gaudiosus, Benedictus diaconus, Iosue diaconus, Hermenfridus, Raginbertus, Autcarius, Gregorius, Agemodus, David, Gaidualdus, Ariolfus, Stephanus, Garibaldus, Gregorius, Savinus, Aldosindo, Rothbertus, Ratchis, Haribertus, Leo, Martinianus, Allo, Maio, Scaptulfus, Cunualdus, Leminosus, Magnus, Ursus, Autbaldus, Aldefusus, Petrus, Ansualdus, Allo, Petrus, Gratiosus, Faroaldus, Ursus, Adualdus.

a. eidem *c.*

1. Quia omnes coenobii sodales ad Carolum adierunt, satis signi est, eundem tum in Italia fuisse. Hadriani vero papae „compater“ die 15 Aprilis 781 factus (v. initium huius epistolae), etiam die 8 m. Iunii 781 Papiae versatus est Carolus (v. diploma ap. Sickel Acta Karoli p. 39 n. 81). 2. Hildigarda. 3. Haec nomina liquet monachorum esse, qui ad Carolum regem Pothonis abbatis causa adierunt.

69. *Hadrianus I papa Carolo regi Pothonem abbatem S. Vincentii Vulturnensem, infidelitatis falso accusatum, commendat. Quem in integrum restitui cupit*[a]. (Cod. 79, Cen. 77)

Domino excellentissimo filio nostroque spiritali compatri Carolo regi Francorum et Langobardorum ac patricio Romanorum Adrianus papa. 781 Mai. Iun.

Dum tanto ex puro cordis amore omnes generaliter agnoscunt quod erga beatum apostolorum principem Petrum fautoremque vestrum et nos crebro fideliter vestra regalis potentia prorsus gerit, convenit nempe ex totis nostris precordiis, quae ad salutem preciosissimae animae vestrae pertinent, libenti suggerere animo.

Proinde salutantes paternam dilectionem, indicamus vestrae precelsae regali potentiae, quia cuncta congregatio venerabilis monasterii sancti Christi martiris Vincentii[1], unam concordiam pro hoc simul habentes, poposcentes nobis: ut nostris apicibus pro abbate[2] ipsorum, qui insons aput vos accusatus est immo et per vestram prefulgidam iussionem exinde ablatus, vestris regalis vestigiis praesentatus, eum vobis in omnibus commendari; eo quod ullo modo vestrae regali potentiae infidelitatis reum quisspiam ex acusatoribus suis facere aut comprobare valebit, eo quod omnino falsum ei crimen obicitur. Et ideo pro amore beati Petri regni caelorum clavigeri magnopere petentes fiducia-

a. *ex cod. f. 76v—77. Praecedit hanc epistolam in codice lemma ad ep. 78 spectans hoc:* Item epistola ad domnum Carolum regem directa, in qua contin(ent)ur gratiarum actiones pro exaltatione sanctae Dei ecclesiae et de terri(tori)o Savinensae, qualiter Machinarius fidelissimus eiusdem praecelsae regis ipsum territorium cum integritate partibus sancti Petri contradere voluit, sed propter iniquos adque[a] perversos homines minime potuit. *Sed huc referendum est, quod in cod. epistolae* 81 *praescriptum est, lemma hoc:* Item exemplar epistolae eiusdem papae ad domnum Carolum regem directa, in qua continetur de abbate venerabilis monasterii sancti Vincentii, qui aput domnum regem insons accusatus fuerat et inde ablatus, ut eum venusto vultu ac vibrantissimo animo clementissime susciperet; quia falsa crimina ei obbiciebantur.

a. *adques c.*

1. Vulturnensis. 2. Pothone.

781 Mai. Iun. liter quaesumus: ut eum venusto[a] vultu ac vibranti animo clementissimae recipere iubeatis. Iuste quippe est, quemadmodum tam magnam congregationem religiosis moribus suis regulariter[b] atque naviter regere valuit, a vestris praecelsis optutibus sospis absolvi, in pristino statu clementissimis iussis vestris, nobis poscentebus, restitui. Quia valde idoneum ad commissum sibi officium seu vestrae fidelitatis, sicut ab omni eius congregatione didicimus, reperi[c] agnovimus.

Deus omnipotens, in cuius manu sunt omnia regna mundi, ipse per suffragia apostolorum principis Petri semper nos faciat de vestro regali culmine letari; et in hoc mundo una cum[1] precellentissimis subolis vestris super omnes barbaras nationes dominantes, longiori[d] aevo regni gubernacula fruere valeamini atque in aetheris arcibus cum sanctis omnibus regnare mereamini.

Incolomem excellentiam vestram gratia[e] superna custodiat.

---

70. *Hadrianus I papa Carolo regi scribit, senes coram Itherio et Maginario nuntiis eius testificatos esse, patrimonium Sabinense antiquitus S. Petri fuisse. Petit, ut patrimonium sibi restituatur*[f][2]. (Cod. 56, Cen. 71)

781 Mai.-Sept. Domino excellentissimo filio[3] Carolo regi Francorum et Langobardorum atque patritio Romanorum Hadrianus papa.

Recordari vos credimus, excellentissimae et a Deo protectae fili et magne rex, quomodo disposuistis vestros prudentissimos ac fidelissimos missos: ut cum nostris pariter missis pergerent ad suscipiendum in integro patrimonium[g] nostrum Savinense[h], quod pro vestrae animae mercede et venia delictorum beato

a. venustuș c. b. regulater c. c. reperimus c. d. longiri c. e. grati c. f. *ex cod. f.* 60v – 61. *Lemma:* Item exemplar epistolae eiusdem papae ad domnum Carolum regem directa, in qua continetur de fide vel constantia ipsius apostolici erga predictum regem. g. patrimonium c. h. Ravennense c.

1. „domna regina (Hildigarda) et cum“ a librario codicis omissa esse, indicat ep. 68 supra p. 216. Facile enim cognitu est, ambas epistolas ad idem tempus pertinere. 2. Hanc epistolam spatio mensium Maii et Septembris a. 781 datam esse, intelligimus ex ep. 71 infra. 3. Cf. infra: „magne rex atque spiritalis compater“.

Petro protectori vestro concedere iussistis. Dumque vero nostri 781
vestrique illuc pergerent missi, inventi sunt ibidem fidelissimi[a] Mai.-Sept.
atque seniores testes annorum plus minus centum, qui testificantes super altare intus ecclesiam sanctae Dei[b] genetricis Mariae, in loco quidem Forobono[1], coram sancta Christi euangelia in praesentia fidelissimis ac nobilissimis vestris missis scilicet Itherium[2] et Magnarium — tantummodo vestri missi, absque praesentia nostris missis — adfirmantes dixerunt, quod et ipsi vestri missi vobis subpliciter[c], sicut testes illi iurati patefecerunt, referre possunt: quomodo antiquitus ipse beatus Petrus sanctaque nostra Romana ecclesia eundem detinuit patrimonium.

Et minime ipsum suscepimus in integro patrimonium vel nostris missis contraditus est, sicut isti testes adfirmantes, coram sancta Christi euangelia testificantes, dixerunt.

Sed petimus te, excellentissime fili et magne rex atque spiritalis compater: ut vestram adprehendere debeant dexteram et iurantes dicant ipsi vestri nobilissimi missi, quid de eundem patrimonium Savinense beati Petri praeviderunt atque cognoverunt. Testem enim invoco Deum, quia nullorum fines inrationabiliter indigeo; sed, sicut ex antiquitus fuit ipse iam fatus patrimonius et eum in integro beato Petro apostolo concessistis, ita suscipere optamus.

Quatenus[3] petimus vestram praecelsam regalem potentiam: ut pro amore eiusdem Dei apostoli atque nostro ipsos iam fatos fidelissimos missos vestros aut unum ex illis cum alia persona, quae vobis placuerit, dirigere iubeatis[4], ut ipsum patrimonium Savinensem, sicut caepistis, in integro iustitia annuente nobis contradatur. Quapropter usque in finem perseverare debeat vestra regalis potentia, sicut eundem patrimonium in integro eidem Dei apostolo pro vestrae animae mercede concessistis atque tradidistis; ut hic et in futuro a domino Deo nostro et

a. fidelissimis *c.* b. *sequitur iterum* ecclesiam *in c.* c. *an* subtiliter? V. ep. 72 infra: „missi omnia vobis subtiliter vice nostra referre possunt".

1. Foronovo. 2. abbatem S. Martini Turonensem. 3. Quapropter. 4. et litteris quidem missis ad eosdem legatos (Ittherium et Maginarium) in Italia remanentes. V. ep. 72 infra.

781 Mai.-Sept. ab ipso clavigero regni celorum retribucionem boni operis suscipere mereamini una cum excellentissima filia nostra domna regina nostraque spiritali commatre[1] et vestros nobilissimos proles; atque memoriale vestrum in ecclesia eiusdem Dei apostoli[a] opinantissime in aeternum permaneat.

Incolomem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

---

71. *Hadrianus I papa Carolo regi scribit, Petrum episcopum ordinatum a se esse. Traditionem territorii Sabinensis exspectat. Verecundi summarium concilii Chalcedonensis improbat. Leonis I de synodo Ephesia epistolam mittit*[b].

(Cod. 76, Cen. 72)

781 Mai.-Sept. Domino excellentissimo filio et nostro spiritali conpatri Carolo regi Francorum et Langobardorum ac patricio Romanorum Hadrianus papa.

Nectareas mellifluasque regalis excellentiae vestrae per harum transvectorem Petrum reverentissimum et sanctissimum fratrem, iam et coepiscopum nostrum, suscepimus syllabas. In quibus de eius ordinatione reperientes, ilico benigne voluntatis vestris mandatis, sicut soliti sumus, implevimus[2]. Quem petimus

a. apostolo *c.* b. *ex cod. f.* 74—75. *Lemma:* Item exemplar epistolae eiusdem papae ad domnum Carolum regem directa, in qua continetur de sacratione Petri episcopi seu et de territorio Sanense.

1. Hildigarda. 2. Non dubitari debet, quin hic Petrus fuerit episcopus Virdunensis. Eum enim reperimus et Italum fuisse et ab ipso Carolo rege episcopatui Virdunensi praefectum esse; ut minime sit mirum, unde Carolus Petrum ab Hadriano papa consecrari cupierit. Quo quidem anno Petrus episcopatum a Carolo acceperit, cognosci non potest aut ex Gestis episcoporum Virdunensium (Mon. Germ. SS. IV 44: „— Petrus vir Italicus. Nam cum esset exercitus Francorum circa Papiam et obsideret eam, ab isto, ut fertur, tradita est, et ob hoc a Karolo Magno de isto episcopatu honoratus est" cet.) aut ex Chronico Hugonis Flaviniacensis (ibid. VIII 381); cf. Rettberg Kirchengeschichte Deutschlands I 529 et Abel Jahrbücher des Fränkischen Reichs unter Karl dem Großen I 332 squ. Consecratio autem Petri facta est anno 781 post diem 15 Aprilis (v. supra verba haec: „nostro spiritali conpatri Carolo") et ante mensem Octobrem, cuius rei testimonio est Caroli diploma datum m. Octobri a. 781 (ap. Sickel Acta Karoli p. 40 n. 84), ubi „de Petrone episcopo Virdunensi" memoratur. Quam ob rem maxime verisimile est, Carolum, cum Papiae esset a. 781 (Maio — Iunio), Petro episcopatum contulisse.

pro amore beati Petri apostolorum principis fautoris vestri et nostra in vobis[a] firma dilectione, in omnibus eum tuentes[b] amplius illum exaltare dignemini. Sic enim decet, ut, qui ab apostolica sede ordinatus fuerit, omnibus in onore canonicae institutionis, sicuti mos antiquitus fuit, partibus illis praecellit. 781 Mai.-Sept.

Quanta enim fiducia atque gloriatio in vestra precelsa regali potentia habemus, lingua ut reor humana fari non potest. Quatenus ipse iam fatus Petrus reverentissimus et sanctissimus frater et coepiscopus noster insinuari potest, quantam amoris ferventiam cor nostrum in vestra triumphatorissima precelentia die noctuque existit.

Et dum tantam fiduciam de vestra a Deo protecta regali excellentia gerentes habemus, nimis expectabiles sumus, sicut vobis poscentes dreximus[1], de Savinense territorio: ut ea, quae pro[c] mercede animae vestrae pariterque spiritalis filiae nostrae atque commatris[2] nec non et pro vestros nobilissimos proles beato Petro apostolorum principe in integro concessistis, adimplere per fidelissimos missos[3] vestros, qui et causam ex parte examinaverunt[4], sicut et antiquitus fuit contradere nobis iubeatis; uti ab ipso regni caelorum clavigero dignam retributionem hic et in futuro recipere mereamini.

Enimvero praedictus Petrus reverentissimus et sanctissimus frater et coepiscopus noster obtulit nobis pseudopittatium a Paulino, sicut fatus est, pro Theodosio[d][5] quondam imperatore[e] dato et a vestra excellentia nobis directum; habens in supera scriptione[f] adbreviarium Calcedonensis concilii, a quodam Verecundo episcopo editum. Quem in apocryphis reperientes, falsidicus invenietur. Sancta vero catholica et apostolica spiritalis matris vestrae Romana ecclesia non breviter sed totum sanctum et venerabile quartum Calcedonense conplete[g] amplectens prorsus venerat; et non audet relinquere sanctum et venerabile eius con-

a. uib̄ *c* (*pro* uob̄). b. teuntes *c.* c. pro *om. c.* d. Theodinisio *c.* *Cf. infra.* e. imp̄ *c.* f. in suprascriptione *c.* g. conplecte *c.*

1. ep. 70 supra p. 219. 2. Hildigardae. 3. Ittherium et Maginarium. 4. V. supra p. 219. 5. II.

781 Mai.-Sept. stitutum exsequere; a quodam factum adpreviarium nullam consonantiam sanctae institutionis habentem.

Nos quidem pro tanto amore, quo erga vestram a Deo institutam regalem potentiam habemus, direximus vobis ex eodem sancto et venerabili concilio ante accionem eius exemplar epistolae[1] sancti Leonis pontificis, ad cleros et nobiles Constantinopolitanos atque populum eiusdem civitatis directae post actum iniquum et perversum in Efesena urbe secundo concilio adversus sanctum et venerabilem Flavianum eiusdem Constantinopolitanum episcopum; condemnans impiissimum Dioscorum atque prophanum Eutycem, adortans atque commonens predictum populum, ut in ea fide permaneat, in qua christianissimum principem eorum novit permanere. Talis enim almus et venerabilis vir atque in toto orbe sanctus Leo papa noster precessor opinatissimus praedicabilis fuit, ut, si aliquid in fide adversus Theodosium imperatorem scandalizatum fuisset, numquam post actum iniquum et latrociniosum secundo in Efeso factum ipse precipuus beatus pater sanctus Leo hereticos damnans laudasset fidem Theodosii; sed magis pariter[a] cum ipsis velut consentaneum[b] eum damnasset.

Nos quidem, sicut fati sumus[c], apocryfos libros non sequimur, sed eos veneramur et amplectimur, quos sancta catholica et apostolica suscepit ecclesia. In qua fundati una cum filia nostra et spiritali commatre domna regina atque vestris triumphatorissimis subolis per multorum annorum curricula perfrui dignemini, et cum sanctis omnibus praemia aeterna in vita perpetua habere valeamini.

Incolomem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

a. pater *c.* b. consantaneum *c.* c. fumus *c.*

1. d. d. 15 Oct. 449, Regesta pont. Rom. n. 222.

72. *Hadrianus I papa Carolo regi scribit, Ittherium et Maginarium nuntios eius, quominus territorium Sabinense sibi traderent, impeditos esse. Petit, ut alterutrum eorum ad rem perficiendam iterum mittat*[a]. (Cod. 68, Cen. 68)

Domino excellentissimo filio nostroque spiritali compatri Carolo regi Francorum et Langobardorum atque patricio Romanorum Hadrianus papa. 781 Mai.—782 Mart.

Ad referendum precellentissimae regalis potentiae vestre beneficiis gratias, mens humana ut reor fari non potest de tantis laboriosis certaminis, quae[b] erga fautorem vestrum beatum Petrum apostolorum principem et nos geritis; cotidie bonitas suffragia[c], quatenus ab ipso Dei apostolo dignam retributionem et hic et in futuro vestra praerectissima excellentia procul dubio credat habere.

Euntes autem apud Savinensem territorio nostros vestrosque fidelissimos missos, videlicet filius noster Ittherius venerabilis abbas[1] seu Maginarius religiosus cappellanus, sicut per vestrum bonum dispositum[2] voluerunt nobis contradere in integro iam fato Savinense territorio[3], et minime potuerunt; mittentes varias occasiones perversi et iniqui homines. Tamen et ipsi iam fati fidelissimi missi omnia vobis subtiliter vice nostra referre possunt.

Quapropter vestre a Deo protectae regali potentiae reverentissimum missum nostrum Stephanum dudum saccellarium direximus suggerendum, ut pro mercaede anime vestrae, sicut caepistis, ita in integro iam fato territorio Savinense beato Petro regni caelorum clavigero contradere iubeatis; ut, ipse Dei apo-

a. *ex cod. f.* 68—68*v. Lemma:* Item exemplar epistolae eiusdem papae ad domnum Carolum regem directa, in qua continetur de territorio Savinense, qualiter Itthereus et Maginarius missi domni regis ipsum territorium in integro partibus sancti Petri reddere voluerunt, sed propter iniquos homines minime potuerunt. b. qua *c.* c. *sic est corruptus locus.*

1. S. Martini Turonensis. 2. i. e. litteris regis acceptis. V. infra not. 3 et ep. 70 supra p. 219 n. 4. 3. V. ep. 70 supra p. 219: „petimus, ut ipsos iam fatos fidelissimos missos vestros (Ittherium et Maginarium) — dirigere iubeatis, ut ipsum patrimonium Savinensem — in integro — nobis contradatur“.

781 Mai.— 782 Mart. stolus[a] pro vestra a Deo promota regali precellentia precipuae suffragante, cum sanctis omnibus regnare mereamini. Quatenus pro eiusdem Dei apostoli amore et mercedis animae vestrae unum e duobus[b] iam fatis missis cum prefato[c] Stephano misso nostro nobis[1] dirigere iubeatis: ut, sicut ex antiquitus fuit et in veritate iam fati vestri fideles missi satisfacti[2] sunt[3], in integro nobis eum contradere precipiatis; et signa inter partes constituentes, ut sine qualibet contentione aut controversia maneamus; ut opinatissimę vestra memoria pro hoc in celestibus regnis maneat ampliata.

Incolomem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

---

73. *Hadrianus I papa Carolo regi significat, Maginarium nuntium eius ab improbis hominibus retardatum esse, quominus integrum territorium Sabinense sibi traderet*[d].

(Cod. 78, Cen. 73)

781 ex.— 783 Apr. Domino excellentissimo filio nostroque spiritali compatri

a. ut ipse dei apostolus ut ipse dei apostolus *c.* b. duebus *c.* c. prefate *c.* d. *ex cod. f.* 76—76*v. Huic epistolae perperam praepositum est lemma epistolae* 91 *hoc modo:* Item exemplar epistolae eiusdem papae ad domnum Carolum regem directa, in qua continetur de episcopiscopis vel presbiteris, ut non militarem induerent arma et spiritalem id est ieiuniis et orationibus vacarent, seu de venalitate vel captivatione hominum vel aliis inlicitis causis, que a pravis hominibus perpetrata erant, seu de visione Iohannis monachi quae falsa vel inanis esse videbatur. *Sed huc pertinet id lemma, quod legitur in cod. ante ep.* 69 *supra p.* 217: Item epistola ad domnum Carolum regem directa, in qua contin(ent)ur gratiarum actiones pro exaltatione sanctae Dei ecclesiae et de terri(tori)o Savinensae, qualiter Machinarius fidelissimus eiusdem praecelsae regis.

1. Ex quo animadverti potest, Ittherium et Maginarium una cum Stephano quondam saccellario ad regem reversos esse. Itaque, cum Ittherium et Maginarium anno 781 spatio mensium Maii et Septembris patrimonii Sabinensis causa apud Hadrianum fuisse constet ex epp. 70 et 71 supra p. 219 et 221, Itheriusque mense Aprili a. 782 Carisiagi in aula Caroli compareat teste diplomate ap. Bouquet Rec. V 747, Sickel Acta Karoli p. 42 n. 90, nemo neget intervallo mensis Maii a. 781 et mensis Martii a. 782 hanc epistolam 72 scriptam esse. 2. certiores facti. 3. V. ep. 70 supra p. 219: „Dumque vero — illuc pergerent missi, inventi sunt ibidem fidelissimi atque seniores testes —: quomodo antiquitus ipse beatus Petrus — detinuit patrimonium".

Carolo regi[a] Francorum et Langobardorum ac patricio Romanorum Hadrianus papa. 781 ex.— 783 Apr.

Divinitus preordinata vestra a Deo protecta summa regalis potentia procul dubio credimus; quia, super pristinos omnes ac fidelissimos orthodoxosque reges atque imperatores erga sanctam catholicam et apostolicam spiritalem matrem vestram Romanam ecclesiam veram dilectionem habentes, innumerabilia bona per vestra laboriosa certamina cotidie offertis. Et pro hoc nempe certi facti estote: quia, quantum caput totius mundi eandem[b] sanctam Romanam ecclesiam eiusque rectorem simulque pontificem amplectendo seu fovendo honorabiliterque glorificando diligitis, tantum vos beatus Petrus apostolorum princeps[c] inconcussos facit triumphos hic et in futuro victores super omnes regnare reges. Prorsus quippe confidimus: quia, quantum per vos sancta catholica et apostolica spiritalis mater vestra Romana ecclesia exaltata triumphat, tantum caeleste vos ambire atque hereditare per intercessionem apostolorum principis concedit in perpetuum regnum.

Veniente igitur hic apud nos fidelissimo[d] Maginario, denuntians[e] nobis vestrae sospitates regalis potentiae, nimis pro huius nuntii[f] noster relevatus est animus; repleti sumus omni letitia et exultatione.

Qualiter vero ei praecepit vestra a Deo promota triumphatorissima excellentia pro Savinense territorio, ut nobis sub integritate contraderet[1], sicut beato Petro clavigero regni caelorum tribuistis, minime propter malignos ac perversos homines

ipsum territorium cum integritate partibus sancti Petri contradere voluit, sed propter iniquos adque[a] perversos homines minime potuit.

a. adques c.

a. re *c.* b. eidem *c.* c. per *excidisse videtur.* d. misso vestro *excidisse videtur.* e. denuntias *c.* f. relatione *excidisse videtur.*

1. Spatio mensis Maii 781 et mensis Martii 782 revertentibus ad Carolum Ittherio et Maginario, sic petierat Hadrianus ep. 72 supra p. 224: „unum e duobus iam fatis missis — nobis dirigere iubeatis: ut, sicut ex antiquitus fuit — in integro nobis eum (territorium Sabinense) contradere precipiatis“. Qua ex re et ex pag. 226 not. 3 iudicari licet, hanc epistolam 73 scriptam esse intervallo exeuntis anni 781 et mensis Aprilis a. 783.

781 ex.— 783 Apr. potuit. Totam enim iustitiam, quam beatus Petrus apostolus protector vester[a] ex ipso territorio habet, presentaliter iam fatus Maginarius missus vester vidit tam per donationes imperiales quam per ipsorum protervorum regum Langobardorum, ipsum territorium cum masis sibi pertinentibus enucleatius designantes. Si vero perfidus Desiderius dudum rex non sub integritate sed tantummodo masas nobis, quantum reperiri potuit, quas ex antiquitus sancta Romana ecclesia tenuit[b], ut nullus ex illis partibus Langobardorum ausus est resistere; quanto magis, vestrae a Deo protectae regali[c] potentiae in omnibus oboedientes existentes, iussa vestra adimplere debuerant. Nos quidem neque imperatoribus neque regibus gratias agimus, nisi tantummodo vestrae triumphatorissimae excellentiae: quia noviter eum beato Petro apostolorum principi sub integritate condonastis.

Pro hoc enim fidelissimos missos nostros[1] una cum monitiones nostras[2] apto tempore vestrae regali potentiae dirigimus: ut liquida perscrutatione, divinitus inspiratus, indagantes, iustitias beato Petro apostolo eveniant ad effectum; ut precelsa ac Deo promota regalis culmina atque memoria vestra in ecclesia beati Petri, nutritori vestro, usque in finem seculi inter sanctos nominetur. Sed sicut semper in eius sacratissima aula orantes pro vobis persistimus, omnipotens clemens et misericors Deus, in cuius manus cor excellentiae vestrae regitur, una cum excellentissima filia nostra et spiritale commatre domna regina[3] seu domno Pippino excellentissimo rege Langobardorum et proprio spiritali filio nostro caeteraque vestra nobilissima prole, corroboret cor et mentem vestram, et brachium suae potentiae vobis extendat, ut victores vos super omnes barbaras nationes faciat; quatenus omnes, sub vestro brachio humiliati, vestigia pedum vestrorum osculentur; ut amplius ecclesia Dei per vestram a Deo institutam regalem potentiam nimirum exaltata permaneat.

Incolomem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

a. noster *c.* b. restituit *excidisse videtur.* c. regalis *corr. in* regali *c.*

1. Agathonem diaconum et Theodorum consulem et ducem. V. ep. 74 infra. 2. ep. 74 infra. 3. Hildigarda, quam obiisse scimus die 30 April. a. 783.

74. *Hadrianus I papa Carolum regem orat, ut, quo b. Petrum donaverit, territorium Sabinense sibi tradat. Legatos suos commendat*[a]. (Cod. 69, Cen. 67)

Domino excellentissimo filio nostroque spiritali compatri Carolo regi Francorum et Langobardorum atque patricio Romanorum Hadrianus papa. 781 ex.— 783 Apr.

Beatus David rex et propheta spiritu sancto repletus, pro futuri regni vestri erga beati Petri apostolorum principis sanctam ecclesiam benivolentia dignaque solacia ac splendididissima rutilantia orans, canit et dicit: *Manda, Domine, virtutem tuam; confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis. A templo sancto tuo, quod est in Ierusalem, tibi offerunt reges munera*[1]. Ex quibus muneribus ditata, spiritalis mater vestra sancta catholica et apostolica Romana ecclesia per vestra a Deo protecta laboriosa certamina relevata exultat a templo sancto beati Petri fautoris vestri. Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis, crebro orantibus in vobis triumphum. Et mandat cotidie virtutem suam per beatum Petrum apostolorum principem, vobis subicens omnes barbaras nationes, dilatans atque amplius exaltans[b] in toto orbe terrarum vestrum splendididissimum regnum. Et quoniam non valet lingue nostrae ferculum, ut dignum est, de vestro precelso mihique dulcissimo amore explicare, apostolica voce proclamamus dicentes: Multifariae multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, novissime diebus istis[2] per unigeniti sui magnifice operationis virtutem ostendit magnalia in orbe terrarum; donans vobis per beatum Petrum clavigerum regni caelorum victorias, quas dextera Dei cooperante et protegente, multis documentis de vestris allatis muneribus, ecclesia beati Petri enituit, tam de civitatibus quam de diversis territoriis sub integritate eidem Dei apostolo a vobis offertis.

a. *ex cod. f.* 68*v* — 69*v*. *Lemma:* Item exemplar epistolae eiusdem papae ad domnum Carolum regem directa, in qua continetur gratiarum actiones pro exaltatione sanctae Dei ecclesiae, et de territorio Savinense, quemadmodum praedictus rex sancto Petro polli(ci)tus fuerat, quod in integro contradere iuberet. b. exultans *c.*

1. Ps. 67, 29. 30. 2. Hebr. 1, 1. 2: „Multifariam — istis".

781 ex.— 783 Apr. Et ideo poscentes vestram a Deo promotam regalem clementiam petimus: ut, sicut a vestra prerectissima excellentia beato Petro nutritori vestro pro luminariorum concinnationes atque alimoniis pauperum Savinense territorium sub integritate concessum est, ita eum tradere integro eidem Dei apostolo, praesidiante vestro praecellentissimo annisu, dignemini. Quicquid enim regni celorum ianitori beato Petro apostolo adfertis, in sempiterna memoria pro vobis simulque et pro excellentissima filia nostra et spiritali commatre domna regina[1] et pro vestris nobilissimis atque excellentissimis natis[a] nec non et pro omni Christo dilecta genelogia vestra sacrificium purissimum[b] atque olocaustum, divinae suavitatis odore fraglante, in ara vestri pectoris eius invisibili maiestati mactatis.

Et pro tam magna vobis concessa a Deo super omnes reges per beatum Petrum gratia nullus sit de adversariis, qui vestro mellifluo cordi suadere valeat ab amore beati Petri apostoli protectoris vestri seu a nostra dilectione. Quam usque obtantes permanemus; ut non deficiat laus vestra per toto orbe terrarum de ore hominis, victorias vobis a Deo concessas praedicantes ac disfamantes.

Opere enim direximus vestrae regali potentiae fidelissimos missos nostros[2], videlicet dilectissimum filium nostrum Agathonem diaconum seu Theodorum eminentissimum consulem et ducem nostrumque nepotem; qui vice nostra vobis enucleatius, sicut eis[c] in ore posuimus, poscentes suggerant. Quos petimus pro amore beati Petri apostoli benignae cum nimio amore eos suscipi. Et illis, pro causis beati Petri principis apostolorum vestrae a Deo protectae regali potentiae suggerentibus, dignemini obaudire preces; ut, dum a vobis remeaverint et nobis vestram renuntiaverint prosperitatem, referentes simul de causis eiusdem[d]

a. na *c.* b. purissim *c.* c. eius *c.* d. eidem *c.*

1. Hildigarda. 2. V. ep. 73 supra p. 226: „Pro hoc enim fidelissimos missos nostros — dirigimus". Cf. p. 229 n. 1; nec potest esse dubium, quin haec ep. 74 aut eodem tempore cum ep. 73 aut paulo posterius scripta sit.

Dei apostoli effectum[1] et noster pro hoc relevatus fuerit animus, 781 ex.—
digne valeamus cum propheta psallentes orare: *Domine, salvum* 783 Apr.
fac regem, et exaudi nos in die, qua invocaverimus te[2].

Omnipotens itaque Deus in vobis gratiam suam, quam coepit, perficiat; atque vitam vestram una cum precellentissima filia nostra et spiritali commatre domna regina vestraque nobilissima prole et hic per multorum annorum curricula extendat, simul gubernacula annuat in ampliori culmen victorias perfruere, et post longa tempora, senioque et perfecto in celestis vos patriae congregationem recipiat, ut ibidem sine fine regnare mereamini.

Incolomem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

---

75. *Hadrianus I papa Carolo regi Georgium episcopum, qui laeta de eo sibi nuntiaverit, diligenter commendat*[a].

(Cod. 70, Cen. 74)

Domino excellentissimo filio nostroque spiritali compatri 781 Apr.—
Carolo regi Francorum et Langobardorum atque patricio Ro- 783 Apr.
manorum Hadrianus papa.

Omnipotens Deus, repertor omnium, in cuius manu sunt omnia iura regnorum, reperiens secundum cor suum vestram excellentissimam regalem potentiam, ipse eam ad magnam consolationem atque exaltationem spiritalis matris vestrae sanctae catholicae atque apostolicae concessit ecclesiae. Quem vicae apostolica poscimus, premia vobis vite donari aeternae.

Quapropter suscipientes Georgium reverentissimum et sanctissimum episcopum[b] nostrum, a vestra triumphatorissima precellentia tanta bona de vestra laboriosa certamina atque beneficia, quae erga beatum Petrum clavigerum regni caelorum et nos geritis, denuntiavit, quod, si enucleatius exarare[c] voluissemus, nullo ori nostro sufficeret sermo, ut opinor. Sed ipse princeps apostolorum fautor vester beatus Petrus, pro cuius amore haec

a. *ex cod. f.* 69v — 70, *ubi vacuum spatium est lemmati relictum.* b. fratrem *excidisse videtur.* c. exarara *c.*

1. V. ep. 73 supra p. 226: „ut — iustitias beato Petro eveniant ad effectum“. 2. Ps. 19, 10.

781 Apr.— 783 Apr. omnia geritis, ipse vestrum protegat atque in omnibus dirigat in triumphis regnum.

Verum quippe fidelem ipsum reverentissimum et sanctissimum praefatum episcopum vestrum nostrumque reperientes, nimis eum vobis commendari poscimus, ut secundum suam certam fidem atque dilectionem, quam erga vos et nos gerit, ita consolatus prorsusque totus[a], nobis poscentibus, a vestra praefulgida regale potentia mereatur per se clamare[b], ut, dum per nostrum suggessum vestram ampliatam super se praecipuam habuerit undique benivolentiam, quietus pro vobis valeat fundere preces; nosque in confessione beati Petri apostolorum principis solite orationes enixius pro vobis fundentes praeces, super omnes barbaras nationes victores inveniamini; atque, una cum praecellentissima filia nostra et spiritali commatre domna regina[1] vestrisque nobilissimis suboles regni gubernacula in aevo fruentes, in aetheriis arcibus cum sanctis omnibus regnare mereamini.

Incolomem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

---

76. *Hadrianus I papa Carolo regi nuntiat de Persarum in imperium Graecorum incursione et de eorundem discordia*[c]. (Cod. 93, Cen. 75)

781 Apr.— 783 Apr. Domino excellentissimo filio nostroque spiritali compatri Carolo regi Francorum et Langobardorum atque patricio Romanorum Hadrianus papa.

Dum nimis in nostro pectore momentis omnibus vester regnat amor et multa nobis fiducia magnaque gloriatio apud precellentissimam atque a Deo promotam vestram regalem potentiam existit, convenit nempe nos pro vestri precelsi a Deo protecti regali culmini sollicititi cotidie inquirere salute; ut, agnita iuxta nostrum desiderium omnia prospera esse erga vestram

a. *an* fotus? b. *an* perseverare? c. *ex cod. f.* 87*v*. *Lemma:* Item exemplar epistolae eiusdem papae ad domnum Carolum regem, in qua continetur de preda Persarum in finibus Grecorum facta, et de discordia quae inter ipsos erat.

1. Hildigarda.

excellentiam summam, sanctae et individuae Trinitatis dignas referuimus grates. 781 Apr.— 783 Apr.

In quibus ad aures vestrae regalis potentiae intimantes innotescimus de Constantinopolitanae partibus: eo quod in finibus eius gens Persarum invadentes atque depredantes venerunt usque in loco, quod dicitur Amoria[1], sexagesimo miliario eiusdem civitatis Constantinopolitanae. Unde et praedam magnam conprehendentes secum detulerunt. Et sicut audivimus atque fama fertur, thius[2] regis Persarum[3] princeps et dux exercitui nefandissimi ipsorum existebat. Qui, dum reversus fuisset cum iniqua victoria, elatus in superbia mentitus est proprio nepto suo; et ab eiusdem exercito factus est rex Persarum. Et infra Perse tumultuantes pugnare ad invicem pro nepote et thio dicuntur[4].

Nos vero, petentes divinam clementiam, crebro pro vobis die noctuque orare prorsus non sinimus: ut ad exaltationem sanctae Dei spiritalis matris vestrae Romane ecclesiae et nostram perennem laetitiam longiori aevo in triumphis, celebri nomen regnantes una cum excellentissima filia nostra et spiritali commatri domna regina[5] vestraque precellentissima prole, et sospes in presenti vita et in aeterna beatitudinae vos conservare dignetur.

Incolomem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

1. Amorium Phrygiae. 2. θεῖος, patruus, Ital. „zio". 3. Chalifus fuit illo tempore Mahdi (Almahdi Mohammed Ibn Manszur; pater Haruni Arraschid) ab Oct. 775 ad d. 4 Aug, 785. V. Weil Geschichte der Chalifen II 94 squ. 4. Confusi rumores. Mahdi chalifus enim, qui in Graecorum imperium spatio annorum 775—782 complures irruptiones fecit, iam primo regni anno (Oct. 775 — Oct. 776) patruum suum (v. supra n. 2) Abban Ibn Mohammed Ibn Ali cum exercitu in Asiam minorem miserat, nec vero Abbas adversus Mahdi chalifum postea exsurrexisse reperitur; licet alia bella intestina eidem chalifo non defuisse constet. Quarto autem regni anno (Oct. 778 — Oct. 779) ipsius chalifi filium Harun scimus usque ad Dorylaeum progressum esse urbemque Amorium (v. supra n. 1) frustra obsedisse. V. Theophanis chronographia ed. Classen, Bonnae 1839, T. I 699—700 et Weil Geschichte der Chalifen II 97. 98. 5. Hildigarda.

77. *Hadrianus I papa Carolum regem rogat, Romam puniendos mittat Heleuterium et Gregorium iudices Ravennates, qui, variis facinoribus admissis, ad eum accesserint*[a].

(Cod. 75, Cen. 76)

783 post Apr. Domino precellentissimo filio nostroque spiritali compatri Carolo regi Francorum et Langobardorum ac patricio Romanorum Hadrianus papa.

Gratia[b] sancti Spiritus igniti calore, nulla quiescimus plus ratione, qualibet terrenae potestatis splendidi preterquam vestrae a Deo promotae regali potentiae, cum opertunitas datur, ex totis nostris precordiis intimare[c]. Quae dum tam firmam stabilemque annexa fideliter unanimes in unitate conglobatos, ullo modo credimus quamlibet magna parvaque persona inter apostolicam sedem et vestrae excellentiae dirimari; talem prorsus vestrum prefulgidum in triumphis regnum erga amorem beati Petri apostolorum principis fautoris vestri et nostro dilectione agnoscentes usque hactenus persistere et indisolubile permanere, quod numquam possit quamlibet callida versutia hominum ab amore clavigeri regni celorum disiungi; quem prorsus auxiliatorem in opinatissimis vestris triumphis, nos poscentibus[d] atque precantibus, credimus propugnatorem habere, procedens et introducens vestrum precelsum regalemque triumphum calcari super omnes barbaras nationes.

Quatenus semper pro vobis divinam exorantes clementiam Deique timorem pre oculis[e] habentes atque pro animae sanctae recordationis precellentissimi genitoris vestri domni Pippini summi regis et pro omnibus fidelibus Francis, simulque divinum considerantes iudicium, nitebamur emendari de pravis atque perversis actibus videlicet Heleutherium seu Gregorium, ineptos

a. *ex cod. f.* 73v – 74. *Lemma:* Item exemplar epistolae eiusdem papae ad domnum Carolum[a] regem directa, in qua continetur de fide vel dilectione, quam erga beatum apostolorum principem Petrum habere pollicitus est, ut inconcussa et insolubiles permansisset, et nulla callida versutia ab apostolico amore eius animus[b] disiungi potuisset. b. *an* Gratiae? c. *sic.* d. poscentebus *c.* e. oculis *c.*

a. Carolum Carolum *c.* b. animum *c.*

atque inutiles nugaces. Quibus per eorum proterva contumacia 783 non sinebant in eorum iudicaria partibus Ravennae inopes atque post Apr. pussillos opprimentes vivere, tam in venalitate hominum apud paganas venumdantes gentes, quam de panibus[a] eorum absque ulla misericordia avide deglutiebant. Ex qua pestilentia plurima pars indeficientes atque ruentes dissipati sunt. Insuper ignobilium vulgum catervamque cruentorum nequiter congregantes, non sinebant cotidiae nefandas penetrare neces. Unde, dum in ecclesia quadam die missarum celebrarentur sollemnia et eadem hora quidam diaconus[b] sanctum Christi euangelium populis predicaret, intus in eodem sanctuarium ab eorum impiissimis hominibus sanguis effusus est innocens, pro sacrificium laudis homicidium perpetrantes.

Et dum ipsi freti existentes, eo quod nos talia iniqua tetra atque perversa operatione minimae illos in christiano populo peragere sinissemus, idcirco, superba arrogantia elati, conati sunt sine[c] nostra scientia ad vestris properari regales obtutibus; existimantes, se per eorum infidelem atque iniquam fallatiam a fide puritatis et dilectione beati Petri et nostra vos separari; nescientes miseri et infelices: quia, qui prumpti fideles eiusdem Dei apostoli sunt, et vestri felicissimi regni fideles sunt, pariter et qui eius inimici esse videntur, vestri procul dubio inimici sunt.

Quapropter poscentes quaesumus vestram[d] a Deo protectam regalem potentiam per beatum Petrum apostolorum principem, cui a Domino potestas ligandi solvendique peccata in caelo et in terra data est, et ipsum sanctum baptisma quod inter nos per Spiritum sanctum habere videmur: illorum procacitas[e] vester prefulgidus aspectus hilaris minime manifestetur, neque recipere ipsos nefandos vultu dignissimo dignemini. Sed tamquam inimicos beati Petri et vestros existentes, eorum superbam gloriationem respuentes, ad nos dehonestatos per fidelissimos missos vestros humiles veniant; ut omnia, quae fati sumus, eorum comprobemus praesentia; quatenus, qui agunt talia iniqua atque

a. depanis *c.* b. quadam dieaconus *c.* c. fine *c.* d. urm̄ *c.*
procatitas *c.* *An* procacitati?

783 post Apr. perversa, per eos emendentur; et inlibata oblatio, quae a sanctae recordationis genitoris vestri domni Pippini magni regis allata et vestris praefulgidis regales manibus in confessione beati Petri clavigeri regni celorum offerta atque nimirum confirmata[a] sunt, ineoncussa et inmacula in eternum permaneant; ut ante tribunal Christi ipse protector vester beatus Petrus apostolus dignus retributor vobis appareat et, sicut in hoc terrenum regnum una cum praecellentissimis subolis vestris[1] et omnibus fidelibus Francis in triumphis pollentes tuetur et protegit, ita et in etheris arcibus cum sanctis omnibus faciat sine fine regnare.

Incolomem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

---

78. *Hadrianus I papa Egilae episcopi et Iohannis presbyteri orthodoxiam laudat. Exponit de paschate, de pecudum sanguine, de praedestinatione et libero arbitrio, de vitanda Iudaeorum et paganorum communione, de canonibus et decretalibus servandis*[b][2]. (Cod. 96, Cen. 70)

772-c.785 Hadrianus episcopus servus servorum Dei dilectissimo nobis Egilae[3] episcopo seu Iohanni presbitero.

Audientes orthodoxam vestrae dilectionis in Christo constantiam atque ita vos antique fidei communionisquae sinceris traditionibus inherentes, ut mentem christianae deditam veritati

a. confirmirmata *c.* b. *ex cod. f.* 89 – 91*v.* *Lemma:* Item exemplar epistolae Hadriani papae ad Egilam episcopum seu Iohannem presbiterum de eorum[a] sacratione vel constantia in partibus Spanie predicandum, et de pascali festivitate, et de predestinatione hominis sive ad bonis sive ad malis, et de coinquinatione eorum tam in escis quamque in potis, seu et de diversis erroribus, et de eorum pseudosacerdotes, qui vivente viro sortiuntur uxores, et de libertate arbitrii, vel multa alia capitula in partibus illis contra fidem catholicam orta.

a. corum *c.*

1. Idcirco post Hildigardae reginae (die 30 Apr. 783 mortuae) obitum et antequam de Fastrada circiter mense Octobri 783 in matrimonium a Carolo ducta nuntium acceperit Hadrianus, hanc epistolam scriptam esse docuit Cenni, quod in ea filiorum regis quidem neque vero uxoris mentio insit. 2. Ad quorum annorum spatium haec epistola referenda sit, ex ep. 79 infra comperiri potest. 3. qui episcopus Illiberitanus fuisse fertur. V. Florez España sagrada XII 167.

nullatenus inficerent praevaricatorum vicina contagia, magnificavimus Dominum caritatemque vestram indesinenter laudavimus. 772-c.785
Quatenus per earum latores, videlicet Saranum diaconum et Victorinum clericum, suscipientes vestrae dilectionis affatus, enucleatius eos reserantes, liquido informati sumus.

Et quoniam pro sedis apostolicae[a] principatu huius sollicitudo delegata divinitus cunctis debetur eclesiis, quam laudabiliter fidei veritatem noveritis et quam sollicitae dominico gregi devotione officii pastoralis inpendatis, frater noster Wilcharius archiepiscopus provinciae Galliarum[1] — cui et licentiam dedimus de vestris ordinationibus, atque auctoritatem: dirigere vos pro orthodoxae fidei sanctaeque catholice ecclesiae predicatione in partibus Spaniensis provinciae — pro vobis nobis insinuante, magnisque gaudiis triumphamus; cum ubique terrarum dominus Sabahot semen purae confessionis reliquisse cognoscimus. Quod non in petrosa deveniens estu temptationis exaruit[2], nec viae proximum cecidit[3] vagantibus inimicis expositum, nec in spinis inruit suffocandum[4]; sed in bonam terram piae devotionis vestra caelestae sacione dispersum, in tricesimum[b] et sexagesimum fructum centenariumque proficit[5], perfectionem scilicet frumenti dominici mistica locutione designans.

Quapropter exultantibus animis confidentius incitamus: ut ab omni pestis incursu pectora vestra sapienter intemerata servetis. Quoniam: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*[6]. Dominus prope est[7], nihil solliciti sitis[8]; siquidem maior est, qui in nobis est, quam qui in hoc mundo[9]; regnumque Domini intra nos esse, scriptura testante[10] sit certum. Quamvis ergo magna locorum intervalla nos dividant, si in unitate fidei nostrae perseveraveritis, vobiscum sumus. Tantum, ut sit auxiliante Domino constantia perseverans; dicente apostolo: *Vobis enim datum est pro Christo, non solum ut eum credatis, sed*

a. apostolicis *c.* b. tricesimus *c.*

1. archiepiscopus Senonensis. 2. Matth. 13, 5. 6. 3. Matth. 13, 4. 4. Matth. 13, 7. 5. Matth. 13, 8. 6. Matth. 24, 13. 7. Philipp. 4, 5. 8. Philipp. 4, 6. 9. 1 Ioh. 4, 4. 10. Luc. 17, 21.

772 - c. 785 *etiam ut pro ipso paciamini*[1]. Ad[a] quam fortitudinem sanctarum mentium roborandam[b] dilectionem vestram iam fatus sanctissimus archiepiscopus — nos illi licentiam cedentes[c] — pro apostolicae fidei amore direxit; quibus merito persistentes integritatis ornari usque ad coronam bravii ex optante non dubitamini.

Ferebatur siquidem in ipsis vestris apicibus, quod multi in partibus illis, in insipientiam atque cordis dementiam devoluti, nostrae relationis atque admonitionis series, secundum venerandi Niceni concilii institutionem de pascali festivitate editam, contemnere audent: quod, si plenilunium quarto[d] decimo scilicet die lunae (ab sabato[e] contigerit, alio die dominico videlicet quinto decimo die lunae[e]) sanctum pasca minime sit celebratum; sed, pretermisso eodem quinto decimo die, in alio sequentis septimane dominico, quod est vicesimo secundo lune diae, paschalis festi gaudia pronunciantur celebrandum. Quod si interius mente perpenditur magni ac venerandi Niceni concilii trecentorum decem et octo sanctorum patrum simul convenientium promulgata paschalium festivitatum rationem, procul dubio omnis error omnisque ambiguitas ab hesitantium cordibus auferetur. Sed dum plerique propria commenta, ut acuti perspicaces et mundane scientiae gnari, spiritali vero eruditione ignari, vindicare desudant; olitanam patrum tradicionem desidiosa ignavia preteureunt et vera mendatiis obumbrare inhiant. In eodem quippe magno Niceno concilio decennovenali cyclo patrum confirmato sententia, ita inter cetera ibidem fertur promulgatum: quod non amplius quam usque ad vicesimam primam lunae diem huius sacre festivitatis solemnia dilatentur. Quam paschae rationem et Antiochenum demum venerandum corroborans concilium, inter reliqua ita inibi in primo scilicet capitulo[2] constat exaratum:

a. At *c.* b. roboranda *c.* c. cedentem *c.* d. quartū̧ *c.* e. ab sabato — die lunae *addidi ex ep.* 99 *infra.*

1. Philipp. 1, 29. 2. in Dionysii Exigui collectione canonum, Codex canonum vetus ecclesiae Romanae (ed. Pithoeus, Lutetiae 1609) p. 55. Cf. Dionysii ad Petronium epistola (ap. Ianum Historia cycli Dionysiani p. 71).

Omnes, qui ausi fuerint dissolvere definitionem sancti et magni 772-c.785
Niceni concilii, congregatum sub presentia piissimi[a] *et venerantissimi principis Constantini, de salutifera sancti*[b] *pasche sollemnitate, excommunicandi*[c] *et ab ecclesia esse abiciendi censemus; et si tamen contentius adversus ea, quae bene sunt statuta, perstiterint,* atrocioribus fore summissuros interdictionibus censuerunt. Nam et beatissimus Dyonisius in ea, quam de ratione pasche promit, epistola[d] ita ait: *A duodecimo Kalendarum Aprilium die cunctorum orientalium sententias, aequinoctii cursus vernalis consequatur, decreverunt, maximae Aegiptiorum peritiam, qui huius*[e] *calculationis gnari doctique sunt, inquirenda specialiter adnotatur, in quo etiam si luna quarta decima (sabbato contingat, sequenti die dominico luna quinta decima*[f]*) celebrandum pascha, sancta sinodus Nicena sine ambiguitate firmavit*[1]. Adtendite, dilectissimi nobis, et illud, quod beatus Proterius Alexandrinae aecclesiae presul predecessori nostro beatissimo Leoni papae ob piae memoriae Marciani principis iussum direxit. Post plurima enim ita ait: *Olim quippe Dominus per Moysen significans*[g] *dicit: „Mensis iste vobis initium mensium primus erit in mensibus anni; et facies pasca domino Deo tuo quarta decima die mensis primi"*[2]. Et post pauca subiunxit[h] dicens: *Si quando in die dominico quarta decima luna reperta, in sequenti septimana est dilatanda festivitas*[3]; *sicut et veteres patres*

a. piissima *c.* b. scm̄ *c.* c. communicandi *c.* d. eclesia *c.* e. uhius *c.* f. sabbato — quinta decima *addidi ex ep.* 99 *infra.* g. signicans *c.* h. subiuxit *c.*

1. In Dionysii Exigui ad Petronium epistola l. l. p. 69 sic est: „Quae (luna), quia cum solis cursu non aequaliter volvitur, tantorum dierum spatiis occursum vernalis aequinoctii consequatur; qui a duodecimo Kalendarum Aprilium die cunctorum Orientalium sententiis, et maxime Aegyptiorum, qui calculationis prae omnibus gnari sunt, specialiter annotatur. In quo etiam si luna decima quarta sabbatho contigerit — sequenti die dominico, id est undecimo Kal. April. luna decima quinta, celebrandum pascha eadem sancta synodus sine ambiguitate firmavit". 2. V. Proterii epistolam ap. Ianum Hist. cycli Dionys. p. 97: „Olim quidem Dominus per Moysen tempus paschale significavit dicens: „Custodi mensem novorum", primum hunc esse pronuntians. Sicut iterum dicit: „Mensis iste — mensis primi". 3. ibid. p. 98: „Nam et priscis temporibus, si quando die do-

772-c.785 *nostri fecerunt, quartas decimas lunas occurrentes*[a] *in alia dominica transferatur*[1].

Unde constat, dilectissimi, non amplius huius venerande festivitatis sollemnitas (extendi[b]) fas est quam usque in vicesimam primam lunae diem, rite observantes ebdomade dierum numerum, dum solaris cursus a lunae cursu omnino discordat. Quoniam in sex quidem diebus creator omnium Dominus aethereum firmamentum omnemque eius ornatus rutilantia, aequoris atque telluris gignentia ac elementorum materiam et cunctorum reptilium animantia patravit, et postremum e limo hominem finxit arvae, et in septimo die requievit ab omni opere quod patrarat. His nempe septem diebus a quarto decimo lunae die, quod est plenilunium — si dominica tamen occurrerit, quae est prima et sancta dies, pro eo, quod non oportet in ea ieiunare — intermissis, in alio dominico, quae est sancta et prima dies vicesima prima luna, rationis ordo exigit christianis sanctum pascha celebrandum. Nam si in sabbato quarta decima luna advenerit, non est intermittenda subsequens dominica, quinta decima videlicet lunae dies; venerantes eandem dominicam, quae est prima sabbatorum dies, in qua lux iubente Deo in ipso mundi exordio prodiit, in qua et vera lux salvator noster ab inferis carne resurrexit. Nam si octo dies a quarta decima lunae die, quando ieiunium solvitur, intermittuntur, ut in vicesimo secundo die lunae paschalis festivitas dilatetur, ergo iam non septimanam, id est ebdomadam, sed ogdoadam, ut stolidi quique et vecordes profanizant[c], dicenda atque observanda est. Intuendum quippe et illud ratio suadet, quod septem ebdomade et non octo intermittuntur a paschali festivitate usque ad sanctam[d] pentecosten, in qua paraclytum spiritum a patre redemptor noster Dei vivi filius post gloriosam resurrectionem suam sanctis

a. occurentes *c.* b. extendi *addidi ex ep.* 99. c. profinizant *c.* d. scm̄ *c.*

minico decima quarta luna reperta est, in sequentem septimanam est dilata festivitas".

1. ibid. p. 100: „sicut patres nostri fecerunt, decimas quartas lunas occurrentes die dominico, differentes".

suis apostolis misit. Pro quo regia gradiemur via, et non declinabimus penitus per tortuosum et dumis ac tribulis[a] repletam callem; pergant per eam hi, qui cupiunt nova figmenta et scelerum monumenta conponere, ut merito spine et tribuli generentur eis. Iam quidem dudum decessores et predecessores nostri sancti pontifices, pro hac questione simulque heresim illis partibus commonitorium[b] atque adortationem dirigentes, congrua capitula[c] beati Cyrilli atque Theophili nec non et aliorum sanctorum patrum, quas denumerare longum est, promulgantes docuerunt, quod vestrae dilectioni gnaras esse dubium non est. Pro quo non silemus, carissimi, inpensius conmonere: ut a falsis fratribus caveatis; et in eo modo, quo sancta nostra Romana ecclesia caput omnium eclesiarum Dei paschalem[d] celebrat sollemnitatem, et vos procul dubio caelebrare studeamini; ut, sicut pares nos christianorum fidei religio efficit, equales nimirum in festivitatibus efficiat. 772-c.785

Insinuavit dilectio vestra et hoc, quod quidam pollicentes atque in errore perseverantes predicant: ut, qui non ederit pecudum aut suillum sanguinem et suffocatum, rudis est aut ineruditus. Nos quidem, apostolica precepta inbuti atque eruditi, confirmantes predicamus: quod, si quis pecudum aut suillum sanguinem vel suffocatum manducaverit, non solum erudicionis totius alienus, sed ipsius quoque intellegentiae communis prorssus extraneus, sub anathematis vinculo obligatus, in laqueo incidat diaboli.

Illud autem, quod alii ex ipsis dicunt, quod predistinatio ad vitam sive ad mortem in Dei sit potestate; alii iterum dicunt: *Ut quid rogamus Deum, ne vincamus temptationem, quod in nostra est potestate, quasi libertate arbitrii?* Re vera enim nullam rationem reddere vel accipere valent, ignorantes beati Fulgentii episcopi ad[e] Eugipium presbiterum contra sermonum cuiusdam Pelagiani opuscula directa, quibus infra multa idem pater docens haec verba subiungit: „*Illi autem, dum*[f] *pro se*

a. trib; c. b. illis compartibus monitorium *c.* c. epistola *c.* d. paschale *c.* e. ad *om. c.* f. dum *om. c.*

772-c.785 *gratiam*[a] *solum reprehensibiliter intromittunt, in se damnabiliter calcaverunt, quia alios ad vitam alios ad mortem asserunt destinatos, adverte, quibus se impietatis nexibus ligant. Si ad bonum predistinatus sum, contra malum resistere necesse mihi non erit; si vero ad malum natus, bonum mihi exercere nihil proderit. Ac sic in utraque parte intercluso appetitu laudis et gloriae, unus securitatem alius desperationem torpebit, ac per haec odiabitur omnis iustitiae exercitatio, oratio cessabit, languebit operatio. Sed non ita est; quin*[b] *potius incessanter oremus, quia ipse Dominus dicit: „„Sine intermissione orate, ne intretis in temtationem"". Nihilhominus contra omne peccatum non solum oratione sed etiam labore luctemur; quia ipse Dominus presenti lectione testatus est, quia unus quisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem". Haec verba, quibus auctor sermonis illius, veritatem praedistinationis nititur obpugnare, inconsiderate atque indiscrete prolata, Deo nos adiuvante, monstramus.* Et post cetera: *Opera ergo misericordiae ac iustitiae suae preparavit Deus in eternitate incommutabilitatis suae; et sicut futurorum operum suorum numquam fuit ignarus, sic in eorundem*[c] *operum preparatione numquam inprovidus. Preparavit ergo iustificandis hominibus merita, preparavit hisdem glorificandis et premia; malis vero non preparavit voluntates malas aut opera mala, sed preparavit eis*[d] *iusta et eterna subplicia. Haec est aeterna praedistinatio futurorum operum Dei, quam, sicut nobis apostolica doctrina semper insinuari cognoscimus, sic etiam fiducialiter predicamus. Beatus enim Paulus predistinationem eorum, quos Dominus gratis salvat, et evidenter et frequenter insinuat. Ipse enim dicit de Deo: „Nam, quos prescivit, et predistinavit conformes fieri imaginis filii eius, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus"; et post: „Quos autem praedistinavit, hos et vocavit; et quos vocavit, hos et iustificavit; quos autem iustificavit, illos et glorificavit". Non utique alios, sed quos predistinavit, hos vocavit, hos iustificavit, hos glorificavit. Nihil incertum in Dei operibus nutat, quia nihil suae*

a. gratia *c*. b. qui *c*. c. earundem *c*. d. eius *c*.

predistinationis evacuat; predistinationis igitur suae opera vocatione Deus inchoat, glorificatione consummat; non tamen[a] *in omnibus quos vocat, sed quos secundum propositum vocat. „Diligentibus enim Deum omnia cooperantur in bonum, his, qui secundum propositum vocati sunt“.* Item post multa: *Teneatur ergo predistinationis veritas a fidelibus cunctis. Quia quisquis divinum non credit in hac predistinatione consilium, non perveniet ad gloriosum eiusdem predistinationis effectum; quisquis autem non est predistinatus ad gloriam, invenitur sine dubio prescitus*[b] *ad*[c] *penam. Quae ideo in Dei*[d] *preparatione predistinata cognoscitur, ut per eam infidelitas atque iniquitas puniatur. Propter quod beatus Iudas apostolus quosdam predistinatos*[e] *dicit in iudicium his verbis: „Subintroierunt enim quidam homines impii, qui olim prescripti et predistinati erant in hoc iudicium Dei nostri“*[1]*. Vigilanter autem in doctrina Spiritus sancti predistinatos impios non dicit ad peccatum sed ad iudicium, id est non ad impietatem sed ad punitionem. Non enim predistinati sunt ad hoc, quod vitiosae impietates admittunt, sed ad illud quod iudicio aequitatis divinae recipiunt. Ipsorum enim opus est, quod impie faciunt, Dei autem opus est, quod iuste recipiunt.* Item post cetera: *Proinde quod auctor illius sermonis subsequenter adiunxit dicens: „Quin potius incessanter oremus, quia ipse Dominus dicit: „„Sine intermissione orate, ne intretis in temptationem““, et post: „Nihilominus contra omne peccatum non solum oratione sed etiam labore luctemur“; et iterum: „Sic laborantes vocat Dominus dicens: „„Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego vos reficiam““; sed nos a Deo humiliter gratiam poscamus, quam conlaborantem iugiter habeamus, per quam nos Deus et in labore custodiat et ad mercedem peracto labore perducat.* 772-c.785

Porro, dilectissimi, diversa capitula, quae nobis innotuistis, id est: quod multi, dicentes catholici esse, communem vitam

a. tam *c.* b. prescitis *c.* c. at *c.* d. *sequitur* nomine *in cod.* e. quos distinatos *c.*

1. Cf. Iud. 4.

772-c.785 gerentes cum Iudeis et non baptizatis paganis, tam in escis quamque in potis seu et in diversis erroribus nihil pollui se inquiunt; et illud, quod inibitum est, ut nulli liceat iugum ducere cum infidelibus, ipse enim filias suas cum alio benedicetur, et sic populo gentili tradetur; et quod sine examinatione prefati presbiteri, ut presint, ordinantur; et aliud quo usque inmanis invaluit error perniciosus, ut etiam vivente viro mulieres in conubio sibi sortiantur ipsi pseudosacerdotes; simulque et de libertate arbitrii; et alia multa, sicut fati estis, quae longum est dicere; quid multa[a] vobis heresum per singula scribere? quia olim tempus est, quod Priscilliani docmatis inpleverunt. Quapropter, dilectissimi, oportet vestra industria sollertissimae vigilare et, sicut decet Domini sacerdotes, nulli vos canones ignorare, nec quicquam[b] facere, quod patrum possit regulis obviare. Quae enim a nobis res digna servabitur, si decretalium norma constitutorum, pro aliquorum libito licentia populis permissa, frangatur? Unde constat, ut, si quis de predicta capitula obnoxius reperietur, profecto eum regulariter consortio fidelium Dei, utpote corrumtorem patrum tradicionum[c], extorris efficiatur et in aeterna condempnatione inveniatur.

Cavendum ergo dilectioni vestrae est magnaque diligentia prohibendum: ne per huiusmodi homines extincta dudum scandala suscitentur et de exciso olim docmate aliquod in provincia eiusdem mali germen oriatur, quod non solum in radicibus suis crescat sed etiam sanctae eclesiae subolem veneno sui odoris inficiat. Qui correctos se videri volunt, ab omni suspicione se purgent et obediendo nobis probent, se esse nostros. Quorum si quisquam salubribus preceptis satisfacere detractaverit, sive ille clericus sive sit laicus, ab aecclesiae societate pellatur; ne perditor animae suae saluti insidietur alienae.

Et sicut per nos seu almoque archiepiscopo[1] in predicatione orthodoxae fidei directo[d] sanctae Romane ecclesiae, ob amorem beati Petri principis apostolorum concordes predicate; ut, sicut

a. multa a *c.* b. nec quam *c.* c. tradicionē *c.* d. directos *c.*

1. Wilchario Senonensi.

unus est pastor noster Christus Dei vivi filius, omnes simul in uno eius efficiamur aggregati ovili; et quemadmodum unius[a] capitis simus membra, unum efficiamur corpus in Christo Iesu domino nostro; promerentes eius, quam sanctis suis contulit cultoribus qui eius precepta custodiunt et ab initio mundi divinae eius placuerunt maiestati, desiderabilem promissionem, quam ait: *Venite benedicti patris mei, percipite regnum vobis praeparatum ab origine mundi*[1]. 772-c.785

---

79. *Hadrianus I papa Egilae episcopo litterarum suarum, quae ei non erant redditae, exemplum ex registro transscriptum mittit. Addit de haereticis coercendis ac de feriae sextae sabbatique ieiunio servando*[b]. (Cod. 95, Cen. 69)

Hadrianus episcopus servus servorum Dei dilectissimo nobis Egila[2] episcopo. 781-c.785

Dudum praecipua gnaraque dilectio tua ad sedem apostolicam, quae est capud totius Dei ecclesiarum, directos affatus secundum vibrantissimam fidem, quam erga beatum Petrum apostolorum principem et nos ex intimo gerit corde, cum nimio amore suscepimus. Ad ea, quae eius poposcit sollertia ex divino fonte oriri nitidius ac saluberrimae sanctae nostrae catholicae et apostolicae aecclesiae, olitano[3] ritu orthodoxae fidei exarantes[c], immo sanctorum patrum veneranda institutione sine macula speculantes, per earum tunc transvectores[4] tuae emisimus almitati.

Et quoniam, ut fertur, nequaquam ipsos apostolicos apud te profectos sunt apices, nostris eos habentes registris exaratos, infra rescribentes, per arum gerulos, scilicet Bellerefonsum seu Iohannem clericum direximus denuo; sicut nobis per fidelissimum[d] missum suum, videlicet reverentissimum et sanctissimum

a. unius *addidi ex ep.* 99 *infra.* b. *ex cod. f.* 88*v* — 89. *Lemma:* Item exemplar epistola Adriani papae ad Egilam episcopum pa(r)tibus Spaniae missa pro fide orthodoxa tenendum, et pro ieiunio VI. feria et sabbato celebrandum. c. exdrantes *c.* d. fidelissimus *c.*

1. Cf. Matth. 25, 34. 2. V. supra p. 234 n. 3. 3. antiquo. 4. per Saranum diaconum et Victorinum clericum. V. ep. 78 supra p. 235.

781-c.785 Petrum Ticinensis ecclesiae episcopum[1], precellentissimus[a] ac praefulgidus filius et spiritalis conpater noster[2] domnus Carolus rex Francorum et Langobardorum ac patricius Romanorum pro tua insigna dilectione poscendum emisit; et per eius regalem adminiculum, tuis faventes[b] votis, adimpleri prorsus[c] nituimus.

Illos vero procaces ac ereticos homines, qui tuam subvertere nituntur orthodoxam fidem et, undique te coartantes, angustias et varias tempestates seminant, apostolico indutus precepto simulque apostolicis inbutus disciplinis seu saluberrimis orthodoxae fidei sanctorum patrum repletus institutis, eos, qui tuis noluerint amplectere recte fidei predicationibus, post unam et secundam admonitionem seu increpacionem, tamquam ethnicos et puplicanos deputans, habeto pro nihilo eorum infrunitas insidias; propheta testante, qui ait: *Si autem adnuntiaveris impio, et ille non fuerit conversus ab inpietate sua et a via sua impia, ipse quidem in impietate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti*[3]. Quatenus oportet tae vas electionis[4] beati Pauli apostoli imitari praeceptis ac vestigiis sequi; subtrahere te ab omni fratre[d] ambulante inordinate[5]. Et constans esto; quia diligentibus Deum omnia cooperantur[e] in bonum[6]. Potius nempe, si doctrina nimirum sanctae catholicae et apostolicae Romanae ecclesiae secutus fueris, non timebis mala; quia fortissimus auctor ac eius fundator beatus Petrus claviger regni caelorum tecum est usque in finem; Domino pollicente: *Ecce ego vobiscum sum*[f] *omnibus diebus usque ad consummationem saeculi*[7]. Nulla quippe hepitudo aut quaelibet ambiguitas ascendat in suavissimam sa-

a. precellentissimũ *c.* b. ifaventes *c.* c. prossus *c.* d. frate *c.* e. cooperanter *c.* f. vobis sum *c. pro* vobiscum sum.

1. De Petro II episcopo Papiensi tantulum est memoriae traditum, ut eum ab a. 778 ad 783 praefuisse ecclesiae illi existimaret Cointius Annal. ecclesiast. VI 150, 240; ab a. 795 ad 800 Ughelli It. sacr. I 1084; ab a. 805 ad a. 813 Robolini Notizie appartenenti alla storia della sua patria IV 2 p. 285. Cf. infra n. 2. 2. Ex his verbis „spiritalis conpater noster" et ex ep. 99 infra arbitrari licet, hanc epistolam post diem quidem 15. Apr. a. 781 nec vero post annum 785 datam esse. 3. Ezech. 3, 19. 4. V. Act. ap. 9, 15. 5. 2 Thess. 3, 6: „ut subtrahatis vos ab — inordinate". 6. Rom. 8, 28. 7. Matth. 28, 20.

cramque mentem tuam, eo quod: *Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum caelorum*[1]; et iterum: *Sancti per fidem vicerunt regna*[2] et cetera. 781-c.785

Porro, quod in ipsis referebatur apicibus tuis, qualiter vobis nimis intentio est de sexta feria et sabbato, quod istos duos dies dicimus[a] ieiunium mancipandos, nequaquam hereticorum hominum ignavia atque impia perversa amentia inanesque ac mendaces sequere fabulas; sed magis doctorum nostrorum sanctorum patrum, sicut nobis intimant, videlicet beati Silvestri atque Innocentii papae pariterque almi Hieronimi seu Hisidori divinos sermones annectere, et nostra apostolica olitana regula sabbato ieiunando firmiter atque procul dubio tenens instar, celebrari tua non desinat sanctitas. Si enim a regia non vis discedere via, predictorum sanctorum patrum censuram non deseras. Et beati Augustini[b] opuscula legi non pretermittas, ubi egregium predicatorem atque doctorem suum sanctum Ambrosium meminit pro ieiunio sabbati sanctam catholicam et apostolicam nostram Romanam nimis laudasse[c] ecclesiam[3].

Et quia, gerente Spiritu sancto, nullis temtationibus superari tua almitas conicimur, ea, quae superius polliciti sumus, liquida exarationis pagina instituemus series[4].

---

80. *Hadrianus I papa Carolo regi de Saxonibus ad Christi fidem conversis gratulatur. De trium dierum supplicationibus addit*[d]. (Cod. 91, Cen. 84)

Domino excellentissimo[e] filio nostroque spiritali compatri 786 anno ineunte

a. decimus *c.* b. agustini *c.* c. laudasset *c.* d. *ex cod. f.* 85*v* — 86*v.* *Lemma:* Item exemplar epistolae eiusdem papae ad domnum Carolum regem directa, in qua continetur de gente dudum perfida scilicet Saxonum, qualiter dominus ac redemtor noster per prefati regis laboriosa[a] certamina ad Dei cultum sue catholice et apostolice ecclesiae rectitudinis fidei seu ad sacrum baptismatis fontem usque perduxisset; et de letaniis et de ieiuniis et orationibus pro huiuscemodi rei. e. excellentis *c.*

a. taberiosa *c.*

1. Matth. 5, 10. 2. Cf. Hebr. 11, 33. 3. V. Augustini ep. 36 (antea 86) Opp. ed. Benedictini Venetiis 1729 T. II 81: „ille (Ambrosius) sequutus adiecit: „„Quando hic (Mediolani) sum, non ieiuno sabbato; quando Romae sum, ieiuno sabbato““. 4. Subiecit enim papa exemplum ep. 78 supra p. 234.

786 anno ineunte Carolo regi Francorum et Langobardorum atque patricio Romanorum Hadrianus papa.

Prestolatos nimisque nobis obtabiles regales vestros suscepimus affatus per fidelissimum vestrum latorem atque missum, videlicet Andream religiosum abbatem[1]. Quos reserantes, repperimus in eis de vestrae precelsae regalis potentiae et conparis[2] subulibusque vestris seu cunctis precipuis vestris nostrisque fidelibus sospitate et incolomem ac sincerissimam prosperitatem. In quibus redemptorem mundi consuete referuimus grates.

Magis autem inibi de vestris Deo presidiatis regalibus triumphis conperientes: qualiter saevas adversasque gentes, scilicet Saxonum, ad Dei cultum suae sanctae catholicae et apostolicae ecclesiae rectitudinis fidei atque — Domino auxiliante, Petri Paulique apostolorum principum interventione suffragante — sub vestra eorum colla redacta sunt potestate ac dicione, eorumque optimatum subiugantes, divina inspiracione regalem annisum universam illam gentem Saxonum ad sacrum deduxistis baptismatis fontem[3]; unde nimis amplius divinae clementiae referuimus laudes, quia nostris vestrisque temporibus gens paganorum in vera et magna deducentes religione atque perfectam fidem vestrisque regalibus substernuntur dicionibus.

In hoc quippe freta vestra a Deo fundata existat potentia, quia[a] si[b], sicut pollicita est fautori suo beato Petro apostolo et nobis, puro corde atque libentissimo animo adinpleverit, maximas ac robustiores illarum gentium suis precipuis suffragiis vestris substernet pedibus; ut, nemine eos persequente[c], vestris regales subiciantur potentiis; et maximum fructum in die iudicii ante tribunal Christi de eorum animarum salute offerre mereamini dignissimum munus, et pro amore animarum[d] lucra infinita mereamini adipisci regnum[e].

Illud autem, quod vestra regalis intimavit excellentia: ut in uno mense vel in una die pro huiuscemodi opias[f], scilicet

a. q *c.* b. si *addidi.* c. persequentes *c.* d. marum *c.* e. *sic c.* f. *an* opibus?

1. quem Luxoviensem abbatem fuisse putant. 2. Fastradae. 3. anno 785.

stabilitatis vestrae victoriae, laudes Deo gerentes canere, una 786
vel duas ferias letanias peragere, valde enim in hoc nobis di- anno ineunte
lecta stabile[a] insistit. Quatenus[1] apostolica[b] exarantes censura decrevimus simulque omnibus nostris partibus, quibus sub dicione spiritalis matris vestrae sanctae Romane ecclesiae existunt, ilico celebrari una nobiscum disponentes emisimus Domino protegente, videlicet[c] vicesima tercia die seu vicesima sexta atque vicesima octava huius advenientis Iunii mensis, quod sunt inprimis vigilias beati Iohannis baptistae seu natalem sanctorum Iohannis et Pauli nec non et vigilias beati Petri apostoli. Similiter et vestra regalis potentia in suis dirigat universis finibus, seu transmarinis partibus ubi christiana moratur gens, instar perficiendum triduanas letanias. Et ideo talem protelatum emisimus spacium, propter tam longinquas christianas nationes ultra vestrum regale morantes regnum.

Nos quippe non solum unam vel duas, ut nobis insinuastis, celebrandum letanias praevidimus; sed etiam, pro vestra ut soliti sumus indesinenter orare excellentia cupientes, decrevimus perficiendas et redemptori mundi canentes laudes ipsas gentes, quae per vestrum regale certamen ad christianam perducte sunt fidem, [d]usque in aevo per vestrum maneant adminiculum; et nostris vestrisque finibus omnes repelli faciat egritudinis morbos, et procul eiciat pestilentiam; ut, nostris vestrisque diebus populus nobis a Deo commissus in magna degentes ubertatis affluentia simulque sincerissimae sospitatis letitia, longiori aevo una cum domna[e] regina vestraque nobilissima prole mereamini regni gubernacula perfrui et in aethereis arcibus sine fine regnare; ut per vestra laboriosa[f] certamina magis magisque spiritalis mater vestra sancta Romana ecclesia maneat exaltata.

Incolomem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

a. *sic cod.* b. apostolico *c.* c. videlicet *prima manu superscriptum est.* d. ut *excidisse videtur.* e. dom *c.* f. raborasa *c.*

1. Quapropter.

81. *Hadrianus I papa Carolo regi respondet, Saxonibus ad paganismum reversis pro culpae magnitudine poenitentiam a sacerdotibus constituendam esse*[a]. (Cod. 80, Cen. 85)

786 c. Iul. Domino excellentissimo filio nostroque[b] spiritali compatri Carolo regi Francorum et Langobardorum ac patricio Romanorum Hadrianus papa.

Vestre a Deo protectae regalis excellentiae suscipientes missos, scilicet Ittherium[1] et Magenarium[2] religiosos abbates, sciscitati sunt nos interrogantes de Saxonibus, qui christiani fuerunt et ad paganissimum reversi sunt, qualem penitentiam eis sacerdotes[c] iudicare debeant.

Hoc[d] predecessorum nostrorum sanctorum pontificum dudum decretum est: *quod, qui resipiscentes et ruinas suas cogitantes redire maluerint, sub longa penitentiae satisfactione admittendi sunt*[3]; et iterum: *penitentiae satisfactione purgentur, quae non tam temporis longitudine quam cordis conpunctione*[e] *pensanda sunt*[4]. Et ideo[f], excellentissimae et a Deo protecte fili, oportet: sacerdotes partibus illis pastorali circumdari sollertiam atque episcopalem induere vigilantiam; et in eorum arbitrio indici poenitentiam, considerantes piaculum tam voluntatis quamque extra voluntatem coacti ad suum revertentes vomitum, et tunc canonica promere sententia; quatenus, si veraciter reversi

a. *ex cod. f. 77—77v; ubi huic epistolae praemissum est lemma, ad epistolam* 69 *supra p.* 217 *pertinens, hoc pacto:* Item exemplar epistolae eiusdem papae ad domnum Carolum regem directa, in qua continetur de abbate venerabilis monasterii sancti Vincentii, qui aput domnum regem insons accusatus fuerat et inde ablatus, ut eum venusto vultu ac vibrantissimo animo clementissime susciperet; quia falsa crimina ei obbiciebantur. b. nr̄oo *c.* c. sacerdostes *c.* d. *sequitur* a *erasum in cod.* e. conpuctione *c.* f. idie *c.*

1. abbatem S. Martini Turonensem. 2. qui coenobio S. Dionysii Parisiensi abbas praefectus erat post Fulradum, die 16 Iulii 784 defunctum. Eundem Maginarium abbatem die 1 m. Iulii a. 786 Romae fuisse scimus; v. Regesta pontificum Romanorum n. 1886. 3. Dionysii Exigui coll. can., Decreta Innocentii papae cap. 15 (Codex canonum vetus ecclesiae Romanae, 1609 p. 342): „hi, si resipiscentes et ruinam suam cogitantes redire maluerint, sub longa poenitentiae satisfactione admittendi sunt". 4. Dionysii Exigui coll. can., Leonis I cap. 46 (l. l. p. 475): „ut poenitentiae — pensanda sunt".

in fide orthodoxa maluerint perseverari — promissuros se omnem 786
adimpleri episcopalem praedicationem; indiculum orthodoxae fidei c. Iul.
exarantes secundum olitanam patrum tradicionem; unum confitentes baptismum; sub iusiurandum pollicentes, fidem christianitatis[a] servaturos — in gremio suscipiantur orthodoxae fidei ecclesiae; ut copiosa merces vobis adscribatur in caelis.

Incolomem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

---

82. *Hadrianus I papa Carolum regem hortatur, ut maiores trabes, quibus ecclesiae reficiantur, et stannum ad tegendam S. Petri ecclesiam exhiberi sibi iubeat. Addit de Arighis ducis Beneventani inimicitiis cum Neapolitanis et Amalfitanis*[b]. (Cod. 66, Cen. 87)

Domino excellentissimo filio nostroque spiritali compatri 781—786
Carolo regi Francorum et Langobardorum atque patricio Romanorum Hadrianus papa.

Sepe vestrae a Deo protectae regalis potentiae poscentes direximus[1]: ut pro mercaede anime vestrae trabes maiores ad ecclesias Dei restaurandas per vestrum regalem praesidium emittere iuberetis. Et nullum ab illis, quibus preceptum est, suscepimus effectum. Quatenus[2] et ipsas ecclesias, in quibus nobis trabes maiores necessarie sunt, ex parte ruerunt, et alias rui conspicimus. Et ipsas trabes praestolantes, quid agere nescimus; et pro hoc in magna tristitia degentes existimus. Quapropter obnixe vestram triumphatorissimam excellentiam poscentes quaesumus: ut nulla deinceps eveniat mora. Sed per vestrum a Deo protectum regale dispositum nobis ipsas trabes maiores celerius emittere precipitatis; ut nullo[c] modo qualibet neglectum ponere audeant. Quia freti prorsus existimus, quantas ecclesias

a. christianitates *c.* b. *ex cod. f.* 67—67*v.* *Lemma:* Item exemplar epistolae eiusdem papae ad domnum Carolum regem directa, in qua continetur de trabes maiores ad eclesias restaurandum, quas domnus rex ei dare preceperat; et ipsi actores neglegentes nihil exinde, sicut eis a iam dicto rege iniunctum fuerat, fecisse dicit; et de stagno ad ipsam ecclesiam sancti Petri recooperiendum. c. nollo *c.*

1. V. ep. 67 supra p. 210. 2. Quapropter.

781—786 Dei ex ipsas trabes restauratas fuerint, in vestrum sempiternum memorialem seu domne reginae[1] vestrisque nobilissimis subolis restaurantur. Quapropter poscimus, ut vestrum proprium idoneum missum dirigere iubeatis, qui ipsos actores, qui pro iam dictas trabes neclectum ponere ausi sunt, distringere debeat, ut ipse nobis eas tradere per vestrum dispositum studeat; ut exinde magnam, ut fati sumus, recipere valeatis mercedem.

Porro et hoc vestrae regali potentiae innotescimus: quia Arighis Beneventanus dux iusticias quas de hominibus suis quaerente exercitabit[a] super Amalfitanos ducati Neapolitani et, undique eos circumvallans, incendit omnes possessiones eorum atque habitacula foris posita. Quo audito, Neapolitani direxerunt in adiutorium ipsorum plures homines; et exinde[b] super eos interfecerunt plurimam multitudinem ducati Beneventani; unde cum ceteros plures et inde optimates captivos apud se habent. Quod in his vero partibus actum est, vobis enucleatius enuntiare festinavimus.

Simili modo et hoc recordari credimus vestre a Deo promotae precellentiae: qualiter pro amore beati Petri clavigeri regni caelorum et eiusdem ecclaesiae restaurationis, pro ipsius aule tectae, vestra[c] excellentia nobis est pollicita dirigere stagni[2] libras mille. Simili modo et Ittherius, vester fidelissimus[d], per vestrum eximium dispositum similiter alias mille libras dirigere promisit. Pro quo poscens petimus vestrae regalis precellentiae: ut ipsum stagnum nobis per vestrum bonum dispositum dirigere iubeatis. Quia ipsa ecclesia fautoris vestri beati Petri tempus verni ab aquis nimis invalescit; et, unde eius aulae tecti restaurare, minime habemus. Sed obnixe petimus: ut per comites vestros, qui in Italia sunt actores, ipsum iam dictum stagnum dirigere iubeatis, per unumquoque comitem libras cen-

a. *sic.* b. *sic est correctum in cod.* exigtes. c. vestre *c.* d. missus *excidisse videtur.*

1. haec cum nec „spiritalis commater“ nec „spiritalis filia“ vocetur, utrum Hildigarda an Fastrada sentienda sit nescimus. Cf. supra p. 7.
2. stanni.

tum; ut dignam pro hoc ab ipso Dei apostolo retributionem 781—786
suscipere mereamini.

Incolomem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

---

83. *Hadrianus I papa Carolo regi scribit, se eius mandata exsecuturum esse. Missam crucem in ecclesia collocatam nuntiat. Addit de finibus Populoniensibus et Rosellensibus atque ducatus Beneventani civitatibus per nuntios sibi tradendis*[a][1]. (Cod. 31, Cen. 88)

Domino excellentissimo filio nostroque spiritali compatri 787
Carolo regi Francorum et Langobardorum ac patricio Romanorum Hadrianus papa. post Apr.

Praerectissimos atque nitissimos Deo dicatae regalis praecelsae scientiae vestrae mellifluos suscepimus versos. Quos reserantes atque singillatim relegentes, eorum robore cum nimio ampleximus amore. Et procul dubio vestra credere dignetur regalis potestas, quia omnino, sicut per eos innotuistis, a nobis in omnibus perficietur. Teste enim invoco Deo, cui servio in spiritu meo, quod sine intermissione die noctuque semper memoria vestri facio; in orationibus meis obsecrans tam pro vestra in triumphis regali victoria et perpetua stabilitate quamque pro sanctae memoriae genitoribus vestris, simul coniugis vestrae domnae Hildibrande[2] reginae, filiae et spiritali

a. *ex cod. f. 77v. Lemma:* Item exemplar epistolae eiusdem papae ad domnum Carolum regem directa, in qua continetur gratiarum actiones seu benedictiones pro cruce, qua(m) ei miserat; et de territorio Populoniense seu Rosellen(se), ut domnus rex suos idoneos missos dirigeret, qui sub integritate ipsas civitates cum suburbana earum ei contra(de)re debuissent.

1. Hanc epistolam anno 787, postquam Carolus Romae (die 8 m. Aprilis) fuit, non multo ante ep. 84 quae infra invenitur, datam esse, ex ambarum epistolarum de Populonio et Rosellis et civitatibus Beneventanis consensu facile animadverti potest. Hac enim ep. haec petiit Hadrianus: „ut idoneos missos suos dirigere iubeat, qui nobis contradere debeant fines Popolonienses“ cet.; in ep. 84 autem legimus haec: „missis vestris (Roroni et Bettoni) dirigere dignemini, ut nullo modo ad vos remeari audeant, nisi prius sub integritate civitates .... contradere valeant“ cet. 2. Hildigardae, die 30 Apr. 783 mortuae.

787 post Apr. commatri nostrae. Et nempe eorum memoriale non derelinquetur in eternum.

Crucem, quam nobis misistis, in sanctam nostram ecclesiam recondentes, vestra memoria in eternum in ea manebit.

De sospitate enim nostra, quae vestra regalis cupit audire clementia, omnia erga nos Deo faventae prospera existunt. Quia et nos de vestra regali salutae atque victorias crebro audire desideramus; quoniam vestra salus nostra est.

Et hoc magnopere poscimus et, sicut per anterioras nostras syllabas, vestram poposcimus regalem potentiam, ita perficere dignetur: ut idoneos[a] missos suos dirigere iubeat, qui nobis contradere debeant fines Popolonienses seu Rossellenses[b], sicut ex antiquitus fuerunt. Nam ex parte nobis ex ipsis finibus non tradidetur; sed quesumus: ut vestrae regalis oblationis donatio fine tenus maneat inconvulsa. Praesertim et partibus ducati Beneventani idoneos dirigere dignetur missos, qui nobis secundum vestram donationem ipsas civitates sub integritate tradere in omnibus valeant; ut ex hoc potissimam remunerationem una cum spiritale filia nostra domna regina[1] vestrosque precellentissimos proles ab ipso regni caelorum clavigero[c] beato Petro apostolo suscipi mereamini.

Incolomem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

---

84. *Hadrianus I papa Carolo regi respondet, Athalgisum Desiderii regis filium in Calabria esse cum imperatoris nuntiis. Suadet, ut retento Grimualdo, Arighisi ducis filio, copias in ducatum Beneventanum mittat. Addit de Athalberga Arighisi vidua. Petit, mandet nuntiis regiis, ut sibi de Populonio et Rosellis satisfiat civitatesque Beneventanae tradantur*[d]. (Cod. 90, Cen. 89)

787 ex.— 788 in. Domino excellentissimo filio nostroque spiritali compatri

a. ideoneos *c*. b. rolsellenses *c*. c. claviro *c*. d. *ex cod. f.* 84*v*—85*v*. *Lemma:* Item exemplar epistolae eiusdem papae ad domnum Carolum, in qua continetur de adventu Adalchisi partibus Calabriae; et ut Grimualdum in Benevento ducem non constitueret; et de civitatibus Beneventanis et Rosellis et Populonio. 1. Fastrada.

Carolo[a] regi Francorum et Langobardorum atque patricio Romanorum Hadrianus papa[b]. 787 ex. — 788 in.

Venientes ad nos fidelissimi missi vestri, scilicet Roro capellanus seu Betto, post vestram optabilem regalem sospitatem adnunciatam[c] sciscitati sunt nobis pro nefandissimo[d] Athalchiso, filio Desiderii tiranni[e] regis: si ita fuisset, quod — Deo sibi contrario — partibus Italie evenisset[f]. Nos vero nuper, quod de ipso protervo Athalchiso audivimus, per fidelissimum missum vestrum Aruinum comitem vobis intimare non obmisimus. Quia, pro vestra regali victoria Deo auspice tractantes[g], nullum neclectum ex omni parte ponimus, vestrae prefulgide excellentiae indicantes; ut, Domino opitulante atque beato Petro apostolorum principi comitante, precipua vestra regali providentia prudentissimam suamque[h] nostramque salutem procuret[i].

Sic enim de iam dicto nequissimo Athalgiso nobis nunciatum est: quia in veritate — Deo sibi contrario — cum missis inperatoris[k] [1] partibus scilicet Calabriae[l] residet[2], iuxta confinium ducati Beneventani; ut de et pro eius invalidum adventum Campulus episcopus civitatis Caietanae per suas nobis significavit syllabas. Similiter et de Pentapoli pro eiusdem[m] Athalgisi arrogantia nobis in scriptis intimaverunt. Quatenus[3] ob nimium vestrum amorem infra alios[n] misimus apices tam a Caaeta quamque Pentapoli[o] series nobis destinatas.

Nempe quidem scimus: quia[p] ipse iniquus et perfidus Adalgisus pro nulla alia causa in istis declinavit[q] partibus, nisi tantummodo pro vestra nostraque contrariaetatę. Unde oportet, ut

a. calo *c.* b. pa *c.* c. adnunciaonem *c.* d. nefandissimos *c.* e. tinanni *c.* f. evenisset *cod. ubi prima littera* e *erasa est.* g. tetractantes *c.* h. suamq; *cod., ubi* q; *erasum est.* i. procurreet *c.* k. interatoris *c.* l. cabriae *c.* m. eidem *c.* n. alio *c.* o. *inter* quamque *et* Pentapoli *littera* a *erasa esse videtur.* p. qui *c.* q. decrinavit *c.*

1. Constantini V. 2. Narrat Theophanes Chronogr. ed. Classen T. I 718 „Theodotum, maioris Longobardiae nuper regis filium“, i. e. Athalgisum Desiderii regis filium, ab Irene Constantini V imperatoris matre cum Iohanne sacellario et logotheta militiae in Italiam missum esse circiter mense Novembri indictione XII. At pro ind. XII (Nov. 788) scribendum erat ind. XI (Nov. 787). 3. Quapropter.

787 ex.— 788 in. firmissima vestra scara[a] partibus Beneventanis emittere vestra precelsa regalis excellentia niteat, ut undique per vestrum regale amminiculum inperturbati pariter maneamus.

Nos vero haec omnia considerantes, dilectissime nimisque amantissimae atque a Deo protectae prerectissime fili, nobis sic aptum esse videtur: ut, si[b] voluntatem vestram fecerint ipsi Beneventani, non ullo modo expedit, Grimualdum filium Arichisi[1] Benevento dirigere. Verumtamen, sicut vobis ab omnipotenti Deo nostro prudentissima sapiencia concessa est, ita sagaciter pro huiusmodi re pertractari atque congruae disponere iubeamini; ut ea, quae vobis nobisque expedibilia fuerint[c], ad perfectum salubriter veniant, ut non in quolibet labore pariter eveniamus.

Sed si ipsi sepius dicti Beneventani minime vestram regalem adimpleverint voluntatem, sicut vobis polliciti sunt, statim ibidem taliter exercita emittere studeamini, ut ad profectum sanctae nostrae aecclesiae vestraeque regalis proveniat[d] excellentiae. Et sic illis partibus disponatur, ut inimicus locum nocendi non inveniat; sed semper vestra in triumphis exultet in Domino regalis victoria. Enim vero una cum fidelissimis missis vestris pertractantes consideravimus[e]: ut, si minime ipsi Beneventani adinplere voluerint regalem vestram voluntatem, Kalendas Maias[2] vestra robustissima[f] hoste in confinio preparata super ipsos irruere Beneventanos inveniretur; et demum pariter penetrantes. In his confirmari pro aestivo temporis[g] egritudine non audebimus. Et iterum, si super eos Kalendas Maias usque in Septembrio mense exercita non evenerint, dubium nobis esse videtur, ut forte — Deo sibi contrario — predictus nefandissimus Adalgisus per insidias Grecorum non aliquam nobis vobisque conturbacionem facere moliatur. Quia[h] iam dicti missi Grecorum et cum eo esse noscuntur; et alii in Neapoli

a. sacra *c.* b. sive *c.* c. fuerunt *c.* d. preveniat *c.* e. considerantesus *c.* f. robustisima *c.* g. tempores *c.* h. q *c.*

1. mortui d. 26 Augusti 787. V. Chron. Salernit., Mon. Germ. SS. I 483.
2. anni 788.

residere videntur. Sed aec[1] existimantes in vestro robustissimo atque a Deo protecto regali arbitrio emisimus pertractandum[a]; ut, qualiter vobis placuerit, disponere celeriter dignetur, nobis intimante per suos regales affatos suam nostramque securitatis salutem. 787 ex.— 788 in.

Quapropter nimis poscentes quaesumus vestram prerectissimam excellentiam: ut nullo modo pro causa Grimualdi filii Arichisi credere plus cuiquam iubeatis quam nobis. Nam pro certo sciatis: quia, si ipsum Grimualdum in Benevento miseritis, Italiam sine conturbatione habere minime potestis. Eo quod Leo episcopus secreta nobis sic fatus est: quia Adalberga, relicta Arigihs, tale habet consilium, ut, dum ipse Grimualdus filius eius Beneventanis finibus introierit, ingeniose cupit duas filias suas secum deferri et quasi orationis causa in Sanctum Angelum in Gargario[2] pergere, et deinde in Tarantu ubi et thesauros suos reconditos habet. Quia tantum octoginta milia distat a Sancto Angelo usque Taranto.

Sed in hoc minime vestra a Deo promota excellentia considerari debeat, quod pro nostra aviditate aut ipsas civitates adquirendum, quas beato Petro apostolo et nobis condonastis, talia vobis insinuari studuimus. Sed pro magna securitate sanctae Dei catholicae et apostolicae Romane ecclesiae atque vestrae precelsae regalis exaltationis victoria ea, quae audivimus et agnosci potuimus, vestris regales auribus insinuare nullo modo negleximus. Vestra quoque regalis excellentia, qualiter ei placuerit et aptum prospexerit, in omnibus his disponere provideatur.

Quapropter magnopere poscentes vestram clementissimam regalem benivolentiam quaesumus: ut pro amore fautoris vestri beati Petri clavigeri regni celorum nostraque in Christo spiritali paterna dilectione clariter atque specialiter per vestros regales honorabiles apices missis vestris dirigere dignemini, ut nullo modo ad vos remeari audeant, nisi prius sub integritate civitates partibus Beneventanis, sicut eas per vestram sacram oblationem beato Petro apostolo et nobis contulistis, in omnibus contradere

a. pertractantes *c.* 1. haec. 2. Gargano.

787 ex. — 788 in. valeant, et iustitias de Populonio et Rosellas nobis facere sub integritate studeant. Quia sunt alii ex missis vestris, qui contemnere moliuntur et fedare vestram sacram oblacionem. Sed, sicut partibus Tusciae civitates, id est Suana Tuscana[1] Bitervo et Balneoregis[2] ceterasque civitates cum finibus et territoriis eorum, beato Petro offerentes condonastis, ita in eo modo civitates partibus Beneventanis contradere nobis protinus faciatis; ut, dum missi vestri[a] vestros susceperint regales firmissimos affatus, sine qualibet interposita dilatione nobis eas contradere sub integritate valeant; ut nullus sit, qui possit extingui vestrum inlibatum sacrificium, sed, hoc lucri potissimum premium adquirentes, digne mereamini[b] una cum spiritali nostra filia domna regina[3] vestrisque nobilissimis subolis in aethereis sine fine regnare arcibus.

Incolomem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

---

85. *Hadrianus I papa Carolo regi scribit, nuntios eius, cum Beneventum convenissent, Beneventanorum et Adalbergae insidiis coactos esse, Valvam fuga se recipere. Duos imperatoris spatharios cum Siciliae dispositore Salernum indeque Neapolim pervenisse. Beneventanos id agere, ut rem in aestiva tempora trahant. Curet, ut inimicorum consilia confringantur*[c]. (Cod. 92, Cen. 90)

788 post 22 Ian. Domino excellentissimo filio nostroque spiritali conpatri Carolo regi Francorum et Langobardorum atque patricio Romanorum Hadrianus papa.

Meminit vestra a Deo promota regalis excellentia, qualiter ad nos emisit fidelissimis missis, scilicet Attonem religiosum diaconum seu Goteramnum magnificum ostiarium. Et postergum[4]

a. uñs *c.* b. remeamini *c.* c. *ex cod. f.* 86*r* — 87*v*. *Lemma:* Item exemplar epistolae eiusdem papae ad domnum Carolum regem directa, in qua continetur de missis Grecorum cum diucitin, id est dispositore Siciliae, pos(t) reversionem Attoni diaconi missi domni regis a Benevento cum relicta Arichisi ducis consiliati sunt, qualiter ducato Beneventano a potestate praedicti regis per insidias substrahere potuissent.

1. Tuscanella. 2. Bagnorea. 3. Fastrada. 4. post tergum.

eorum ad nos evenerunt[a] videlicet Maginarius religiosus abba[1] 788
seu religiosus Ioseph diaconus. Qui nobis[b] fideliter intimaverunt post Ian. 22
ea, quae illis iniuncta habuit vestra prerectissima regalis potestas: ut secundum nostrum apostolicum consilium partibus Beneventanis ita peragerent.

Qui nostri presentia residentes prenominati quattuor missi, id est Maginarium religiosum abbatem seu Attonem et Ioseph religiosos diacones atque Goteramnum magnificum ostiarium — dum adhuc minime coniunxisset[c] nostris apostolicis optutibus Liudericus[d][2], qui cum prelato Maginario seu Ioseph ad nos missus fuit — tale illis prebuimus consilium: ut nullo modo se alterutrum separari; sed preeuntes Atto et Goteramnus[e] in oppido Valvae, ibidem expectarent tam Maginarium et Ioseph quam Liudericum, quem socii eius aput nos morantes expectabant.

Qui precedentes, scilicet Atto cum Goteramno, nullo modo nostris accommodaverunt[f] consiliis; sed, relinquentes penitus Maginarium seu Ioseph et Liudericum[g], abierunt[h] singulariter Benevento. Qui postergum eorum euntes, Maginarius cum Ioseph et Liuderico, in Benevento iam Attonem et Goteramnum nullo modo invenire valuerunt, eo quod in Salerno perrexerant ad[i] Adalbergam, relictam Arichis ducis. Qui dum Maginarius cum sociis suis a fidelibus vestris audissent, sicut nobis ipsi intimaverunt, eo quod infideliter peragerent, tam relicta predicti Arichissi ducis quamque ceteri Beneventani, erga vestram regalem excellentiam atque nostrum apostolatum iniqua atque adversa tractari non desinunt; fugam arripientes Maginarius cum Ioseph et Liuderico, una cum Goderamno, qui ad eos adloquendum venerat a Salerno, introierunt in finibus ducati Spoletini in prelato oppido Valvae; et ibidem morantur usque ad vestrum[k] regalem triumphum dispositum. Atto vero audiens, ut fertur, fugiens intus in ecclesia Salerno, pre timore eiusdem ecclesiae

a. erunt *c.* b. nobilis *c.* c. coniuxisset *c.* d. Lidericus *corr. in* Liudericus *c.* e. Goteteramnus *c.* f. accommordaverunt *c.* g. Lidericum *c.* h. abiierunt *c.* i. ad *addidi.* k. urām *c.*

1. S. Dionysii. 2. Liudericus comes. V. ep. 86 infra.

788 altare tenuit. Ipsi autem Beneventani eum suadentes, ut reor,
post Ian. 22 dissimulantes[a] mitigaverunt et ad[b] vestram excellentiam[c] fictae miserunt, se ipsos fideles in omnibus commendantes.

Et ob nimium suavemque amorem, quod erga vestrum invictissimum[d] gerimus regnum, nullo modo valemus pretermittere, liquidius de omni rei causas vobis insinuari. Venientes quippe ad nos de Capua, quae beato Petro apostolorum principi pro mercede anime vestrae atque sempiterna memoria cum ceteris civitatibus offeruistis, videlicet Gregorius presbiter seu Saductus Pergulfus Audemundus Haimo Landemarus Warnefridus Sigulfus Audualdus et Corbulus[e], intimaverunt nobis: quia, dum Atto diaconus ad vestram reversus est excellentiam, statim missi Grecorum duo spatarii imperatoris[1] cum diucitin[2], quod Latine dispositor Siciliae dicitur[3], in Lucaniae Acropoli descendentes[f], terreno itinere Salerno aput relictam Arachisi ducis peragrantes
Ian. 20 tercio decimo Kalendas Februarias pervenerunt. Qui ibidem
post Ian. 22 cum ipsis tres dies consiliantes, Beneventani post tercium diem usque Neapolim eos deduxerunt. Neapolitani vero cum magno obsequio cum signis et imaginibus eos suscipientes, Neapolim ingressi sunt pariter. Et usque actenus cum ipsis Neapolitanis atque Stephano, episcopo eiusdem Neapolitanae[g] ecclesiae, pertractantes existunt.

Sed vestra a Deo promota prerectissima regalis excellentia a Deo inspirata taliter pertractari debeat, ut suam et nostram in omnibus securitatem procuret. Et nulli hominum inanes fabulas attendat, neque muneribus suadere quispiam eam valeat; sed tantummodo pro exaltatione spiritalis matris suae sanctae nostrae catholicae et apostolicae Romanae ecclesiae suaeque regalis excellentiae et nostrae decertari niteat. Quia, ut arbitramur, ipsi Beneventani istius temporis verni transire mitigant, ut estivo tempore — Deo illis contrario — vobis in periurii

a. desimulantes *c.* b. ad *addidi.* c. ecclesiam *c.* d. iniunctissimum *c.* e. Corbolus *c.* f. descentes *c.* g. neapolitano *c.*

1. Constantini V. 2. dioeceten. 3. cum Theodoro patricio et stratego Siciliae. V. Theophanis chronographia T. I p. 718.

reatus incurrant. Sed vestra regalis potentia sic illis in triumphis preire satagat, ut et illorum protervia procul dubio inveniente sub pedibus suis conculcet, et sua exaltatione in toto profametur mundo tam de sua prudentissima regali victoria quamque de sacratissima oblatione, quae partibus ipsis Beneventanis beato Petro fautori suo puro corde ob nimium amorem atque sempiterna memoria condonavit. Qui, dum ipse claviger regni celorum beatus Petrus apostolus fautor et protector vester in integro vestram susceperit sacram donationis oblationem, digne valeamus in eius alma confessione tam pro vobis quamque spiritali filia nostra domna regina[1] vestrisque nobilissimis subolis fundi preces; ut, per multorum annorum curriculis in hoc mundo[a] regni gubernacula fruentes, in etheriis arcibus sine fine regnare mereamini. 788 post Ian. 22

Incolomen excellentiam vestram gratia superna custodiat.

---

86. *Hadrianus I papa Carolo regi de Baiuariis subiectis gratulatur. Duos imperatoris spatarios et Siciliae dispositorem Arighisi ducis causa missos esse, interim defuncti; eosdem consilio Beneventanorum Neapolim se contulisse, donec Grimualdus, per Attonem expetitus, advenisset. Nuntios regios propter insidias Benevento profugisse Spoletium*[b].

(Cod. 88, Cen. 91)

Domino excellentissimo filio nostroque spiritali compatri Carolo regi Francorum et Langobardorum atque patricio Romanorum Hadrianus papa. 788 post Ian.

Nectareos suavissimosque precelsos regales apices vestros cum nimio cordis suscepimus amore. Quos reserantes reperientesque vestram regalem sospitatem simul spiritalis filiae nostrae

a. mun *c.* b. *ex cod. f.* 82*v* — 88*v*. *Lemma:* Item exemplar epistolae eiusdem papae ad domnum Carolum regem directa, in qua continetur de Arachiso duce Beneventano; qui postquam rex Carolus a Capuana urbe revertisset, praedictus Arigisus Deo sibi contrari(o) apud imperatorem missos suos direxerat, petens auxilium et honorem patriciatus; cupiens fidem, quam pollicitus fuerat, irritam facere; promittens, se tam in tonsura quam in vestibus usu Grecorum perfrui.

1. Fastrada.

788 post Ian. domnae reginae[1] vestraeque nobilissimae prole salutis prosperitate, magnas omnipotenti Deo referuimus grates; qui vobis per intercessionibus beati Petri apostoli fautoris vestri, nobis velut inmeritis iugiter pro vobis exorantibus, indesinenter victorias ubique tribuet, et omnia circa vos salubriter disponet, tam marcas[a] quamque confinia.

Magis quippe de subiectione Baiuariorum[2]; sicut nempe prediximus et optavimus, ita et prestolantes audivimus de vestra precelsa regale in triumphis victoria.

Nempe quidem meminere credimus: qualiter vobis per anteriores nostras apostolicas emisimus syllabas[3] de Capuanis, qui ad nos venerunt per vestrum regalem adminiculum. Quatenus[4], dum ipsas nostras vobis emisissemus sillabas, post aliquantos dies prelatos Capuanos in confessione protectoris vestri beati Petri apostolorum principis iurare fecimus in fide eiusdem Dei apostoli et nostra atque vestrae regalis potentiae.

Et post actum sacramentum unus ex ipsis Capuanis, Gregorius presbiter, nobis repetiit secreti loqui; asserens: *Quia nullo modo iam quippiam celare possum, tale vobis prebente sacramentum.* Et dum a nobis enucleatius sciscitatus fuisset, retulit nobis dicens: *Quia dum domnus Carolus magnus rex*
787 *preterito anno*[5] *a Capuana urbe reversus fuisset, Arichis dux suus aput inperatorem*[6] *— Deo sibi contrario — emisit missos; petens auxilium et honorem patriciatus una cum ducatu Neapolitano sub integritate, simul et suum cognatum*[7] *Athalgisum cum manu valida in adiutorium dirigendi; promittens ei, tam in tonsura quam in vestibus usu Grecorum*[b] *perfrui sub eiusdem imperatoris dicione. Haec audiens autem imperator, emisit illi suos legatos, scilicet spatarios duos cum diucitin*[c][8] *Siciliae*[9],

a. marcus *c.* b. gregorum *corr. in* grecorūm *c.* c. dicit in *c.*

1. Fastradae. 2. die 3 Oct. 787 facta. V. Fragmentum annalium Chesnii, Mon. Germ. SS. I 33. 3. ep. 85 supra p. 258. 4. Itaque. 5. 787. 6. Constantinum V. 7. uxoris fratrem, Ital. „cognato“; Adalberga enim Arichisi uxor et Athalgisus fuerunt filii Desiderii regis. 8. cf. supra p. 258 n. 2. 9. Theodoro patricio et stratego Siciliae. V. supra p. 258 n. 3.

ferentes secum vestes auro textas, simul et spatam vel pectinae 787
et forcipes patricium eum constituendi, sicut illi predictus Arichisus indui et tondi pollicitus fuerat; petentes Rumualdum eiusdem Archigisi filium in obsidiatum. De vero Athalchisus eius cognato emisit ei dicens: „Qui aput illum non dirigimus; sed eum dirigimus cum exercito in Tervisio aut Ravenna".

Qui venientes[1], Dei nutu per suffragia apostolorum mali- 788 Ian.
gnancium consilia dissipata repperierunt; eo quod Arichiso duce vel ipsius filio Rumualdo[a] defunctus invenerunt[2].

Et dum ibidem Salerno Atto fidelissimus vester missus fuisset, Beneventani ipsis Grecis minime recipere voluerunt. Sed post reversionem predicti Attoni diaconi, tunc eos terreno itinere a finibus Grecorum deferentes Salerno receperunt. Et cum Athalberga relicta Arichis seu optimatibus Beneventanis tribus diebus[3] persistentes consiliati sunt; suadentes ipsi Beneventani predictos missos Grecorum, dicentes: *Quia nos apud regem Carolum emisimus*[b] *missos nostros, petentes ab eo Grimaldum ducem nostrum recipiendi; insuper et per Attonem diaconem, ipso nobis pollicente, rogum*[4] *emisimus: ut penitus eum ducem consequenter susciperemus. Sed propter hoc morari vos Neapolim convenit, dum usque ipso Grimualdo recipere possimus ducem. Et quod genitor eius Arigichisi minime valuit adinplere, Grimualdus eius filius, dum culmen genitoris sui adeptus fuerit, prorsus imperialem voluntatem cum omne dicione, sicut cum suo constitit genitore, in omnibus adimplemus, pariter nobiscum promissa explente.* Quapropter terreno[c] itinere usque Neapolim eos cum magno deduxaerunt honore — qui Neapolitani ipsos Grecos cum banda[5] et signa suscipientes[6] — ibidem degentibus, praedicte[d] rei prestolantes adventum, non desinunt una cum

a. filiorum ualdo *c.* b. emisimisimus *c.* c. terroreno *c.* d. predicto *c.*

1. Acropolim ante d. 20 Ianuar. 788. V. ep. 85 supra p. 258. 2. Rumualdus obiit die 21 Iulii 787, pater eius Arichis d. 26 Aug. 787. V. Chron. Salernitanum, Mon. Germ. SS. I 483. 3. d. 20—22 Ianuar. 788. V. ep. 85 supra p. 258. 4. rogationem. 5. bandum est vexillum. 6. Cf. ep. 85 supra p. 258: „cum signis et imaginibus eos suscipientes".

788 post Ian. Stephano episcopo et consentaneis[a] eius Neapolitanis adversa perpetrantes tractare; mittentes[b] ipsi Greci aput imperatorem, de obitu Arigisi filiique eius denunciantes. Et ab eo expectant consilium, quid agere debeant.

Sed in his omnibus, excellentissimae et a Deo protectae dulcissime fili, sollertissime regalis potentia vestra niteat pertractari tam pro exaltatione spiritalis matris vestrae sanctae Romane ecclesiae nostraque salute, quamque, Domino protegente beatoque Petro[c] clavigero regni celorum presidiante, pro vestro invictissimo regno in triumphis securitate.

Porro et hoc, sicut ipse Gregorius presbiter Capuanus nobis innotuit, de fidelissimis missis vestris, scilicet Magenario religioso abbate seu Ioseph et Liuderico comite atque Gotteramno hostiario. Qui, a Benevento reversi Spoletio, ideo exinde fugerunt, eo quod talem consilium Beneventani cum Neapolitanis et Surrentinis atque Amalfitanis habuerunt: ut foris civitate Salernitana iuxta mare vestros missos applicare facerent; et nocte repentino cursu super eos ruentes Beneventani pariter cum Neapolitanis, illos interficerent; et postmodum proferre, quia Neapolitani, quasi super ipsos Beneventanos venientes, existimantes sese Beneventanos, eos clam occiderent. Et prefati missi vestri, haec cognoscentes, coacti fugam arripuerunt, vestram exquirentes regalem inlusionem, quod, si ipsi missi vestri ivissent[d] Salerno, Neapolitani cum Amalfitanis et Surrentinis armati ibi absconsi fuerunt, ut inruerent cum Beneventanis super ipsos missos vestros occidendi. Quod nempe certi facti existimus[e], omnia eorum nequam[f] consilia ad nihilum rediguntur; eo quod talem amplissimam fidem atque ex intimo corde dilectionis amore erga beatum Petrum principem apostolorum et nos vestram regalem potentiam omnino habere agnoscimus. Et idcirco omnia vobis, sicut ipso Dei apostolum[g] die noctuque petimus suggerentes, subiciuntur et vestris prefulgidis regalibus plantis substernuntur.

Nostra vero sospitate, ut inquirendum direxistis, Domino

a. constantineis *c.* b. mittestes *c.* c. Petroque *c.* d. missi vestri ivissent *scripsi pro* missi vestri missi *c.* e. estismus *c.* f. neq; *c.* g. apst *c.*

coopitulante, vestram[a] omnino instar agnoscentes salutem, va- 788
lentes pro vobis non sinimus fundi preces, ut in hoc mundo post Ian.
regni gubernacula multorum curricula fruentes annorum, et in ethereis arcibus una cum domna regina vestrisque nobilissimis sobolis sine fine regnari mereamini.

Incolomem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

---

87. *Hadrianus I papa Carolo regi scribit, quantopere Grimualdus, Beneventum se invito dimissus, Capuae glorietur. Acceptas de Adalgisi et Graecorum insidiis epistolas mittit. Opem celerem petit. Nuntios eius queritur nec de Rosellis Populonioque nec de Beneventanis partibus exsecutos mandata esse*[b]. (Cod. 86, Cen. 92)

Domino excellentissimo filio nostro spiritali compatri Ca- 788
rolo[c] regi Francorum et Langobardorum atque patricio Romanorum Hadrianus papa.

Nectareas nimisque mellifluas regalis excellentiae vestrae suscepimus sillabas. In quibus agnoscentes vestrae sinceritatis salutem seu spiritalis filiae nostrae domnae reginae[1] vestraeque praecelsae prolae, et quod erga fines vestros Christo propitio prospera esse cernuntur, magnas omnipotenti Deo referuimus grates, qui nos de vestro regali triumpho crebro letos efficitur.

De vero apostolicas syllabas nostras, quas vobis emisimus primum quidem per Aruinum comitem postmodum vero per Roronem[d] et Bettonem[e] directas[2], et in vestris regales apicibus repperimus nobis exinde grates referri.

Prorsus nobis vestra regalis excellentia credere niteat: quia numquam voluimus, ut Grimualdus Arichis[3] Beneventano remeasset, nullum alium nisi propter inimicorum vestrorum atque nostorum machinationis insidias; sed verum etiam, sicut vestra

a. urā *c.* b. *ex cod. f.* 81—82. *Lemma:* Item exemplar epistolae eiusdem papae ad domnum Carolum regem directa, in qua continentur gratiarum actiones, et de Rosellis et Populonio et de civitatibus Beneventanis vel de insidiis Grecorum. c. Corolo *c.* d. sororem *c.* e. Bectonem *c.*

1. Fastradae. 2. ep. 84 supra p. 253. 3. Grimualdus filius Arichis.

788 promisit[a] nobis regalis excellentia, pro exaltatione atque defensione sanctae Dei ecclesiae et de vestro nostroque profectu. Quod vos, Domino opitulante et beato Petro apostolorum principi comitante, omnimodis illis creditis, cum summa virtutae agere. Procul dubio in his credimus — qui opus quod cepistis pro exaltatione spiritalis matris vestrae sanctae Romane ecclesiae fine tenus perficitis, et magis magis per vestra laboriosa certamina[b] exaltata manebit — quia pro huiusmodi vestrum regalem nomen in libro aeternae[c] vitae adscriptum est.

Illud autem, quod nobis vestra intimavit excellentia: quicquid de istis partibus conpertum habuerimus, sub celeritate omnia vestrae regali excellentiae significari niteremur. Emisit nobis Stephanus Neapolitanus episcopus[1] per suis apicibus diaconia iuris sanctae nostrae ecclesiae sibi concedi; inter quibus embolim posuit, significante nobis pro nefandi Adalgiso[d], filio protervi Desiderii, et pro insidias Grecorum. Simili modo et Campulus episcopus Kaietanus[e] per sua series ea ipsa nobis intimavit. Quatenus[2] pro nimio vestri[f] amore eundem embolim[3] atque epistolam[4] infra posuimus.

Sed taliter vestra precellentia demandare atque disponere iubeat: ut exercita a vobis demandata, ut nobis direxistis, preparata existant et, ubi nobis necessae fuerit, celeriter occurrere satagant.

Repperimus quidem in ipsis vestris apicibus embolim: quia de civitatibus partibus Beneventanis, quibus beato Petro apostolo et nobis devota obtulistis mentae, de Rosellas de Populonio Aruino duci iussistis, qualiter cum ceteris fidelibus vestris missis ita omnia complere debeant, sicut Deo placeat et beato Petro apostolo et nobis. Propterea in his pro vestra benivola excellentia non sinimus divinam exorare clementiam. Sed quid missis vestris contigit? Vestra noluerunt adinplere pro huiusmodi iussa,

a. promsit *c.* b. certaminia *c.* c. aetenae *c.* d. adadalgiso *c.* e. *cum scriptum esset* Kalletanus, *prior littera* l *erasa est, ut nunc legatur* Kaletanus. f. vestro *correxit prima manus in* vestri.

1. De quo cf. ep. 85 supra p. 258. 2. Quapropter. 3. Stephani episcopi Neapolitani. 4. Campuli episcopi Caietani.

neque de Rosellas et Populonio neque partibus Beneventanis. 788
Unde Crescentium[a] et Adrianum duces cum fidelissimis missis vestris partibus Beneventanis direximus, vestra regalia suscipientes vota; sed nulla alia illis tradere voluerunt nisi episcopia monasteria et curtes puplicas, simul claves de civitatibus, sine hominibus; et ipsi homines[b] in eorum potestate introeuntes exeuntes manere. Et quomodo nos sine hominibus civitates illas habere potuerimus, si habitatores earum adversus eas machinarentur? Nos quippe, in eorum libertate permanentes, sicut ceteris[c] civitatibus partibus Tusciae, donis vestris regere et gubernare eos cupimus, omnem eorum habentes legem.

Unde petimus vestram excellentiam: ut nullus hominum sit, qui vestra sacra vota inpediri valeat; et ne meliorem faciatis Grimualdum filium Aragisi quam fautori vestro beato Petro clavigero regni celorum. Eo quod ipse Grimualdus in Capua, presentes missis vestris, laudabat se dicente[d]: *Quia domnus rex precipit, ut, qui voluerit homo meus esse tam magnus quam minor, sine dubio esse tam meus quam vel cuius voluerit.* Qui, ut nostris evenit auribus, optimates Grecorum, in Neapolim sedentes, insultantes fremebant dicentes: *Deo gratias, quia eorum promissa ad nihilum sunt redacta.* Sed eorum cachinnas subsannationes pro nichilo reputamus; quamvis ipsi Greci referebant, quia missi apostolici iam duas vicis sine effectu reversi sunt.

Ecce enim huiusmodi re emittimus in servitio beati Petri apostoli cum vestris fidelissimis missis nostris, qui vobis omnia liquidius sugerere debeant. Et quesumus, ut taliter eos pro hac causa disponere iubeatis, ut fautor vester beatus Petrus apostolus secundum vestram sacram oblationem suscipiat effectum; ut hic et in futuro una cum domna regina[1] vestraque nobilissima prole existat retributor.

Incolomem[e] excellentiam vestram gratia superna custodiat.

a. crescentiḅ; *c.* b. et ipsi homines et ipsi homines *c.* c. sicut ceteris sicut ceteris *c.* d. dicentes *c.* e. Incomē *c.*

1. Fastrada.

88. *Hadrianus I papa Carolo regi exponit, non esse moris, ut, qui eligendo episcopo Ravennati intersint, a rege mittantur; sed addit, se patriciatum eius praeter caeteros observare et colere*[a]. (Cod. 71, Cen. 93)

788? Domino excellentissimo filio nostroque spiritali compatri Carolo regi Francorum et Langobardorum ac patricio Romanorum Hadrianus papa.

Directus a vestra insigne regale precellentia, videlicet Ermenbertus religiosus presbiter, inter responsionis suae verba obtulit nobis commemoratorium, ut asserebat vestre excellentiae exaratum, scilicet de electione episcoporum Ravennatis ecclesiae: quia, quando Sergius archiepiscopus obiit[1], in electione Leonis archiepiscopi fuerunt missi vestri Hucbaldus vel pares sui.

In hoc enim omnino valde vestram excellentiam meminere
769 credimus: quia, quando predictus Sergius archiepiscopus obiit, per suam arrogantiam Michaelius presumtor invadere ausus fuit ecclesiam Ravennatem et, per auxilium Desiderii sevissimi regis ipsam enormiter invadens, ecclesiam diu detinebat, et a suo proprio rectore destituta atque viduata manebat. Tunc ad decessorem[b] nostrum sanctae recordationis domnum Stephanum[2] papam predictus Hucbaldus a vestra directus[c] regale excellentia pro ceteris causis, ab eodem prelato domno Stephano papa per
770 vestrum a Deo roboratum regale adminiculum Ravennam missus est, eundem prefatum Michaelium invasorem ex ipsa Ravennatis ecclesia expellendum et hic Roma tamquam transgressorem sacrorum canonum deferendum[3].

a. *ex cod. f. 70 — 70 v, ubi lemmati est vacuum spatium relictum.* b. decessore *c.* c. direc *c.*

1. die 25 Aug. 769. Diem enim (8 Kal. Sept.) affert Rubeus Hist. Rav. p. 227; annus autem intelligitur ex Vita Stephani IV, in Vignolii lib. pontif. II p. 153. 2. IV. 3. Sed cf. Vita Stephani IV in Vignolii lib. pont. II 154: „tunc dum missi excellentissimi Caroli regis Francorum et patricii Romanorum praesentaliter adessent (Ravennae), dirigens ipse beatissimus praesul (Stephanus) suos missos, tam praedictos Francorum missos quamque omnes Ravennianos admonendo. Statim insurrexerunt super ipsum Michaelium et eum cum opprobrio de ipso episcopio proiecerunt. Quem vinctum huc Romam dirigentes“ cet.

Nam nos nullo modo meminimus: neque a depredecessoribus 788? nostris sanctis pontificibus, neque a sanctae recordationis precellentissimi genitoris vestri domni Pippini magni regis, neque a vestra in triumphis regali victoria missum ad electionem Ravenne[a] directum esse, tam in electione Iohannis[1] archiepiscopi quam in electione Gratiosi archiepiscopi eiusdem. Sed dum de hac luce contigisset migrari archiepiscopum civitatis Ravennantium, olitana tradicio clerus et pleps consistens sedis apostolice petebant inmutilata doctrina: quatenus, una concordia una eademque voluntas unoque consilio conglobati, apostolicam suscipientes admonitionem, talem sibi eligerent pastorem, qui nec a sacris canonibus respueretur nec ullo extra capitulo possit obsistere; qui cum iocundidate decreti, omnium manibus subscriptione roboratum, ad nostrae apostolicae sedes occurrebant, proprium sibi antestitem consecrandum. Sicut et nunc[2] canonicae factum est.

Sed his omnibus vestram suadentes regalem excellentiam quaesumus[b]: ut linguas[c] dolosas, quae adversus sanctam Romanam catholicam et apostolicam ecclesiam garrire simulant, procul dubio longe a vobis respuantur, et nullo modo labiis iniquis et dolosis credere iubeatis; quia, sicut in commonitorium illud referebatur, pro honore vestri patriciati[3] nullus homo esse videtur in mundo, qui plus pro vestra regale excellentia decertari molietur exaltatione, quam nostra apostolica assidue deprecatio. Et sicut in nostris precordiis nisibus totis ubique super omnes honoravimus et honoramus, ita amplius quam amplius honorem regni[d] vestri precellere omnibus, qui in mundo esse noscuntur, optamus. Veruntamen et de ipsa benivolentia, que in vestro gerimus culmen honoris, in universo intonuit mundo. Sicut nempe omnibus patet, quia die noctuque in con-

a. reuenne *c.* b. q̅s̅ *c.* c. lingus *c.* d. ita amplius honorem quam amplius regni *c.*

1. VIII. 2. in eligendo et consecrando Gratiosi successore; cuius quidem Gratiosi obitum non sine omni dubitatione ad d. 23 Febr. a. 788 referunt. Cf. Amadesii In antistitum Ravennatum chronotaxim disquisitiones II, 31. 3. Cf. supra p. 266 n. 3.

788? fessione fautoris vestri beati Petri, non sinimus fundere[a] preces: ut, una cum domna regina[1] vestraque precelsa[b] prole aevis temporibus in hoc mundo victores regnantes, in vita eterna sine fine regnare mereamini.

Incolomem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

---

89. *Hadrianus I papa Carolo regi musiva et marmora palatii Ravennatis concedit. De equis missis gratias agit; sed nobiliores equos desiderat*[c]. (Cod. 67, Cen. 81)

781—791 Domino excellentissimo[d] filio nostroque spiritali compatri Carolo regi Francorum et Langobardorum atque patricio Romanorum Hadrianus papa.

Praefulgidos atque nectareos regalis potentiae vestrae per Aruinum ducem suscepimus apices. In quibus referebatur, quod palatii Ravennate civitatis mosivo atque marmores, ceterisque[e] exemplis tam in strato quamque in parietibus sitis, vobis tribuissemus[2]. Nos quippe libenti animo et puro corde cum nimio amore vestre excellentiae tribuimus effectum, et tam marmores quamque mosivo ceterisque exemplis de eodem palatio vobis concedimus abstollendum; quia per vestra laboriosa[f] regalia[g] certamina multa bona fautoris vestri beati Petri clavigeri regni caelorum ecclesia cotidiae fruitur. Quatenus[3] merces vestra copiosa adscribatur in celis.

Suscepimus enim per eundem Haruinum equum utilem unum a vobis directum. Alius autem, qui cum ipso directus est, defectus in ipso itinere mortuus est. Unde ob vestram memoriam maximas referuimus grates.

Sed secundum nostrum amorem, quod ex intemo corde erga vestrum habemus praefulgidum regnum, tales nobis famosissimos

a. funde *c.* b. precelḷẹsa *c.* c. *ex cod. f.* 67*v* – 68. *Lemma:* Item exemplar epistolae eiusdem papae ad domnum Carolum regem directa, in qua continetur de·molivo atque marmore palatii Ravennatae civitatis; predictus papa domni reges dicioni, vel quicquid exinde facere voluisset, libenti animo se tribuere dicit. d. excelentissimo *c.* e. eterisque *c.* f. baboriosa *c.* g. regl̄ *c.*

1. Fastrada. 2. Cf. Einharti Vit. Caroli c. 26. 3. Quapropter.

emittite equos, qui ad nostram sessionem facere debeant, in hossibus atque plenitudinem carnis decoratos. Qui dum in omnibus aspectibus laudabiles existere valebunt, vestrum prefulgidum triumphis laudare niteant nomen; et pro huiusmodi rei, sicut soliti estis, dignam ab ipso Dei apostolo suscipere valeatis retributionem; ut, una cum domna regina vestraque nobilissima prole in hoc mundo regnantes, in aetheriis arcibus vitam aeternam adipisci mereamini. 781—791

Incolomem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

---

90. *Hadrianus I papa Carolum regem rogat, ut monasterio S. Hilarii Galliatensi ablata restitui iubeat*[a].

(Cod. 74, Cen. 80)

Domino excellentissimo filio nostroque spiritali conpatri Carolo regi Francorum et Langobardorum ac patricio Romanorum Hadrianus papa. 784—791

Novimus regalis excellentiae vestrae benignitati pro Domini amore atque beati Petri apostolorum principis, a quo meritis praeclara est dignitate ditata[b] ecclesia, et sicut amatrix[c] iustitiae unicuique suffragiis inpertire[d].

Quatinus[1] petentes quaesumus, ut pro eiusdem[e] beati Petri fautoris[f] vestri amore nostraque paterna dilectione, sicut solita est vestra profulgida regalis potentia piorum locorum sollicitudine restaurationis iuvamina ferri, ita et in subiectis[g] monasteriis[h] spiritalis matris vestrae sanctae nostrae Romanae ecclesiae, quibus a vestra vibrantissima regali in triumphis precellentia concessi atque offerti sunt: scilicet monasterium sancti Ilarii confessoris Christi, qui positus est[i] in Calligata[2], una cum hospitales, qui per calles Alpium siti sunt pro peregrinorum susceptione.

a. *ex cod. f.* 73—73*v. Lemma:* Item exemplar epistolae ad domnum Carolum regem directa, in qua continetur de monasterio sancti Hilarii confessoris in Calligata; seu hospitales, qui per calles Alpium siti sunt in susceptione peregrinorum, ut a nulla magna parvaque persona invadere siniret. b. dītata *c.* c. amatris *c.* d. *ita corrupta sunt haec in cod.* e. eidem *c.* f. factoris *c.* g. iebiectis *c.* h. momonasteriis *c.* i. positus est *scripsi pro* pōs *c.*

1. Quapropter. 2. Galliata.

784—791 Poscimus: ut a nulla magna parvaque persona qualibet invasione atbrachium pati vestrae eximia sinat clementia; sed in omnibus pro monachorum Deo gerentibus laudibus atque susceptione peregrinorum iustitia illic conservare, sicut solita est, dignetur. Et invasionem, quam Gudibrandus dux civitatis Florentinae in eodem monasterio ingerit, in curte quodam Sasantino, territorio scilicet Florentino, arripiens ex ea inliciter plura peculia[1], quae illi minime pertinent abstollenda, emendare iubemini. Simulque terras, quas ex ipsa curte plures homines sine ratione abstulerunt, reddere vestra a Deo inspirata regalis potentia faciat. Et pro amore eiusdem regni caelorum clavicularii et nostro prefati monasterii missis, mitissimo vultu ac benignissima hilaritate eos suscipientes, iustitias, quas a vobis petierint, clementissime sicut soliti estis suscipientes effectum; ut, dignae pro ipsis monachis seu peregrinorum susceptione suscipientes mercedem, potius valeamus in confessione ianitoris regni caelorum pro vobis filiaque nostra domna regina[2] vestraque triumphatorissima prole divinam exorare clementiam, ut, hic aevis temporibus regni gubernacula fruentes, in aetheriis arcibus consortes cum ipso Christi confessore beato Hilario effecti inveniamini.

Incolomem excelentiam vestram gratia superna custodiat.

---

91. *Hadrianus I papa Carolo regi significat, monente Garamanno duce nuntio eius, Iohannem monachum debita poena liberatum esse. Hortatur, ne episcopos et presbyteros uti armis patiatur. Ostenta, Iohanni monacho facta, parvi aestimat*[a]. (Cod. 77, Cen. 79)

784—791 Domino excellentissimo filio nostroque spiritali compatri Carolo regi Francorum et Langobardorum ac patricio Romanorum Hadrianus papa.

a. *ex cod. f.* 75—76. *Lemma:* De episcopis vel presbiteris, ut non militarem[a] induerent arma sed spiritalem, id est ieiuniis et orationibus vacarent; seu de venalitate vel captivatione hominum, vel aliis inlicitis causis, quae a pravis homi(ni)bus perpetrata erant; seu de vesione Iohannis monachi, quae falsa vel inanis esse videbatur.

a. militatem *c.*

1. pecudes. 2. Fastrada.

Orthodoxe fidei plenissimos atque nectareos vestrae a Deo promotae regalis excellentiae suscepimus affatus. Quos reserantes[a], vestram a Deo promotam salutem ac[b] in triumphis victorias seu precellentissimae filiae nostrae domnae reginae[1] vestrisque precellentissimis filiis atque nostris vestrisque fidelibus sospitatem simulque sinceritatem reperientes, magnae omnipotentis Dei clementiae referuimus grates. 784—791

Illud[c] autem, quod nobis vestra innotuit regalis potentia per suum fidelissimum missum, scilicet Garamannum gloriosum ducem, pro Iohanne monacho atque presbitero — qui, sicuti in vestris referebatur regalis apicibus, de captivatione hominum et de aliis inlicitis causis, quae a pravis perpetrantur hominibus, vobis enuntiasset, ut Deo propitio per vestrum precelsum regalem dispositum corrigerentur vel emendarentur — quemadmodum nobis poposcit regalis potentia, libenti eum suscepimus animo; solito in omnibus vestris accommodantes votis.

Talem prorsus scimus vestram regalem excellentiam, quia in his nullius ambigit monitione: quia, Domino coopitulante beatoque apostolorum principe Petro pro[d] ipsa semper suffragante — veram predicationem orthodoxe fidei, quam ab eius suscepit ecclesia, inlesam atque inmobilem tenens ultroque inreprehensibilem — sine macula vibrans exultat atque in omnibus penitus fulget, et non desinit emendare saevos atque iniquos callidosque homines ab inlicitis actibus queruntur[e]; sed et captivos in sua propria reverti crebris fecit diebus.

Fatus quippe est nobis prelatus Iohannes monachus: quia dixisset vobis, ut omnis episcopus spiritalem teneret armam[f] et non terrenam. Quatenus[2], si ita est quia militaris induunt arma, hortantes vestrae notescimus a Deo protectam regalem excellentiam: ut nullo modo sic fieri permittat. Sed, quos secum[g] in quolibet deferri cupit loco[3], tam episcopos quam presbiteros,

a. seserantes *c.* b. at *c.* c. Ilud *c.* d. pro pro *c.* e. *sic.* f. armā *c.* g. sequm *c.*

1. Fastradae. 2. Quapropter. 3. qui episcopi et presbyteri regem iter facientem vel ad bella proficiscentem comitantur.

784—791 horthodoxae fidei galeamque salutis induti arma, orationibus vacare gnaviter studeant; ut, cuncto populo ea, quae pro salute anime sunt, seu aeternam vitam adipisci predicantes eorumque confessionem suscipientes, inreprehensibileter sacerdotalem gerant officium. Ceteri vero episcopi atque presbiteri, in eorum degentes ecclesiis, canonice unus quisque per vestrum regale robustissimum presidium suum valeant regere populum a Deo sibi commissum.

Porro de revelatione[a] eiusdem Iohannis monachi, sicut eius referebat locutio, vere fantassma esse existimatur. Dicebat enim: quia[b] vidit primis in somnis caelos apertos et dexteram Dei. Deinde vidit[c] postmodum somnium aliud: turrem magnam et descendentes[d] angelos; inter quibus vidit speciem hominis, alas habentes aquile, mortuumque essentem; et aliam speciem hominis, alas habentem columbe vivae et dicentem: *Quia hic est fides[e] christiana[f].* Absit enim a fidelium cordibus, ut fides christianorum mortua esse praedicetur. Nos enim speciem, aquile alas habentem, sicut a sanctis suscepimus patribus, Iohannem euangelistam[1] testamur, qui secreta caelestia hominibus predicat: *In principio erat verbum*[2] et cetera. In specie vero columbe Spiritus sanctus visus est[3]; nam numquam legimus speciem hominis alas columbe indutam. Quapropter nimis vestram laudantes firmissimam atque laudabilem fidem in hoc cognovimus, quia vos fantassma ipsas reputastis visiones.

In eo quod nobis pro eo vestra poposcit regalis potentia: ut[g] nequaquam a nobis condemnatus anathematizatus vel flagellatus fuisset, neque aliquam atversitatem ei facere debuissemus. Quatenus[4], in his omnibus vestram accommodantes regalem petitionem, in quantum necesse fuit, ipsum ammonuimus monachum atque in proprium suum locum inlesum absolvimus. Nam, si

a. revatione *c.* b. quia vidit *scripsi pro* quidit *c.* c. vidit vidit *c.* d. descentes *c.* e. filius *c.* f. xp̄p.ana. *c.* g. et *c.*

1. Cf. Apocal. 4, 7: „et quartum animal simile aquilae volanti"; et Berengaudi expositionem in apocalypsin (S. Ambrosii opp. Parisiis 1690, T. II append. p. 516): „ab antiquioribus nobis traditum est, ut per leonem Marcum intelligeremus — per aquilam vero Iohannem". 2. Ioh. 1, 1. 3. V. Matth. 3, 16. 4. Quapropter.

vestrum illi non profuisset regale adminiculum, ecclesiasticam 784—791
illi disciplinam canonice inferentes sicuti monacho giryllo[1], a nobis correctus et emendatus, monachicam regulam illi demonstrare inreprehensibiliter habuissemus. Ob nimium[a] vero amorem vestrum, cum magna patientia atque benignitate susceptus commonitusque ultro citroque divinis preceptis, in pace absolutus est.

Vestram regalem excellentiam una cum filia nostra precellentissima domna regina vestraque precelsa prole multorum annorum curriculis regni gubernacula perfrui divina faciat[b] clementia; ut in hoc mundo super omnes barbaras regnantes nationes, in ethereis[c] arcibus sine fine cum sanctis omnibus regnare mereamini.

Incolomem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

---

92. *Hadrianus I papa Carolo regi respondet, quod petierit, sacramentarium Gregorianum iam pridem, rogante Paulo grammatico, ad eum missum esse*[d]. (Cod. 82, Cen. 98)

Domino excellentissimo filio nostroque spiritali compatri 784—791
Carolo regi Francorum et Langobardorum ac patricio Romanorum Hadrianus papa.

Iter peragratum annectens limina beatorum principum apostolorum Petri ac Pauli, reverentissimus et sanctissimus

a. Obnium *c.* b. caciat *c.* c. etheres *c.* d. *ex cod. f.* 78. *Lemma:* Item exemplar epistolae eiusdem papae ad domnum Carolum regem directa, in qua continetur gratiarum actiones seu benedictiones pro exaltatione sanctae Dei ecclaesiae, et de sa(cra)mentorio exposita a sancto Gregorio[a] inmixtum, quatenus ei domnus rex poposcerat, per Iohannem monachum atque abbatem civitatis Ravennantium miserat[b].

a. Gregrorio *c.* b. misirat *c.*

1. an gyrovago? V. Regula S. Benedicti cap. 1: „Quartum vero genus est monachorum, quod nominatur gyrovagum, qui — hospitantur semper vagi et numquam stabiles et propriis voluptatibus et gulae illecebris servientes et per omnia deteriores Sarabaitis"; cap. 23: „Si quis frater contumax — vel in alio contrarius existens sanctae regulae — repertus fuerit, hic — admoneatur; si non emendaverit, obiurgetur publice —; si vero neque sic correxerit — excommunicationi subiaceat; si autem improbus est, vindictae corporali subdatur".

784—791 Hucbertus episcopus, desiderii sua vota adimplens, obtulit nobis praefulgidos eximiosque vestros in triumphis regales affatus. Quos cum nimio cordis amore reserantes atque relegentes, repperimus in eis vestram vibrantissimam ac mellifluam nobis destinatam salutem; sed, nimirum quod potius molem desiderantes prestolabamus, de vestra praecelsa regali in triumphis victoria atque sospitate, immo et cunctorum vestrum fidelium prosperitate pariterque et de profectu atque exaltatione spiritalis matris vestrae sanctae catholicae et apostolicae Romanae ecclesiae in ipsis vestris regalibus[a] mellifluisque speculantes apicibus. In his omnibus noster relevatus est animus, redemptori mundi referuimus grates; praecipuae satagentes in confessione clavigeri regni caelorum fautoris vestri beati Petri apostolorum principis non sinimus crebro subpliciter divinam pro vobis exorare clementiam. Tantam quippe de vestra regalem clementiam fiduciam utimur: quia, nos sive silentium sive poscentibus, pro profectu atque exaltatione spiritalis matris vestrae sanctae Romanae ecclesiae non sinitis decertari; ut, per vestra laboriosa certamina magis magisque permanens inrefragabiliter congrue exaltata, dignum vestrum adscriptum in libro vitae caelestis regalem memorialem prorsus in saeculum saeculi credere nitimini.

De sacramentorio[1] vero a sancto disposito praedecessori nostro deifluo Gregorio papa: immixtum vobis emitteremus. Iam pridem Paulus grammaticus a nobis eum pro vobis petente secundum sanctae nostrae ecclesiae tradicionem, per Iohannem monachum atque abbatem civitatis Ravennantium vestrae regali emisimus excellentiae.

Quatenus[2], obtantes pro vestra regali invictissima excellentia, eundem Dei apostolum vestrumque protectorem poscentes quaesumus: ut, semper ubique vos comitante, victores super omnes barbaras nationes efficiat, et una cum domna spiritali filia nostra excellentissima regina[3] vestraeque prosapiae nobilissima prole

a. regib; c.

1. s. Libro sacramentorum (S. Gregorii opp. ed. Benedictini T. III 1—240). 2. Itaque. 3. Fastrada.

longiori in hoc regnantes mundo, in vitam aeternam cum sanctis omnibus regnare[a] sine fine eius interventionibus faciat. 784—791

Incolomem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

---

93. *Hadrianus I papa Carolo regi Constantinum et Paulum duces de perfidia falso accusatos commendat, Paulumque ad aulam contendentem benigne recipi cupit*[b].

(Cod. 83, Cen. 94)

Domino excellentissimo filio nostroque spiritali[c] conpatri Carolo regi Francorum et Langobardorum ac patricio Romanorum Hadrianus papa. 784—791

Ut reor, dici non potest: quantum erga vestram a Deo concessam in triumphis potentiam atque regalem precellentiam noster ex intimo cordis[d] existit amor. Et ideo non sinimus nostros vestrosque fideles crebro vestrae commendari ample regali clementiae.

Quapropter, venientes nostris apostolicis optutibus representandi[e], scilicet[f] Constantinus seu Paulus ducibus, nostris vestrisque fideles, cum nimio merore cordis, intimaverunt nobis, quod auditum illis fuisset, vestrae regali potentiae a perversis hominibus gratis accusatos. Et dum nimis eos fideles erga beati Petri apostolorum principis vestri nostrique servitium agnoscentes, idcirco unum ex illis, scilicet Paulum gloriosum[g] ducem, apud vestram triumphatorissimam regalem potentiam gratuito absolvimus animo. Sed nimis petentes poscimus vestram[h] a Deo institutam precellentiam: ut, sicut vester amor nostrum conplexus auxilium[i], ita eum benigne suscipere iubeamini et familiarem in vestram regalem potentiam commendatum habere dignemini.

a. regneri *c.* b. *ex cod. f.* 78v — 79. *Lemma:* Item exemplar epistolae eiusdem papae ad domnum Carolum regem directa, in qua continetur de Constantino seu Pa(u)lo ducibus ipsius apostolici, qui apud prefatum regem a perversis hominibus gratis accusati fuerant, ut unum ex ipsis, scilicet Paulum, eius obtutibus praesentandum miserat, postulans, ut benigne eum suscipere dignaretur. c. spiritale *c.* d. cordes *c.* e. reprehend̄ *corr. in* represend̄ *c.* f. scilicet scilicet *c.* g. gloriosum *c.* h. ur̄a *c.* i. axiliū *c.*

784—791 Meminere enim credimus vestram regalem excellentiam, qualiter in aula fautoris vestri beati Petri apostoli, praefatum Constantinum atque Romanum nobis commendare dignati estis, confirmantes procul dubio, ut nostri vestrique essent fideles. Quibus nempe subditos cum omni humilitate fideliter servantes vobis nobisque reperuimus; numquam in eorum vacillantes fide, sed proni in vestro nostroque servitio et amore semper manentes. Qui dum in omnibus eis vestras regales accomodaveritis[a] aures et ipsum prefatum Paulum gloriosum ducem regalem tuitionem circumvallatum aminiculum, fructum boni operis per eum suscipientes bonitatis effectum, ante beati Petri principis apostolorum corpus divinam pro vobis atque spiritali filia nostra excellentissima[b] domna regina[1] vestraque nobilissima prole exorare valeamus clementiam, ut, longiori aevo in hoc mundo regni gubernaculo fruentes, in vitam aeternam cum sanctis omnibus sine fine regnari mereamini.

Incolomem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

---

94. *Hadrianus I papa Carolo regi nuntiat, ad voluntatem eius se praecepisse, ut negotiatores Venetici ex agro Ravennate et Pentapoli expellerentur. Petit, ut ecclesiae Ravennatis possessiones, a Garamanno duce occupatas, reddi iubeat*[c].

(Cod. 84, Cen. 83)

784—791 Domino excellentissimo filio nostroque spiritali compatri Carolo regi Francorum et Langobardorum atque patricio Romanorum Hadrianus papa.

Ad aures clementissimae regalis excellentiae vestrae intimantes innotescimus: quia, dum vestra regalis[d] in triumphis

a. accomadoveritis *c.* b. cellentissima *c.* c. *ex cod. f.* 79. *Lemma:* Item exemplar epistolae eiusdem papae ad domnum Carolum regem directa, in qua continetur de Veneticis, ut de Ravenna seu Pentapoli expellerentur; nec non et de Garamanno duce, qui rebus vel possessionibus Ravennatis eclesiae violenter invasisset vel exspoliasset. d. regis *c.*

1. Fastrada.

victoria precipiendum emisit, ut a partibus Ravennae seu Pentapoliis expellerentur Venetici ad negotiandum, nos ilico partibus illis emisimus, vestram adinplentes regalem voluntatem. Insuper et ad archiepiscopum praecipiendum direximus: ut, in quolibet territorio nostro iure sanctae Ravennate ecclesiae ipsi Venetici presidia atque possessiones[a] haberent, omnino eos exinde expelleret; et sicuti ecclesiae suae iura manibus suis tenere. 784—791

Quid autem contigit Garamanno duci[1]? Subito inruit super predia et possessiones sanctae Ravennatae ecclesiae nostris territoriis sitae; et non solum eas occupavit, sed et omnes fruges a predicta abstulit ecclesia seu et de aliis piis locis. Nos quippe statim eum adhortari studuimus: ut, si fidelis[b] vester exstitisset, ipsas possessiones piorum locorum reddere prorsus non omitteret; quia et iure ecclesiae Ravennantium seu et aliorum piorum locorum esse videntur, et nostris territoriis sitae existunt. Ille vero nullo modo recordavit neque ipsas possessiones reddere voluit, sed inliciter eas detinere conatus. Quapropter poscentes vestram in triumphis regalem potentiam quaesumus: ut pro amore fautoris vestri beati Petri apostolorum principis nostroque paternae dilectionis talia illi agere non sinatis. Sed per vestram clementissimam[c] regalem preceptionem eum exinde expellere omnino dignemini; ut et nostra territoria per vestram regalem tuitionem intacta permaneant et, quicquit infra ipsa territoria esse noscuntur, inrefragabiliter a piorum locorum possessa eorum iura fruantur. Quem ad modum vestra in triumphis victoria una cum domna regina[2] vestraque nobilissima prole hic et in futuro sine fine regnare mereamini.

Incolomem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

a. posesisiones *c.* b. fideles *c.* c. clemmentissimam *c.*

1. de quo v. ep. 91 supra p. 271. 2. Fastrada.

95. *Hadrianus I papa Carolo regi scribit, Erminbertum episcopum Bituricensem, sicut mandasset, archiepiscopum constitutum et pallio decoratum esse*[a]. (Cod. 87, Cen. 86)

784—791 Domino excellentissimo filio nostroque spiritali compatri Carolo regi Francorum et Langobardorum ac patricio Romanorum Hadrianus papa.

Directus a regali potentia vestra reverentissimus et sanctissimus vir, scilicet Erminbertus episcopus, nostrisque adpresentatus apostolicis aspectibus, obtulit nobis precelsae excellentiae vestrae sagacissimos atque honorabiles regales affatos. Quos cum nimio amplectentes[b] amore, regi regum, in cuius potestate sunt omnia regna mundi, gratias egimus, qui nos de vestra inclita sospitate letos crebro efficitur; eo quod per huius mundi regni celestium magis ambire atque hereditare concedit per beatum Petrum apostolorum principem, de sevitia adversariorum triumphantes.

Repperimus quippe in ipsis regales affatibus vestris: ut prelato Ermenberto episcopo palleo sacerdotalibus infulis decorato ex apostolice auctoritatis concederemus; quia civitas metropolis in Aquitania videtur esse patria, que Bituricas nuncupatur, ubi nunc prefatus venerabilis vir preesse dinoscitur curamqne pastoralem devotus exercere videtur.

Quatenus[1] — ignorantes, si canonice provinciae partibus illis iam ordinate tam a predecessoribus[c] nostris quamque a nobis fuisset — enucleacius eum indagari[d] curavimus; nec usurpationis locus aliquid sacerdotes in alterius concedatur. Qui prefatus sanctissimus vir nobis confessus est: ut sub nullius archiepiscopi iurisdicione esse videretur.

Quapropter pro nimio vestro regali ex intimo cordis amore predicto Ermenberto a nostra apostolica sacratissima sede at-

a. *ex cod. f.* 82—82*v*. *Lemma:* Item exemplar epistolae eiusdem papae ad domnum Carolum regem directa, in qua continetur gratiarum actiones pro exaltatione sanctae Dei ecclesiae; et de ho(no)re pallii sacerdotalis concessi Ermenberti episcopi. b. amplectes *c.* c. a depresoribus *c.* d. indegari *c.*

1. Quapropter.

que auctoritate archiepiscopus constitutus in metropolitanam civitatem, quae Bituricas cognominatur, sicut dudum mos extitit, sub iure sanctae recordationis[a] ecclesiae degente usu pallii concessimus fruendi. 784—791

Et ideo quesumus, ut per vestrum precelsum regalem amminiculum ministerium sibi commissum dignae sibi valeat canonicae dispensare, sacerdotali moderamine suscipiente effectum. Qui, dum plebe sibi concessa ab insidiatoribus inconvulsa atque intacta permanserit simulque a vestro regali culmine tuta fuerit, ab ipso clavigero regni celorum beato Petro apostolo dignam mereamini suscipere retribucionem; ut una cum excellentissima et spiritali filia domna regina[1] vestrosque precelsos suboles redemptor omnium Dominus longo ac prospero senio amplius exaltati regni gubernacula[b] faciat perfrui, et vitam aeternam pariter vobis tribuat possidendam.

Incolomem excellentiam vestram gratia superna[c] custodiat.

---

96. *Hadrianus I papa Carolo regi nuntianti, mendacem esse rumorem: se ab Offa rege Merciorum de removendo Hadriano papa admonitum esse, respondet, sese fabellam hanc neque audiisse nec, si audiisset, crediturum fuisse*[d].

(Cod. 89, Cen. 95)

Domino excellentissimo filio nostroque[e] spiritali compatri Carolo regi Francorum et Langobardorum atque patricio Romanorum Hadrianus papa. 784—791

Sagacissimos nectareosque a vestra precipua regali in triumphis potentia[f] directos suos suscepimus liquidos affatos. Quos cum nimis solito reserantes amore, ea, que iugiter prestolabamur, agnosci prius conceperimus, scilicet de inclita sos-

a. *sic.* b. gubernaculi *c.* c. superna superna *c.* d. *ex cod. f.* 83*v* — 84*v*. *Lemma:* Item exemplar epistolae eiusdem papae ad domnum Carolum regem directa, in qua continetur de missis Offae regis Anglorum, qui simul cum missis praefati regis Caroli Roma properarent; et qualiter praedictus papa ipsos missos Anglorum honorabiliter suscepisset, quemadmodum ei praedictus rex Carolus per suos legatos mandaverat; seu et de aliis capitulis. e. filioque nostro *c.* f. potenticia *c.*

1. Fastrada.

784—791 pitate atque prosperitate vestra simulque spiritalis filiae nostrae domne reginae[1] tam de praecellentissima vestra regale prole quam de cuncta eiūs fidelissima familiaritate. Sicut enim a vestra regali clementia fertur, quia[a] magnum habet desiderium, ut frequenter per nostros apostolicos apices aut per missum, qualiter erga nos esse decernitur, intimaremur, ita potius crebris nos adsiduae sistimus desideriis inhianter audire tam per vestram regalem exarationem quam per precipuum vestrum missum de vestra in triumphis victoria atque prosperitate, immo prefate domne reginae simulque vestris nobilis subolis pariterque cunctis fidelissimis vestris subiectis sinceritate atque incolomitate. Nempe quidem credere dignemini, quia nullo modo nostra apostolica sinunt suffragia in confessione beati Petri clavigeri regni celorum divinam pro vobis exorari clementiam. Quia prorsus cerciores sumus, quod non desinit vestra prerectissima regalis benivolentia pro exaltatione matris[b] suae sanctae Romane ecclesiae, quae est caput omnium ecclesiarum, et nostra apostolica paterna prosperitate penitus annisu tractari; sicut olim sanctae recordacionis genitoris sui domni Pippini almi regis normam suscepit. Quia, sicut cepit, fine tenus immutilate perfecit. Cuius adepti doctrina celsiorem per suffragiis apostolorum et nostris assiduis intervencionibus vestra in omnibus existit regalis potentia.

Porro in ipsis regales apicibus vestris referebatur: quod Offa gentis Anglorum rex[2] vestrae direxisset regali excellentiae significandum indiculum, ut aliqui emuli vestri ac sui ad nostra apostolica vestigia indicarent, quod idem Offa rex vobis suggereret, ut per suam videlicet adhortationem[c] atque suasionem nos a sede sancta dignitatis nostrae — quod absit — eicere deberemini et alium ibidem de gente vestra institueremini rectorem; quod valde nefandissimum ac contrarium in oculis vestris apparuit scriptum; et hoc omnino falsum esse a vestra excellentia pro certissimae dinoscitur, quia nec ipse Offa hanc hortationem minime vobis fecit et nullatenus in corde aliter

a. q̄[a] *c.* b. matres *c.* c. atbortationē *c.*

1. Fastradae. 2. rex Merciorum 757—796.

ascendit, nisi ut paternitas nostra per Dei misericordiam eius 784—791
temporibus sanctam Dei ecclesiam regere et gubernare valeat, ad profectum videlicet omnium christianorum.

Quibus nos omnino procul dubio de vestra regali potentia freti[a] existimus: quia erga[b] nostram apostolicam paternitatem eius benivola atque inexpugnabilis orthodoxaque[c] fides, fervens in Spiritu sancto quasi ignis ardens, precellens manebit; et nullo modo antiqui hostis versutia in qualibet heresi[d] concutere eam valebit contra catholicam apostolicamque orthodoxam fidem, sed sicut speculum sine macula[1] eiusdem[e] orthodoxae fidei nostraeque summe sedis verax fulgens defensor vibrantissimae in evo manebit.

Prelate vero inluvies assertiones, quas fateri aut dici nefas est, Offae regis, nos usque actenus talia minime audivimus. Sed neque nunc audientes credidimus: qui talia, si etiam ut absit paganus fuisset, perpetrare cogitasset. Quanto magis — a predecessoribus suis regibus semper subiecti in oboedientia atque fideli amore sanctis predecessoribus nostris pontificibus et nobis existentes — hec inaudita versucia incredibilis a nobis existimatur.

Attamen: *Si Deus pro nobis, quis contra nos?*[2] *Dominus mihi adiutor est, non timebo, quid faciat mihi homo*[3]; et iterum: *Dominus inluminatio mea et salus mea, quem timebo? Dominus defensor*[f] *vite meae, a quo trepidabo?*[4] Omnis[g] enim plantatio, quam pater caelestis plantabit, nullus eradicare[h] valebit[5]; quia: *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil*[6]. Nos quippe, vel inmeriti sedem apostolorum adepti, vice beati Petri principis apostolorum suscipientes ac tenentes[i] atque cuncto populo christiano nobis a Deo commisso regentes, non ab hominibus neque per hominem electi sumus sed per Iesum Christum

a. steti *c.* b. quia er *c.* c. orthodoxaq; *c., ubi* q; *erasum est.* d. heresim *corr. in* heresi *c.* e. eidem *c.* f. defersor *c.* g. Omni *c.* h. eredicare *c.* i. actenus *corr. in* actenuntes *c.*

1. Sap. 7, 26. 2. Rom. 8, 31. 3. Ps. 117, 6. 4. Ps. 26, 1. 5. Cf. Matth. 15, 13. 6. Ioh. 1, 3.

784—791 dominum nostrum vocati. In euangelio eius predistinati sumus, sicut vas electionis beatus Paulus apostolus docuit: *Quos prescivit et predistinavit*[1]; *quos praedistinavit, hos et vocavit; quos vocavit, hos et elegit; quos elegit, hos et glorificavit*[2]. Et iterum beatus Iacobus apostolus instruit et docet: *Omne datum optimum et omne donum perfectum de sursum est, descendens a patre luminum, aput quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio*[3]; *voluntariae genuit nos verbo veritatis*[4].

Et idcirco, velut[a] adamantem et silicem[5] propheticum confirmantes sermonem, nihil metuentes, non sinimus divinum verbum gentibus predicare; sicut scriptum est: *Speculatorem dedi te domui Israel; et audiens de ore meo verbum, adnunciabis eis ex me*[6]. Beati enim Petri clavigeri regni celorum precepta censuentes, predicari non sinimus regibus ac populis verbum veritatis atque vitae.

Pro cuius amore una cum fidelissimos missos vestros, ut nobis[b] direxistis, predicti Offe regis missos libenti animo suscipientes, congrue hilari vultu super eos pro vestra inclita excellentia respeximus, eorum explentes vota; quemadmodum gratias vestrae a Deo promotae regali in triumphis potentiae referri valeant. Quia solite nos vestrae satagimus adinpleri, sicuti et vos nostrae voluntati. Quibus usque in finem perfectae observantes, divina vos huius mundi regni gubernacula aevis temporibus una cum domna regina vestrisque nobilissimis filiis faciat perfrui maiestas, et in perpetuum cum sanctis omnibus triumphantes gaudere.

Incolomem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

a. voluit *c*. b. uobis *c*.

1. Rom. 8, 29. 2. Rom. 8, 30. 3. Iacob. 1, 17. 4. Iacob. 1, 18. 5. Ezech. 3, 9: „Ut adamantem et ut silicem dedi faciem tuam". 6. Ezech. 3, 17.

97. *Hadrianus I papa Carolum regem hortatur, videat, ne Langobardorum episcopi de dioecesium finibus inter se confligant, neve, qui monachicam vestem sumpserint, matrimonia capessant*[a]. (Cod. 94, Cen. 96)

Domino excellentissimo filio nostroque spiritali compatri 784—791
Carolo regi Francorum et Langobardorum atque patricio Romanorum Hadrianus papa.

Si in rebus secularibus suum cuique ius et proprius ordo servandus est, quanto magis in ecclesiasticis disposicionibus nulla debet induci confusio; ne ibi discordia locum inveniat, unde pacis debent procedere. Quod hac veneratione servabitur, si nihil potestati sed totum aequitati tribuitur.

Perlatum siquidem ad nos est: eo quod Langobardorum episcopi alter alterutrum invadentes opponunt periculum, simulque ecclesiastica[b] statuta enormiter deposcentes conantur invadere; et aliorum partes iniliciter detinentes, in pristino errore perseverare moliuntur. Olim quippe eorum gens in errore existens vestrae a Deo protectae regali potentiae servata est a talis malignis et infidelibus actis emendari; ut, unde gloriosiores[c] ceteris regibus eminetis, inde omnipotenti Domino, qui dat salutem regibus[1], perfectius placeatis et fidem, quam catholice et apostolicae per beatum Petrum apostolorum principem eiusque vicarium orthodoxae venerantes colitis, adiutricem in omnibus habere mereamini. Quapropter poscentes vestrae a Deo promote regali excellentiae quaesumus: ut, eorum errorem contemnentes, canonicae unus quisque suae diocesis sacerdotali moderamine tenere atque disponere officio ecclesiastico valeat. Et sicut terminos seculares per territoriis existunt atque in iudicio sub iure civitatis et dicionibus actoribus disponuntur,

a. *ex cod. f.* 87*v* — 88*v*. *Lemma:* Item exemplar epistolae eiusdem papae ad domnum Carolum regem directa, in qua continetur de diocesis vel parrochiis episcoporum partibus Italiae atque Tusciae, quas alterutrum invadentes, et de veste monachica, quam contra sanctos canones relinquentes, iterum secularibus vestibus induebant, et sibi inlicito matrimonio sociabant. b. ecclesiasti *c.* c. gloriosofes *c.*

1. Ps. 143, 10.

784—791 ita eiusdem[a] civitatis ecclesiae episcopo diocesis adque parrochiae esse non omittantur; ut, dum unus quisque episcopus per instituta sanctorum canonum atque predecessorum nostrorum pontificum sanctorum[b] privilegiorum sanccionum iura receperint, eorum parrochiae adque diocesis consignandum simul omni sacerdotali officii ministrandum, digne valeant per vestra a Deo instituta regali in triumphis ampla victoria precellentia fundi preces.

Porro et hoc vestram suggerentes regali excellentia, innotescimus errorem illum, qui inter eadem gente Langobardorum callide regnari in stupris et spurcicias diaboli non desinit. Semel quippe Deo se voventes et veste fusca monachico habitu induentes, iterum retrorsum revertentes, quod dici nefas est, saecularibus[c] vestibus circumferentes, inlicito copulari matrimonio perhibentur. Quatenus[1] pro hoc sepius ammonuimus, per Guntfridum et aliis gasindis vestris epistolas dirigentes Raginaldo et Raginbaldo: ut tam detestabilem[d] stuprum devitarent. Sed, ipsi nolentes adquiescere, per eorum contumatiam filia Ermenaldi, monachico habitu circumdata, suo nepoti nomine Nazario diabolica versutia[e] copulavit; et nostris apostolicis adortationibus adsensum tribuere noluerunt et, eorum adimplentes iniqua praesumtione, ministri diaboli effecti sunt. Et plures in Italia eorum imitari exempla[f] non desinunt.

Prorsus nempe freti existimus: quia pro hoc canonicis dispositionibus vestrum a Deo protectam regalem culmen inagnitum non esse credimus, qualiter de talia tetra conubia vetantes gladii ancipitis eorum sanctionibus feriuntur. Et idcirco petimus: ut nostris vestrisque temporibus canonice omni christiano populo nobis a Deo commisso tale inlicitum scelus emendetur, ut pro hoc vos amplius dignos cultores omnipotentis Domini demonstretis; quemadmodum ab omni errore christiano populo eruto valeat cum propheta clamare: *Domine, salvum fac regem; et*

a. eidem *c.* b. sacorū *c.* c. saecularibis *c.* d. detestabilitatem *c.* e. se *excidisse videtur.* f. expla *c.*

1. Itaque.

exaudi nos in die, qua invocaverimus te[1]. *Quia crebro in virtute tua letatur et super salutare tuum exultat vehementer*[2], *et fidem sanctae catholicae et apostolice Romane ecclesiae amplectens in aevo sine errore astruens cum sanctis omnibus permanebit.* 784—791
Nosque in hoc ovantes et gratias omnipotenti[a] Domino referentes eiusque divinam exorantes clementiam pro vobis[b]: ut, regni gubernacula longiori aevo una cum domna regina[3] vestrisque precellentissimis subolis fruentes, in aetheriis arcibus sine[c] fine regnare mereamini.

Incolomem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

---

98. *Hadrianus I papa Carolo regi respondet de Langobardorum episcopis, de Ermenaldi filia, de simonia, de contumacibus quibusdam Ravennatibus et Pentapolensibus*[d].

(Cod. 85, Cen. 97)

Domino excellentissimo[e] filio nostroque spiritali[f] compatri Carolo regi Francorum et Langobardorum ac patricio Romanorum Hadrianus papa. 784—791

Quanto amoris annisu pro vestro a Deo promoto ampliato regno fervescimus, tantum in eius prefulgida regali dulcedine firma stabilitatis constantia permanemus. Quanta enim iocunditatis leticia erga vestris triumphis regalis potentiis cor nostrum exultat, si sermonibus promere voluerimus, nulla ut[g] opinor scripture propagata sufficere valebit series. Neque ullus sermo explicari potest, qualiter, de vestras immensas victorias atque sospitate crebro prestolantes nuntiis, die noctuque penitus divinam pro vestra regali precellentia exoramus clementiam.

Quatenus[4] regales nectareosque vestros per fidelissimos missos suscipientes affatos, scilicet reverentissimum et sanctis-

a. omnipotente *c.* b. *sequitur rasura duarum fere litterarum.* c. fine *c.* d. *ex cod. f.* 79—81. *Lemma:* Item exemplar epistolae eiusdem papae ad domnum Carolum regem directa, in qua continetur de parrochiis episcoporum et de eorum sacratione, et de honore patriciatus domni regis, et alia capitula. e. excelentissimo *c.* f. spirita *c.* g. aut *c.*

1. Ps. 19, 10. 2. Ps. 20, 1: „Domine, in virtute tua laetabitur rex, et super salutare tuum exultabit vehementer“. 3. Fastrada. Cf. ep. 98 infra. 4. Itaque.

784—791 simum[a] Berneradum episcopum nec non Radonem dilectissimum protonotarium vestrum atque abbatem, repperimus in eos: vestris praecelsis memoriis pariterque filiae nostrae domnae reginae[1] vestraeque nobilissimi prole simulque omni populo vobis a Deo commisso nostris meminerimus orationibus. Freta prorsus quippe existat vestra a Deo promota regalis precellentia: quia inmensas pro vobis in confessione beati Petri fautoris vestri iugiter totis viribus nostris apostolicis suffragiis[b] ingementes fundimus preces, ut, ubique ipse princeps apostolorum vobis committantae, omnium adversantium colla sub vestris prosternat pedibus.

De nostra vero prosperitate, quam ut promitis gratissimam atque ineffabilem habere letitiam, sanctaeque spiritalis matris vestrae Romane ecclesiae sospitate[c] redundante — nam si aliter quod absit evenerit, sine vestra difficile est manere tristitia — nempe in his certi sumus, quia amat anima amante se, et dilectio conpagatus[d] nec dirimari umquam quispiam valebit. Eo quod vestra prosperitate nostra existit letitia, et nostra sospitate vestra credimus esse in evo iocunditate. Et dum iniqui ac procaces, qui adversus matrem vestram sanctam Romanam ecclesiam perverse moliebantur perpetrari[e], Domino cooperante caelorumque clavigero suffragante, per vestra laboriosa certamina demoliti ad nichilum redacti sunt, in veritate conperimus, quia, ut vestra regalis potentia depromsit, inlesa cum felicitatis gaudio permanens elevata exultat. Scriptum quippe est: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*[2].

De cuncta vero, qui per legatos et epistolas nostras vestra cognovit excellentia et ex parte per nostros respondit missos, in quibus et ore fari predixit, liquidius nobis omnia innotescentes, solito more benignae atque amabiliter eos audientes, accomodavimus aures. Et singillatim reddimus congruum aptumque responsum.

Repperimus quippe in ipsis regales apicibus vestris: nil

a. scantissimum *c.* b. fuffagiis *c.* c. sospe *c.* d. conpagat' *c.* e. perpetari *c.*

1. Fastradae. 2. Matth. 24, 13.

pro deminutione sanctae Romanae ecclesiae ac apostolatus nostri, 784—791
sed magis pro exaltatione et honore ministeriique[a] nostri servanda rectetudine vestra inquid excellentia; petensque, nullatenus iniquo ori ad eius mendatium preberemus adsensum; quia nec terrenarum facultatum ambicio vel quaelibet seductio hominum vos aliquando ab ea, quae beato Petro apostolo polliciti estis, separare[b] poterit, sed neque a nostra caritate vel firma dilectione. Procul dubio scimus vestram regalem potentiam, quia non pro deminoratione sed semper pro exaltatione spiritalis matris vestrae sanctae Romanae ecclesiae decertastis, et in omnem gentem divulgata, fine tenus dedita atque exaltata manebit. Potius autem nos quaesumus vestram regalem excellentiam: ut nullatenus ad subdolum hominem adque mendacem, sicut fertis, prebeatis adsensum. Qui si talem adversus nos mentiens inventus fuerit, nostris apostolicis obtutibus una cum missum vestrum dirigere[c] dignemini; et si mendax aparuerit, secundum suis perversis meritis puniatur. Sicut polliciti estis claviculario regni caelorum beato Petro, ita persistere dignemini. Quia nostra promissio inmutilata atque inconcussa sine quolibet manebit dolo.

Illud autem, quod fertis in nostris apicibus[1] repperissetis: pro dioceses Langobardorum episcopi alter alterius invadentes, inliciter tenentes, in pristino[d] permanerent errore; omnino, sicut vobis placabile est, secundum canonum instituta emendari conamur. Quia, alterutrum arripere anhelantes parrochia, in periurii reatum incurrunt. Langobardorum regum terminos atque censura servantes, procul observationis canonum in eorum transgressionem labentes[e], et iurgia atque discordia gignentes, in molem incedunt errores. Idcirco apostolica previdimus auctoritate, ut, sicut canonicae in decretis eorum consistunt, et quando a nobis ordinantur, olitana consuetudo proclamatur: *Clerus et plebs consistens ecclesiae civitatis illius elegerunt sibi episcopum illum*[2], sic parrochia eiusdem civitatis pre manibus teneat. Et

a. misteriique *c.* b. separere *c.* c. dirige *c.* d. pistrino *c.* e. habentes *c.*

1. V. ep. 97 supra p. 283. 2. In Ordine Romano VIII (cap. II 8)

784—791 si eorum decretas atque nostrae apostolicae ordinationis in scriptis canonicae promatur atque statuitur, cur non eiusdem[a] civitatis territoria[b], ubi ordinatus est, habeat in integro parrochia sua? Sed, terminos antiquorum[c] patrum transgredientes, eorum conantur inmoderatione atque inperita adinplere voluntate, iudicio sibi canonum committentes.

De vero filia Ermenaldi[1] — quae, vestae mutata, iterum postergum reversa, inlicito sortita est matrimonio — nostris directa, ut perhibuistis, obtutibus canonicae iudicandi. Prorsus minime ad nos properavit. Nos, omnium ecclesiarum pastorali cura habentes, divina predicari precepta non sinimus.

Immo de consecrationis vitio, quod partibus Italiae Tusciae heresis simoniaca fieri multisque locis non sinitur, etiam et Ravennantium ecclesiae civitatis, sicut missi vestri ut fertis vobis retulerunt, assolet fieri; unde multa pecunia[d] per talem nefandam dationem alienata esse cernuntur; ut, aurum et argentum iam non habentes, etiam ipsas res eclesiarum, per emphyteuseos manu conscriptas, existant alienatas, et per nefandam dationem afflicta et depopulata esse cernuntur. Absit enim a nobis: ut super tales viros, veritate conparta, manus consecrationis inponeremus. Sed nec audiendum aures inclinaremur, etiamsi qualibet nobis potestas tales acanonistos[2] viros poposcisset consecrari. Quia nunquam nos in qualibet electione nobis subiectis invenimus nec invenire habemus; sed neque vestra excellentia optamus in talia recumbere. Sed, qualis a clero et plebi cunctoque populo electus canonice fuerit, et nullus sit qui eum sacro obsit ordinae, solita tradicione ordinamus. Nos quippe, cum subscriptione decreti a cuncto populo roboratum electum

a. eidem *c.* b. territoritoa *c.* c. antiquuorum *c.* d. cunia *c.*

ap. Mabillon Musei Italici T. II p. 88 leguntur haec: „Dumque introductus fuerit (episcopus consecrandus), vocet eum domnus apostolicus: „„Cleros et plebs consentiens civitatis tal. cum adiacentibus parrochiis suis elegerunt sibi illum talem — diaconum vel presbyterum — episcopum consecrari““.

1. V. supra p. 284. 2. non canonicos, canonum spretores.

suscipientes[1], et ne videremur viduata morari ecclesia a proprio 784—791
rectore, sicut canonum instituta censuerunt, nostris apostolicis praesentiis ipsum deducentes electum, enucleatius eum de singulis indagantes capitulis, singillatim orthodoxae fidei atque divinorum voluminum interrogamus haberi peritiam. Et postquam nobis fidelem responsionem edixerit ceterisque olitanis capitulis, quae a sacerdotibus cavendi sunt, mundum se esse perhiberit[a], maximae de erese simoniaca obtestantes sciscitamus: *Vide, ne aliquam promissionem cuiquam aut dationem fecisses; quia simoniacum et contra canones est.* Et, dum coram omnibus a nobis interrogatur, respondit: *Absit.* Et nos inquid: *Tu videris; et si conscii*[b] *sunt, capiti eorum respiciat periculum*[2]. Unde simili modo sub iusiurandum in scriptis respondent, numquam se aliquid accepturos de manus inpositionis[3]. Quanta enim auctoritate[c] beato Petro apostolorum principi eiusque sacratissimae sedi concessa est, cuiquam non ambigimus ignorari; utpotae quae de omnibus eclesia fas habeat iudicandi, neque cuiquam liceat de eius iudicari iudicio. Quoniam quorumlibet sententiis ligata pontificum sedis beati Petri apostoli ius habebit solvendi; per quos[4] ad unam Petri sedem universalis ecclesiae cura confiueret et nihil umquam a suo capitae dissideret.

Inter ea repperimus in ipsis regales apicibus vestris exaratum: sicut preterito[d] anno vobis dreximus pro hominibus Ravinianis et Pentapolenses, de quos scripsimus, ut eos nobis

a. perhiberis *c.* b. concii *c.* c. actoritate *c.* d. peterito *c.*

1. In Ordine Romano VIII (cap. II 5) l. l. p. 86 sunt haec: „Dum a civitate et loco episcopus fuerit defunctus, a populo civitatis eligitur alius; et fiet a sacerdotibus clero et populo decretus, et veniunt ad domnum apostolicum". 2. In ordine Romano VIII (cap. II 6 et 7) l. l. p. 87 sic est: „Domnus apostolicus dicit: „„Videte, fratres, ne aliquam promissionem fecisset vobis; scitis, quod simoniacum et contra canones est"". Respondent „„Absit a nobis""; — Item interrogatur (episcopus consecrandus) a domno apostolico, si aliquam dationem aut promissionem fecisset; respondet: „„Absit"". 3. Cf. Cautionem episcopi in Libri diurni cap. III tit. 7. 4. „per quos — dissideret" provenerunt ex Dionysii Exigui coll. can., Decret. Leonis I cap. 41 (Codex canonum, Lutetiae 1609 p. 472).

784—791 dirigi[1], sicut Beneventano duci fecistis; et, ut fertis, de parte apostolatus nostri nihil mali sed magis quae bona sunt retulerunt; sed neque eis neque quolibet homini nullatenus in nostra adversitate praeberemini consensum; sed statim, si tales repperissetis, et hominem et causam ad nostrum iudicium mitteremini. Nos ab inicio et usque in finem talem erga vestram regalem excellentiam habemus fiduciam, quia pro nullo terreno homini ab amore et caritate beati Petri apostolorum principis nostraque dilectione, ut polliciti estis, receditis; quia et nos in ea, quam vobis polliciti sumus, fide usque in finem permanemus. Ipsi vero Raviniani et Pentapolenses ceterique homines, qui sine nostra absolutione ad vos veniunt, fastu superbiae elati, nostris se ad iustitias faciendum contemnunt[a] mandatis et nulla dicione, sicut a vobis beato Petro apostolo et nobis concessa est, habere dignantur. Tamen fidelissimi vestri prefati missi viderunt ipsos Ravinianos, quos vobis praesentaverunt, qualiter nobis in superbia existerunt. Sed quaesumus vestram regalem potentiam: nullam novitatem in holocaustum, quod beato Petro sanctae recordationis genitor vester optulit et vestra excellentia amplius confirmavit, inponere satagat. Quia, ut fati estis, honor patriciatus vestri a nobis inrefragabiliter conservatur[2] etiam et plus amplius honorificae honoratur, simili modo ipsum patriciatum beati Petri fautoris vestri, tam a sanctae recordacionis domni Pippini magni regis genitoris vestri in scriptis in integro concessum et a vobis amplius confirmatum, inrefragabili iure permaneat.

Sicut enim vestra regalis excellentia in suis referuit apicibus: minime ei contrarium videretur, quicumque de episcopis aut comitibus seu ceteris hominibus partibus vestris aut nostra iussione conplendi sivae propria voluntate ad nos venire voluerint; sed nec non nostrae paternitati displicere rectum est,

a. comtemnunt *c.*

1. Cf. etiam ep. 77 supra p. 232. 2. Cf. ep. 88 supra p. 267: „sicut in commonitorium illud referebatur, pro honore vestri patriciati nullus homo esse videtur in mundo, qui plus pro vestra regale excellentia decertari molietur exaltatione, quam nostra apostolica assidue deprecatio“.

qualiscumque ex nostris aut pro salutationis causa aut querendi 784—791 iustitiam ad vos properaverint. Nihil durius vobis exinde apparet. Sed sicut vestris hominibus sine vestra absolutione ad limina apostolorum neque ad nos coniungunt, ita et nostri homines, qui aput vos venire cupiunt, cum nostra absolutione et epistola veniant. Quia, sicut nos semper vestris hominibus suscipientes commonemus, ut in vera fide et servitio[a] atque puritate cordis totis eorum viribus in vestro manerent servitio, ita et vos simili[b] modo, quicumque ex nostris hominibus ad vos evenerit, eos omnino obtestare atque commonere, sicut vestrae regali prudentia concaedet, quaesumus; ut, sicut genitor vester sanctae recordationis domnus Pippinus magnus rex eos beato Petro eiusque vicario concessit et demum excellentia[c] confirmavit, sic ammonere atque obtestare iubeamini, ut nullo modo audeant se in superbiam elationis abstollere, quare aput vos properaverunt, sed potius subiecti atque humiles in servitio beati Petri et nostrae preceptionis maneant subiecti. Et hortates eos: *Quia omnino a servitio et dicione beati Petri eiusque sedis vicario numquam vos subtrahimus; sed in ea fide et puritate, quam polliciti sumus beato Petro apostolo, usque in finem saeculi permanemus.* Qui si tales reperti fuerunt, a vestra excellentia simulque a nobis maneant correpti.

Et hoc pariter poscimus vestrae a Deo protectae regali potentiae: ut fidelissimi nostri missi vestrique prefati missi pro amore Dei et beati Petri apostolorum principis nostraeque dilectionis eos ultro citroque fovere atque commendatos habere dignemini; quia nimis erga presidiatorem et protectorem vestrum beatum Petrum apostolorum principem et nos fideles repperimus. Et ideo petimus, ut amplius per vestrum regale adminiculum, nobis poscentibus, elevati atque exaltati pro nostro amore in vestro prefulgido regno existunt. Quia quantum[d] capud totius mundi sanctam Romanam ecclesiam[e] eiusque rectorem simulque antestitem amplectendo honorabili terque glorificando vestra di-

a. servatio *c.* b. simoli *c.* c. vestra *excidisse videtur.* d. quantum om. *c.* e. ecclesiam *addidit Lambecius.*

784—791 vinitus preordinata summa excellentia diligit, tantum eam beatus Petrus apostolorum princeps una cum domna filia nostra excellentissima regina[1] vestrisque nobilissimis subolis et hic longiori aevo regni gubernaculo perfrui et in futuro inconcussa facit soliditate victricae gaudere.

Incolomem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

---

99. *Hadrianus I papa episcopos Hispaniae hortatur, ut ab erroribus Mingentii, Eliphandi, Ascarici caveant. Addit de tempore paschali, de pecudum sanguine, de praedestinatione, de libero arbitrio, de vitanda Iudaeorum et paganorum communione*[a]. (Cod. 97, Cen. 82)

785—791 Hadrianus episcopus servus servorum Dei dilectissimis nobis omnibus orthodoxis[b] episcopis per universam Spaniam commorantibus.

Institutio[2] universalis nascentis ecclesiae de[c] beati Petri sumpsit honore principium, in quo regimen eius et summa consistit. Ex eius enim ecclesiastica disciplina per omnes ecclesias,

a. *ex cod. f.* 91*v* — 96. *Lemma:* Item exemplar epistolae Hadriani papae, directae omnibus episcopis per universam Spaniam commorantibus, maxime tamen Eliphando vel Ascarico cum eorum consentaneis, pro haeresia vel blasphemium, quod filium[a] Dei adoptivum nominant; cum multis capitulis sanctorum patrum eos reprehendens. Nec non et de pascali festivitate seu et de sanguine pecodum et suillum et sanguine suffocato, quem in errore predicantes dicunt: ut, qui eis non ederit, rudis et ineruditus est; quos sub anathematis vinculo obligatos et ab eclesia extraneos dicit. Similiter et de predistinatione Dei, quod, si quis ad bonum praedistinatus esset, contra malum resistere necesse illi non erat, si vero ad malum natus, bonum illi exercere nihil proderit. Pro quo capitulo apostolicis adhortationibus eos castigans; nec non et de hoc, quia communem vitam cum Iudaeis et non baptizatis paganis, tam in escis quam et in potis seu et in diversis erroribus nihil pollui se inquiunt; nec non et de filiabus eorum, quas populo gentili tradent, vel de sacrationibus eorum; seu et de mulieribus, quae vivente viro sibi maritum sortiuntur; simulque et de libertate arbitrii, vel alia multa, quod enumerare longum est, eos castigans cum sanctorum patrum tradicionibus. b. orthoxis *c.* c. de *om. c.*

a. fidelium *c.*

1. Fastrada. 2. „Institutio — coeperit esse conpage" descripta sunt ex Bonifacii I papae epistola ad Thessaliae episcopos, Regesta pont. Rom. n. 147.

religionis[a] iam crescente cultura, fonte manavit. Nicenae synodi non aliud precepta testantur, adeo ut non aliquid super eam[b] ausa sit constituere, cum videret nihil supra meritum suum posse conferri; omnia denique huic noverat Domini sermone concessa. Hanc ergo ecclesiis toto orbe diffusis velut capud suorum certum est esse membrorum, a qua se quisquis abscidit, fit christianae religionis extorris, cum in eadem non ceperit esse conpage. 785—791

Audivimus quippe, quod quidam[c] episcoporum partibus vestris degentibus, apostolicae sedis doctrinae contemptores[d], contra Romanam et[e] orthodoxam fidei tradicionem novas introducere nituntur hereses; pretermittentes vas electionis[1] beati Pauli apostoli sententiam, quae ait: *Si quis vobis euangelizaverit, preter quod euangelizatum habuistis, anathema sit*[2]. Quapropter exultantibus animis confidentius orthodoxam fidem vestram incitamus[f], ut ab omni pestis incursu pectora[g] vestra sapienter intemerata servetis et rectae fidei doctrinam, quam a sancta nostra catholica et apostolica[h] olim predecessores vestri a sanctis nostris predecessoribus susceperunt, usque in finem defensare atque observare nihilominus satagimini; quoniam qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit[3]. Quamvis ergo magna locorum intervalla nos dividant, si in unitate fidei nostrae perseveraveritis, vobiscum sumus; tantum ut sit auxiliante Domino constantia perseverans, dicente apostolo: *Vobis enim datum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed etiam ut pro ipso patiamini*[4].

Dudum vero, quod Wilcharius archiepiscopus Galliarum[5] suggessit nobis pro quodam[i] Egila, ut eum episcopum consecraret, valde nimisque eum in fide catholica et in moribus atque actibus laudans, ut consecratus vestris partibus emitteretur[k] predicandum[6]. Nos vero predicti Wilcharii archiepiscopi petitione

a. regionis *c.* b. *sic pro* eum. c. quodam *c. pro* quod quidam. d. contemptos *c.* e. Romanam et *erasa sunt in cod.* f. incidamus *c.* g. peccora *c.* h. sede *sive* ecclesia *excidisse videtur.* i. quidam *c.* k. emitteret *c.*

1. V. Act. apost. 9, 15. 2. V. Galat. 1, 9. 3. Matth. 10, 24. 4. Philipp. 1, 29. 5. archiepiscopus Senonensis. 6. V. supra ep. 78 p. 234.

785—791 credentes, consuete illi licentiam tribuimus; ut, canonice eum examinante, quatenus, si post discussionem et veram examinationem rectum et catholicum eum invenisset, episcopum ordinaret; et nullam quamlibet alienam sedem ambiret vel usurparet, sed solummodo animarum lucra Deo offerri. Quia una cum Iohanne presbitero partibus vestris venientes — quod peius est, ut eius fama in auribus nostris sonuit — non recte illa Egila predicat. Sed erroribus quidam Mingentii[1] magistri sui sequens, extra catholicam disciplinam, ut fertur, conatur docere; et alia plura capitula, quae absque norma ecclesiastica alios suaderi videntur. Quod si ita est, vestra fidelissima dilectio, qui normam et disciplinam sanctae nostrae Romanae ecclaesiae consequitur, ullo modo eorum insaniam credere vel sequere studeat; quia procul dubio minimae vos credimus sanctae Romanae ecclesiae ignorare disciplinam. Sed potius ammonentes, ad veram et orthodoxam fidem eos reducere studeamini.

Porro et de partibus vestris pervenit ad nos lugubre capitulum, quod quidam episcopi ibidem degentes, videlicet Eliphandus[2] et Ascaricus[3] cum aliis eorum consentaneis, Filium Dei adoptivum confiteri non erubescunt. Quod nullus, quamlibet heresiarcha, talem blasphemiam ausus est oblatrare nisi perfidus ille Nestorius, qui purum hominem Dei confessus est Filium. Quapropter ullo modo eorum serpentinum venenum in qualibet parte vestram subripiat vel coinquinet dilectionem. Sed sanctorum principum apostolorum Petri ac Pauli divinam tenentes confessionem atque eorum sanctae catholicae et apostolicae Romane ecclesiae sequentes tradicionem pariterque precipuorum ac catholicorum probabilium patrum docmata amplectentes, firmi et stabiles atque immobiles et inconcussi una nobiscum in eorum luculenta traditione perseverare inrefragabiliter et incunctanter

1. s. Migetii, qui, tres personas corporeas statuens, docuit, Patris personam esse Davidem, Filii Iesum a Nazareth, Spiritus sancti Paulum apostolum. V. Enhueberi dissertationem in Alcuini opp. ed. Frobenius T. I 955.
2. ep. Toletanus, cuius doctrina anno 785 emanavit. V. Frobenii dissert., in Alcuini opp. T. I 924. 3. de quo cf. Elipandi episcopi ad Fidelem abbatem epistolam, Alcuini opp. T. II 587, 590.

nitimini; in primis[a] confessionem beati Petri principis apostolorum atque clavigeri regni celorum tenentes, qui ait: *Tu es Christus, filius Dei vivi*[1]; deinde vas electionis beati Pauli apostoli, subposterium fidei, qui inquit: *Proprio filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum*[2]. Et si ipsi principes apostolorum filium Dei vivi et proprium confessi sunt, quomodo oblatrantes auttumant heretici filium Dei adoptivum dicere? Quo solo auditu omnis christianus gemens pavescit. 785—791

Unde beatus Athanasius Alexandrinus episcopus, antiquus et egregius predicator de divina incarnatione verbi, consonante sanctae primae synodo quae in Nicea, infra cetera ait: *Si quis vero adversus divinam scripturam dicet, alium dicens filium Dei et alium, qui ex Maria, hominem secundum gratiam adoptatum, sicut vos quatenus esse duos filios, unum secundum naturam filium Dei, qui ex Deo, et unum secundum gratiam, qui ex Maria hominem; et si quis Domini nostri carnem de surso dicet*[b] *et non ex virgine Maria, aut mutatam deitatem in carne et confusam, aut alienatam aut passibilem Domini deitatem, aut in adorata domini nostri carne sicut hominis, et non adorandam sicut hominis et Dei carnem; hunc anathematizat catholica et apostolica ecclesia; consentiente divino apostolo et dicente: „Si quis vobis euangelizaverit, preter quod suscepistis, anathema sit“.*

Sed et beatus Gregorius Nazanzenus, qui et deiloquus, scribens ad Cledonium infra cetera inquid[3]: *Si quis duos introducit filios, unum quidem qui ex Deo et patre, secundum vero qui ex matre, et non unum et eundem, et adoptionis excidat, quae promissa est his qui*[c] *recte credunt. Naturae vero duae, Deus et homo; nam et anima et corpus; filii vero non duo neque dii. Neque enim hic duo homines; quamvis Paulus quod interius hominis et*[d] *exterius apellavit. Si oportet continuo dicit, alium et alium, ex quibus salvator — sive non quod et ipsum invisi-*

a. In pri *c.* b. dexit *c.* c. qui *om. c.* d. et *om. c.*

1. Matth. 16, 16. 2. Rom. 8, 32. 3. S. Gregorii Nazianzeni ep. 101 (orat. 50), Opp. ed. Caillau, Parisiis 1840 T. II p. 85. Utitur autem Hadrianus hac epistola in Latinum pessime conversa.

785—791 *bilem visibili, et sine tempore quae sub tempore — non alius et alius; absit. Utraque unum vero.* Et infra[1]: *Si quis ex operibus perfectis, aut post babtisma, aut post ex mortuis*[a] *resurrectionem adoptionem dignus est dicit, si quos pagani prescriptos introducunt, anathema sit.*

Unde precipuus Amphilochius Iconii episcopus in sermone suo in sancta epyphania nos docuit: *Nunc in Spiritu sancto propter adoptionis gratiam; inpossibile enim, te accipere autoritatem adoptionis et clamare*[b]*: „Abba pater", nisi signante adoptionis spiritu;* et post pauca: *Nisi ille passus fuisset servi forma, ullo modo tu gloriam adoptionis lucrares;* et post modicum: *Diligite imperiale donum; capite adoptionis dignitatem.* Sed et beatus Gregorius Miseni episcopus super Matheum disponens, ita ait: *Si vero pacificus es, adoptionis gratia coronaris.* Quatenus et beatus Iohannes Constantinopolitanus episcopus, qui et Chrisostomus, ad neofphitos[2] scribens instruit: *Benedictus Deus, iterum dicamus, qui facit mirabilia solus, qui facit universa et convertit universa. Ecce libertatis serenitate*[c] *perfruuntur, qui tenebantur ante captivi. Et cives ecclesiae sunt, qui fuerant in peregrinationis errore; et iustitiae in sorte versantur, qui fuerunt in confusione peccati. Non enim sunt tantum liberi sed et sancti, non tantum sancti sed et iusti, non solum iusti sed et filii, nec solum filii sed heredes, non solum heredes sed et fratres Christi, nec tantum fratres Christi sed coheredes, non tantum coheredes sed et membra, non membra tantum sed et templum, nec tantum templum sed et organa spiritus. Benedictus Deus, qui facit mirabilia solus. Vides, quod sunt baptismatis largitates? Sed multis quidem videtur caelestem gratiam in peccatorum remissione tantum consistere; nos autem honores conputavimus decem. Hac de causa etiam infantulos baptizamus, ut*[d] *non sint coinquinati peccato, ut eis detur sanctitas iustitia*

a. mortui *c.* b. anclamante *c.* (*pro* et clamare). c. serenitatis *c.* d. ut *om. c.*

1. ibid. p. 86. 2. Ioh. Chrysostomi ad Neophytos homilia, Opp. Parisiis 1588 T. V 618—619.

adoptio hereditas fraternitas Christi, ut eius membra sint omnes, ut spiritus inhabitatio fiant[a]. Item idem ipse super Iohannem euangelistam docuit: *Non enim inutilis fias erga beneficum, neque contrariis retribuere, qui tibi fontem beatitudinis donavit; ubi enim adoptionis dignitas, ibi malorum amputatio et bonorum omnium datum.* Idem ipse in psalmis: *Factum est istud, hoc mirabile in oculis nostris, ut nos, qui ante passionem Domini sine testamento eramus et lege, adoptaremur*[b] *in filios Dei.* 785—791

Ecce, dilectissimi nobis, qualiter sancti patres orientales docuerunt, inter dona charismatum adoptio esset, et nobis omnibus, qui in peccatis nati sumus et iterum per baptismum renati, a domino nostro Iesu Christo filio Dei unigenito concessa.

Unde et beatus Augustinus egregius doctor in sermone de natale Domini[1] inquit: *Audite filii lucis, adoptavi in regnum Dei.* Et iterum in explanatione sancti euangeli super Iohannem pro hoc manifeste docuit[2]: *„Quotquot autem receperunt eum". Quid eis prestitit? Magna benivolentia, magna misericordia. Unicus natus est, et noluit manere unus. Multi homines cum filios non habuerunt, perhacta etate adoptant sibi; et voluntate faciunt, quod natura non potuerunt; hoc faciunt homines. Si autem aliquis habeat filium unicum, gaudet de illo magis; quia solus omnia possessurus est, et non habebit, qui cum eo dividat hereditatem, ut pauperior remaneat. Nec sic Deus. Unicum eundem ipsum, quem genuerat et per quem cuncta creaverat, misit in hunc mundum, ut non esset unus, sed fratres haberet adoptatos. Non enim nos nati sumus de Deo quomodo unigenitus, sed adoptati per gratiam ipsius. Ille enim venit unigenitus solvere peccati* et cetera. Item in alio sermone eiusdem libri[3]: *Nullo modo autem possunt dicere habere se caritatem, qui dividunt unitatem. Hec dicta sunt*[c], *subsequentia videamus. „Perhibuit Iohannes testimonium", quia vidit. Quale*

a. fiat *c.* b. adoptaremus *c.* c. sunt *om. c.*

1. S. Augustini sermo 194 (in natali Domini 11), Opp. ed. Benedictini T. V 898. 2. In Iohannis euang. cap. 1, Tractatus II 13; opp. T. III.II 302. 3. In Iohannis euang. cap. 1, Tractatus VII 4. 5, opp. III.II 343.

785–791 *testimonium perhibuit? „Quia ipse est filius Dei". Oportebat ergo, ut ille baptizaret, qui est filius Dei unicus, non adoptatus. Adoptati filii ministri sunt unici; unicus habet potestatem, adoptati*[a] *ministerium. Licet baptizet minister non pertinens ad numerum fratrum*[b], *quia male vivit et male agit, quid nos consolatur? Hic est, qui baptizat,* et cetera.

Idem in alio sermone[1]: *Nos enim de gentibus venimus. De gentibus autem non veniremus, nisi Deus de lapidibus suscitaret filios Habrahae. Facti sumus filii Habrahae*[c] *imitando fidem, non nascendo per carnem. Sicut enim illi degenerando exhereditati, sic nos imitando adoptati.* Et infra item[d] idem in alio sermone[2]: *„Pater diligit filium, et omnia dedit in manu eius". Adiecit: „omnia dedit in manu eius", ut nosses et hic, qua distinctione dictum sit: „Pater diligit filium". Quare ergo? Pater non diligit Iohannem? et tamen non omnia dedit in manu eius. Pater non diligit Paulum? et tamen non omnia dedit in manu eius. Pater diligit filium, sed quomodo pater filium, non quomodo dominus servum; quomodo unicum, non quomodo adoptatum.*

Pariter beati Hilarii Pictaviensis episcopi super Matheum inquit expositio[3]: *„Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur". Pacificorum beatitudo adoptionis est merces, ut filii Dei maneant. Parens enim omnium Deus unus est. Neque enim aliter transire in nuncupationem familiae eius licebit, nisi in oblivione earum rerum adsumpta, quibus possumus offendi, fraterna invicem caritatis pace vivamus.*

Sed et beatus Leo egregius papa atque precipuus doctor ex sermone sanctae epyphaniae[4] ita nos docuit: *Unde, quod illi tres viri, universarum gentium personam gerentes, adorato Domino sunt adepti, hoc in populis suis per fidem, quae iustificat impios, totus mundus adsequitur; et hereditatem Dei ante*

a. adoptat in *c.* b. *sic cod. pro* filiorum. c. Habrehae *c.* d. idem *c.*

1. Cf. In Iohannis euang. c. 8, Tract. XLII 5, opp. III. II 578. 2. In Iohannis euang. cap. 3, Tract. XIV 11, opp. T. III. II 406. 3. S. Hilarii opp., Basileae 1550 p. 348. 4. S. Leonis sermo 35 (in epiphaniae solemnitate 5); Opp. ed. Ballerinii T. I p. 129.

secula preparatam[a] *accipiunt adoptivi, et perdunt qui videbantur esse legitimi.* Et post cetera ex ipso sermone[1]: *Illa nobis currenda est via, quam ipse Dominus se esse testatus est; qui nobis, nullis operum meritis suffragantibus, sacramento consuluit et exemplo, ut in adoptione vocatos, per illud proveheret ad salutem, per hoc inbueret ad laborem.* Item ex eiusdem beatissimi Leonis pontificis sermone de passione Domini[2]: *Nos autem, dilectissimi, qui ab ignorantiae tenebris liberati, fidei lumen accepimus, et in novi testamenti hereditate per electionem adoptionis intravimus, festivitate, quam Israhel carnalis perdidit, gaudeamus.* Item alius sermo eiusdem de pentecosten[3]: *Nos autem, dilectissimi, ad beatam hereditatem*[b] *et animae et carnis per regenerationem sancti Spiritus adoptati, sacratissimum*[c] *diei istius*[d] *festum racionabili obsequio celebremus, confitentes cum beato Paulo apostolo, quod dominus Iesus, „ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus"; ut euangelium Dei per omne humanae vocis eloquium predicaretur, et omnis lingua*[e] *confiteatur, quoniam dominus Iesus in gloria est Dei patris.* 785—791

Si enim sanctorum omnium orthodoxorum patrum pro huiusmodi opuscula vobis exarassemus, antea cartas et scriptores deficerent, quam divinus per eorum disputationes cessasset sermo; sed in his omnibus vestram fidelissimam credulitatem ad fidem chatholicae et apostolicae Romanae aecclesiae, qui in errore positi sunt, redigente, fructum animarum Deo offerre studemini, ut nobis vobisque potissimum lucrum adcrescat.

Pariterque et hoc pervenit nostris apostolicis auribus, quod multi in partibus illis, in insipientiam atque cordis dementiam devoluti, predecessorum nostrorum sanctis pontificibus et nostris relationibus adque ammonitionibus series, secundum venerandi Niceni concilii[f] institutionem de pascali festivitate edita[g], contempnere audeunt: quod, si plenilunium quarto decimo scilicet

a. preparatū *c.* b. *sic pro* aeternitatem. c. sacratissimus *c.* d. istṇs *c.* e. linga *c.* f. concilio *c.* g. et ita *c.*

1. ibid. p. 130. 2. sermo 61 (de passione Domini 10) l. l. p. 237. 3. sermo 76 (de pentecoste 2) l. l. p. 307. 308.

785–791 lunae dies ab sabato contigerit, alio die dominico[a] videlicet quinto decimo lunae die pasca sanctum minime sit celebratum; sed, pretermisso eodem quinto decimo diae, in alio sequentis septimanae dominico, quod est vicesimo secundo lunae die, paschalis festi gaudia pronunciant celebrandum. Quod si interius mente perpenditur magni ac venerandi Niceni concilio trecentorum decem et octo sanctorum patrum simul convenientium promulgatam paschalium festivitatum rationem, procul dubio omnis error omnisque ambiguitas ab hesitantium cordibus auferetur. Sed dum plerique propria commenta, ut acuti perspicaces et mundanae scientiae gnari, spiritalis vero erudicionis ignari, vindicare desudant; olitanam patrum tradicionem desidiosa ignavia pretereunt et vera mendaciis obumbrare inhiant. In eodem quippe magno Niceno concilio decennovenali cyclo patrum confirmato sententia, ita inter cetera ibidem fertur promulgatum: quod non amplius quam usque ad vicesimam primam lunae diem huius sacre festivitatis sollemnia dilatentur. Quam pasche rationem et Antiocenum demum venerandum corroborans concilium, inter reliqua ita inibi in primo[b] scilicet capitulo[1] constat exaratum: *Omnes, qui ausi[c] fuerint dissolvere definitionem sancti et magni Niceni concilii, congregatum sub presentia piissimi et venerantissimi principis Constantini, de salutifera sancti[d] paschae sollemnitate, excommunicandi et ab ecclesia esse abicienda censemus; et si tamen contentius adversus ea, quae bene sunt statuta, perstiterint,* atrocioribus fore summissuros interdictionibus censuerunt. Nam et beatissimus Dionisius in ea, quam de ratione paschae promit, epistola ait: *A duodecimo Kalendarum Aprilium die cunctorum orientalium sententia aequinoctii cursus vernalis consequatur, decreverunt, maximae Egyptiorum peritiam, qui huius calculationis gnari doctique sunt, inquirendum specialiter adnitatur, in quo etiam si luna quarta decima sabbato contingat, sequenti die dominico luna quinta decima celebrandum pascha, sancta synodus Nicena sine ambiguitate*

a. domonico *c.* b. prima̤ *c.* c. auxi *c.* d. scm̄ *c.*

1. V. supra p. 236 n. 2.

firmavit[1]. Adtendite, dilectissimi nobis, et illud, quod beatus 785—791
Proterius[a] Alexandrinae ecclesiae presul predecessori nostro beatissimo Leoni papae ob piae memoriae Marciani principis iussum direxit[b]. Post plurima enim ita ait: *Olim quippe Dominus per Moysen significans dicit: „Mensis iste vobis inicium mensium, primus erit in mensibus anni; et facies pascha domino Deo tuo quarta decima die mensis primi“*[2]. Et post pauca subiunxit dicens: *Si quando in die dominico*[c] *quarta decima luna reperta, in sequenti septimana*[d] *est dilatanda festivitas*[3]*; sicut et veteres patres nostri fecerunt, quartas decimas lunas occurrentes in alia dominica transferatur*[4].

Unde constat, dilectissimi, non amplius huius venerande festivitatis sollemnitas extendi fas est quam usque in vicesimam primam[e] lunae diem, rite observantes ebdomadae dierum numerum, dum solaris cursus[f] a lune cursu omnino discordat. Quoniam in sex quidem diebus creator omnium Dominus aethereum firmamentum omnemque eius ornatus rutilantium aequoris atque telluris gignentia ac elementorum materiam et cunctorum reptilium animantia patravit, et posttremum e limo hominem[g] finxit arvae, et in septimo die requievit ab omni opere quod patrarat. His nempe septem diebus a quarto decimo die lunae, quod est plenilunium[h] — si dominica tamen occurrerit, quae est prima et sancta dies, pro eo, quod non oportet in ea ieiunare — intermissis, in alio dominico, que est prima et sancta dies vicesima prima luna, rationis ordo exigit sanctum pascha a christianis celebrandum. Nam si in sabbato quarta decima luna provenerit, non est intermittenda subsequens dominica, quinta decima videlicet lunae die; venerantes eandem dominicam, quae est prima sabbatorum dies, in qua lux iubente Deo in ipso mundi exordio prodiit, in qua et vera lux salvator noster ab inferis carne resurrexit. Nam si octo dies a quarta decima lunae diae, quando

a. Procerius *c.* b. direxit *addidi* ex ep. 78 supra p. 237. c. domico *c.* d. semtimana *c.* e. vicesima prima *c.* f. currus *c.* g. honē *c.* h. plenium *c.*

1. V. supra p. 237 n. 1. 2. V. supra p. 237 n. 2. 3. V. supra p. 237 n. 3. 4. V. supra p. 238 n. 1.

785—791 ieiunium solvitur, intermittuntur, ut in vicesimo secundo die lunae paschalis festivitas dilatetur, ergo[a] iam non[b] septimana, id est ebdomada, sed ogdoada, ut stolidi quique et vecordes prophanizant, dicenda atque observanda est. Intuendum quippe et illud ratio suadet, quod septem ebdomade et non octo intermittuntur[c] a paschali festivitate usque ad sanctam pentecosten, in qua paraclytum[d] spiritum a patre redemptor noster Dei vivi filius post gloriosam resurrectionem suam sanctis suis apostolis misit. Pro quo regiam[e] gradiemur viam, et non declinabimus[f] penitus per tortuosum et dumis ac tribulis repletam callem. Pergant per eam hi, qui cupiunt nova ficmenta et scelerum monumenta conponere; ut merito spinae et tribuli generentur[g] eis. Iam quidem dudum decessores et predecessores nostri sancti pontifices, pro hac quaestione simulque heresim illis partibus commonitorium adque adhortationem dirigentes, congrua capitula beati Cyrylli[h] atque Theophyli nec non et aliorum sanctorum patrum, quos dinumerare longum est, promulgantes docuerunt; quod vestrae dilectionis gnaras esse dubium non est. Pro quo non silemus, carissimi, inpensius commonere: ut a falsis fratribus caveatis; et eo modo, quo sancta nostra Romana ecclesia caput omnium ecclesiarum Dei paschalem celebrat solemnitatem et recte sic[i] Dei tenet tradiciones, et vos procul dubio celebrare studeamini; ut, sicut pares nos christianorum fidei religio efficit, equales nimirum in festivitatibus efficiat.

Verum etiam et hoc de partibus vestris audivimus, quod quidam pollicentes atque in errore perseverantes predicant: ut, qui non ederit pecodum aut suillum sanguinem et suffocatum, rudis est aut ineruditus. Nos quidem, apostolica precepta inbuti atque eruditi, confirmantes predicamus: quod, si quis pecodum aut suillum sanguinem vel suffocatum manducaverit, non solum totius est eruditionis[k] alienus, sed ipsius[l] quoque intellegentiae

a. erga *c.* b. non *om. c.* c. intermittur *c.* d. paracby *c.* e. regia *c.* f. declinavimus *c.* g. gerentur *c.* h. Cylrylli *c.* i. si *c.* k. consolationis *c.* *Cf. ep.* 78 *supra p.* 289. l. ipsi *c.*

communis prorsus extraneus, unde sub anathematis vinculo obligatus in laqueo incidat[a] diaboli. 785—791

Illud autem, quod alii ex ipsis dicunt, quod predistinatio[b] ad vitam sive ad mortem in Dei sit potestate, et non nostra; isti dicunt: *Ut quid conamur vivere, quod in Dei est potestate?* alii iterum dicunt: *Ut quid rogamus Deum, ne vincamus temtationem, quod in nostra est potestate, quasi libertate[c] arbitrii?* Re vera enim nullam rationem reddere vel accipere valent, ignorantes beati Fulgentii episcopi ad Eugipium presbiterum contra sermonem cuiusdam Pelagiani opuscula directa, quibus infra multa idem pater docens haec verba subiungit: „*Illi autem, dum pro se gratiam solum reprehensibiliter intromittunt, in se damnabiliter calcaverunt, qui alios ad vitam alios ad mortem asserunt destinatos[d], adverte, quibus impietatis[e] se nexibus ligant. Si ad bonum predistinatus sum, contra malum resistere necesse[f] mihi non erit; si vero ad malum natus, bonum mihi exercere nihil proderit. Ac sic in utraque parte, intercluso appetitu laudis et gloriae, unus securitate alius[g] disperatione torpebit, ac per hoc odiabitur iustitiae exercitatio, oratio cessabit, languebit operatio. Sed non ita est; quin potius incessanter oremus, quia ipse Dominus dicit: „„Sine intermissione orate, ne intretis in temtationem"". Nihilominus contra omne peccatum non solum oratione sed etiam labore luctemur; quia ipse Dominus presenti lectione testatus est, quia unus quisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem". Haec verba, quibus auctor sermonis illius veritatem predistinationis nititur obpugnare, inconsiderate atque indiscrete prolata, Deo nos adiuvante, monstramus.* Et post cetera: *Opera ergo misericordiae ac iustitiae preparavit Deus in eternitate inconmutabilitatis[h] suae; et sicut futurorum operum suorum numquam fuit ignarus, sic in eorundem operum preparatione numquam inprovidus. Preparavit ergo iustificandis hominibus merita, preparavit hisdem glorificandis et premia; malis vero non preparavit voluntates malas aut opera mala,*

a. incedat *c.* b. predistinati *c.* c. quasibertate *c.* d. destinerunt *c.* e. impietati *c.* f. neces *c.* g. alidus *c.* h. inconmutabilitates *c.*

785—791 *sed preparavit eis iusta et eterna subplicia. Haec est aeterna predistinatio futurorum operum Dei, quam, sicut nobis apostolica doctrina semper insinuari cognoscimus, sic etiam fiducialiter predicamus. Beatus enim Paulus predistinationem eorum, quos Deus gratis salvat, et evidenter et frequenter insinuat. Ipse enim dicit de Deo: „Nam, quos prescivit, et predistinavit conformes fieri imaginis filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus"; et post: „Quos autem predistinavit, hos et vocavit; et quos vocavit, hos et iustificavit; quos autem iustificavit, illos et glorificavit". Non utique alios, sed quos predistinavit, hos vocavit, hos iustificavit, hos glorificavit. Nihil incertum in Dei operibus nutat, quia nihil suae predistinationis evacuat; predistinationis igitur sua opera vocatione*[a] *Deus inchoat, glorificatione consummat; non tamen in omnibus quos vocat, sed quos secundum propositum vocat. „Diligentibus enim Deum omnia cooperantur in bonum, his, qui secundum propositum vocati sunt".* Item et post multa: *Teneatur ergo predistinationis veritas a fidelibus cunctis. Quia quisquis divinum non credit in hac predistinationis consilium*[b], *non perveniet ad gloriosum eiusdem predistinationis*[b] *effectum; quisquis autem non est predistinatus ad gloriam, invenitur sine dubio prescitus ad penam. Quae ideo in Dei preparatione predistinata cognoscitur, ut per eam infidelitas atque iniquitas puniatur. Propter quod beatus Iudas apostolus quosdam predistinatos dicit in iudicium*[c] *his verbis: „Subintroierunt enim quidam homines impii, qui olim praescripti et predistinati erant in hoc iudicium Dei nostri"*[1]. *Vigilanter autem in doctrina Spiritus sancti predestinatos impios non dicit ad peccatum sed ad iudicium, id est non ad impietatem sed ad punitionem. Non enim predistinati sunt ad hoc, quod vitiosae*[d] *impietates admittunt, sed ad illud quod iudicio equitatis divinae recipiunt. Ipsorum enim opus est, quod impie faciunt; Dei*[e] *autem opus est, quod iuste recipiunt.* Item post cetera:

a. vocationis *c.* b. consilium — predistinationis *addidi ex ep.* 78 *supra p.* 241. c. iudicibum *c.* d. iudiciosa *c.* e. Dei — opus est *addidi ex ep.* 78 *supra p.* 241.

1. Cf. Iud. 4.

Proinde quod auctor illius sermonis subsequenter adiuncxit dicens: „Quin potius incessanter oremus; quia ipse Dominus dicit: „„Sine intermissione orate, ne intretis in temtationem"", et post: „Nihilhominus contra omne peccatum non solum oratione sed etiam labore luctemur", et iterum: „Sic laborantes vocat Dominus dicens: „„Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego vos reficiam""; sed nos a Deo humiliter gratiam poscamus, quam conlaborantem iugiter habeamus, per quam nos Deus et in labore custodiat et ad mercedem peracto labore perducat. 785—791

Porro, dilectissimi, diversa capitula, quae ex illis audivimus partibus, id est: quod multi, dicentes se catholici esse, communem vitam gerentes cum Iudeis et non baptizatis paganis, tam in escis quamque in potis seu[a] in diversis erroribus nihil pollui se inquiunt; et illud, quod inibitum est, ut nulli liceat[b] iugum ducere cum infidelibus, ipsi enim filias suas cum alio benedicetur, et sic populo gentili tradetur; et quod sine examinatione praefati presbiteri, ut presint, ordinantur; et aliud quo usque inmanis invaluit error pernitiosus[c], ut etiam vivente viro mulieres sibi in conubio sortiantur ipsi pseudosacerdotes; simulque et de libertate arbitrii; et alia multa, sicut de illis audivimus partibus, quae longum est dici. Quapropter, dilectissimi, oportet vestram industriam sollertissime vigilare et, sicut decet Domini sacerdotes, nulli vos liceat canones ignorare, nec quicquam facere, quod patrum possit regulis obviare. Quae enim a nobis res digna servabitur, si decretalium norma constitutorum, pro aliquorum libito licentia populis permissa, frangatur? Unde constat, ut, si quis de predicta capitula obnoxius reperietur, post unam et secundam adortationem, si noluerit se corrigere, profecto eum regulariter a consortio fidelium Dei, utpote corruptorem patrum tradicionum, extorris efficiatur et in eterna condemnatione inveniatur.

Cavendum ergo dilectioni vestrae est magnaque diligentia prohibendum: ne per uiusmodi homines extincta dudum scandala suscitentur et de exciso olim dogmatae aliquod in provincia

a. sed *c.* b. ut nulliceat *c.* c. pernitiosis *c.*

785—791 eiusdem mali germen oriatur, quod non solum in radicibus suis crescat sed etiam sanctae ecclesiae subolem veneno sui odoris inficiat. Qui correctos se videri volunt, ab omni suspitione se purgent et oboediendo nobis probent, se esse nostros. Quorum si quisquam salubribus[a] preceptis satisfacere detractaverit, sive ille clericus sive sit laicus, ab ecclesiae societate pellatur; ne perditor animae suae saluti insidietur alienae.

Sed vos, dilectissimi, nostrae sanctae aecclesiae catholicae et apostolicae orthodoxam fidem amplectentes, predicare nitimini; ut, sicut unus est pastor noster Christus Dei vivi filius, omnes simul in uno eius efficiamur aggregati ovili; et quemadmodum unius capitis simus membra, unum efficiamur corpus in Christo Iesu domino nostro; promerentes, quod sanctis suis contulit cultoribus qui eius precepta custodiunt et ab initio mundi divinae eius placuerunt maiestati, desiderabilem promissionem, quam ait: *Venite benedicti patris mei, percipite regnum vobis preparatum ab origine mundi*[1].

a. sabribus *c.*

1. Cf. Matth. 25, 34.

LEONIS III EPISTOLAE.

Habemus pretiosas reliquias codicis membranacei, qui aeque atque archetypum codicis Carolini ante editi et iussu imperatoris Caroli Magni formatus esse et ad ipsum imperatorem tantummodo pertinentes res continuisse videtur. Nec quidquam codicis illius superest praeter duos foliorum octonorum quaterniones una manu ineuntis seculi IX pulcherrime scriptos, eosque tantae tenuitatis, ut duplo et dimidio longiores sint quam latiores; quorum alter in extremo denotatus est numero XII, alter numero XIII. In priore autem quaternione inveniuntur fragmentum breviarii imperatoris Caroli M. et eiusdem capitulare de villis, a Pertzio proposita in Monum. Germ. Hist. LL. I 175—187; quaternio posterior complectitur decem Leonis III papae epistolas, quarum novissima sextam decimam quaternionis paginam ita prorsus explet, ut alias epistolas in integro quondam codice adhaesisse neque affirmare nec negare liceat. Eae libri particulae ad manum Mathiae Flacii Illyrici fuerunt anno 1562 (v. Catalogus testium veritatis, Argentinae 1562 p. 73), posteaque collocatae sunt in academiae Helmstadiensis bibliotheca, unde decem illae epistolae in lucem primum prodierunt anno 1647 edente Hermanno Conringio[1] (Leonis III papae epistolae, Helmestadii).

1. Idem alteram quoque editionem paravit anno 1655. Cuius editio postea identidem repetita est a Labbeo et Cossartio (Sacrosancta concilia T. VII 1113—1127), a Mansio (Sacrorum conciliorum amplissima collectio T. XIII 963—977), a Cennio (Monumenta dominationis pontificiae T. II 47—80).

Nunc tenentur signatae Helmst. 254 *in bibliotheca Guelferbytana, cuius praefectus Ludovicus Bethmann commoda sane liberalitate concessit, ut hoc loco ipsa membrana isti meae editioni procurandae servirent. Quemadmodum vero ordinem epistolarum in codice traditum temporis observandi causa commutaverim, haec comparatio declarat:*

Ordo codicis:	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10
Ordo noster:	10	7	6	8	2	1	4	3	5	9.

Berolini 3 Idus Februarias 1867.

INCIPIUNT EPISTOLAE DE PAPA LEONE AD IMPERATOREM KAROLUM MISSAE.

1. *Leo III papa Carolo I imperatori de muneribus missis gratias agit. De Pippini regis Italiae Romam veniendi consilio. De maritimis adversus paganos defendendis. De Corsica insula*[a].

808 Martio exeunte — Domino piissimo et serenissimo, victori[b] ac triumphatori, filio amatori dei et domini nostri Iesu Christi, Karolo augusto Leo episcopus servus servorum Dei.

Magno munere misericordiae Dei totius mundi multiplicata sunt gaudia, cum pio et glorioso clementiae vestrae studio erga sanctam Dei ecclesiam nostraeque pusillitati geritis.

Largifluae itaque munificentiae vestrae susceptis pulcherrimis munusculis, relectisque scriptis serenitatis[c] vestrae, quae in nostro corde melle condita sapuerunt, ilico, ut decuit, gratiarum actiones tripudiantes gratulantesque Deo rettulimus. Quia non solum laetitiae verba in ea repperimus, verum etiam et nostrae prosperitatis sollertissimam curam agnovimus. Sed de tantis inmensis beneficiis et muneribus, quibus iugiter nos ditatis, optamus ut ab ipso clavigero regni caelorum, cuius vicem Deo mi-

a. *Lemma:* Item epistola gratiarum actionis de beneficiis acceptis. b. et reliqua ut supra *cod. pro* victori — servorum Dei. c. serenitati *c.*

serante gerimus, dignam retributionem suscipiatis, cui tantum honorem assidue exhibetis. Scimus namque, et fideliter scimus, quia per omnia et in omnibus vobis pertinentibus nostrum gaudium vos esse facturos. Sed commutatio Excelsi, quae pia facta probat et benigna solita pietate repensat, ipsa pro nobis digna praemia vestrae pietati retribuat. 808 Martio exeunte

Post vero muneribus offensionem[a] insinuaverunt nobis fidelissimi missi vestri, Helmengaudus videlicet atque Hunfridus gloriosi comites[b], quod filius noster domnus[c] Pippinus rex[1] ad limina apostolorum per vestram largitatem media quadragensima[2] cupit venire atque conloquium nobiscum habere. Unde in magnum gaudium cor nostrum relevatum est, quod ipsi fidelissimi missi vestri viva voce vobis insinuare possunt. Et continuo omnia cum ipsis disposuimus de praedicti[d] dulcissimi filii nostri itinere. Missumque statim nostrum dereximus, qui omnem praeparationem facere deberet, quatinus cum laetitia ad limina apostolorum nostraeque pusillitati[e] coniungeret.

Igitur post modicos, octabo scilicet Kal. Aprilis, coniunxerunt ad nos missi praefati filii nostri domni Pippini regis et obtulerunt nobis honorabilem epistolam vestram. Quam relegentes, repperimus vestrae prosperitatis salutem atque sollertissimam curam, quam erga tranquillitatem sanctae Dei ecclesiae vestra serenitas semper gerit, atque de adventu filii nostri domni Pippini: ut non antea esset venturus nisi post diem sanctum paschae[3], apto videlicet tempore. Credat enim nobis vestra clementia: quia, quocunque tempore ad nos coniunxerit, cum tanto gaudio tantaque laetitia eum suscipiemus, quantum condecet filio tam magni defensoris sanctae Dei ecclesiae. Quia scimus, Domino opitulante, eo quod et nobis et illi profectum erit, si nos coniunxerimus. Mart. 25

Iterum, postquam coniunxerunt ad nos ipsi praedicti missi

a. *sic.* b. com̄. *c.* c. dom̄ *c.* d. praedicto dulcissimo filio nostro *correcta sunt in* praedicti dulcissimi filii nostri *in cod.* e. pusillatati *corr. in* pusillitati *cod.*

1. Italiae, filius Caroli M. et Hildigardae. 2. d. 26 Mart. 808. 3. post d. 16 Apr. 808.

808 Martio exeunte filii nostri domni Pippini regis et dixerunt nobis, quod in media quadragensima[1] minime coniungere potest, porrexerunt nobis praefati missi vestri, videlicet Helmengaudus et Hunfridus gloriosi comites[a][2], aliam epistolam serenitatis vestrae. Ubi continebat, ut ipsi fidelissimi missi vestri apud filium nostrum domnum Pippinum prius adirent et de vestro verbo ei praeciperent: ut, ubi ambobus placuisset, nobis obviam occurrisset; ut, quod vos omnimodis optatis, cum Dei adiutorio veniat ad perfectionem, id est ut pax et concordia inter nos firma et stabilis Deo mediante constituatur. In veritate enim dicimus, quia donavit nobis Dominus pacificum imperatorem, de quo apostolus dicit: *Quam speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona*[3]. Nam omnipotens Deus vestrum potest cor satisfacere: quia nullam discordiam nullamque iniquitatem circa eum habemus; sed sic eum diligimus et illius profectum cupimus, sicut de carissimo filio. Sed qui zizania portant in conspectu vestro vel filii nostri domni Pippini regis, quod nos nec in corde habemus, omnipotens Deus, qui iustus iudex est, ante cuius conspectu omnia occulta patefiunt, ipse iudicet inter nos et ipsos.

De vero ecclesiis Dei, ut suas habeant iustitias, atque litoraria nostra ac vestra ab infestatione paganorum et inimicorum nostrorum tuta reddantur atque defensa, nos, quantum Dominus virtutem donaverit, cum ipso praedicto filio nostro studium ponimus. Sed vestrum consilium et vestrum solatium et nobis et illi necesse est.

De autem insula Corsica[4], unde et in scriptis et per missos vestros nobis emisistis, in vestrum arbitrium et dispositum committimus. Atque in ore posuimus Helmengaudi comitis[b]: ut vestra donatio semper firma et stabilis permaneat et ab insidiis inimicorum tuta persistat per intercessionem sanctae Dei ge-

a. com̄ *c.* b. com̄ *c.*

1. d. 26 Mart. 808. 2. quos, post paulo Roma profectos, iam die 9 Aprilis 808 Ravennae fuisse, cognoscimus ex ep. 2 infra p. 315. 3. Rom. 10, 15. 4. De Corsica insula a. 807 per Burchardum comitem stabuli Caroli imperatoris a Mauris defensa v. Einhardi annales 807, Mon. Germ. SS. I 194.

netricis et beatorum principum apostolorum Petri ac Pauli et vestrum fortissimum brachium. Et Domino miserante, tempore apto, quantum plus celerius valuerimus, per fidelem missum nostrum omni utilitate sanctae Dei ecclesiae vestrae imperiali[a] potentiae liquidius innotescimus. 808 Martio exeunte

Omnipotens igitur et omnium futurorum praescius Deus ipse vos faciat prosperis exaltari triumphis, et post longevam vitae aetatem gaudia tribuat sempiterna. Piissimum domini imperium gratia[b] superna custodiat eique omnium gentium colla substernat.

---

2. *Leo III papa Carolo I imperatori de litteris consolationis plenis gratias agit. De nuntiis eius queritur. Eardulfum regem Northanhumbrorum, iniuste pulsum, apud eum esse gaudet. Eanbaldo archiepiscopo Eboracensi litteras postulatas mittit. Addit de Iesse episcopo Ambianensi legationibus gerendis non idoneo et de pravis archiepiscopi Ravennatis moribus*[c].

Domino piissimo et serenissimo[d], victori ac triumphatori, filio amatori dei et domini nostri Iesu Christi, Karolo augusto Leo episcopus servus servorum Dei. 808 post Apr.

Explere verbis, clementissime fili, non valeo, quantum[e] vestro opere vestraque vita delector. Magnas igitur omnipotenti Deo gratias reddimus. Quia in ore cordis experimento dulcis fit sapor caritatis, cum impleatur, quod scriptum sit: *Sicut aqua frigida sitienti, sic nuntius bonus de terra longinqua*[1].

Serenitatis itaque vestrae suscepti plenam consolationis epistolam, continuo, ut decuit, gratiarum actiones omnipotenti Deo rettulimus, qui vestram imperialem potentiam pacis ecclesiastice fecit esse custodem. Ipsa namque fides vos servat, quam erga sanctam Dei catholicam et apostolicam ecclesiam, fautricem

a. imperialis *c.* b. et reliqua ut supra *cod. pro* gratia — substernat. c. *Lemma:* Epistola gratiarum actionis. d. et cetera ut supra *cod. pro* victori — servorum Dei. e. quanto *corr. in* quantum *c.*

1. Cf. Prov. 25, 25.

808 post Apr. et auxiliatricem in omnibus petitionibus[a] vestris, atque in sacerdotali unitate servatis. Cumque vos iugo pietatis cor vestrum humiliter nostrae pusillanimitati subditis, caelesti gratia agitur: ut omnia, quae circa Deum et vestrae piissimae voluntati agere cupitis, divino adiutorio suffragati ad perfectionem secundum vestrum benivolum desiderium deducitis et vestrum brachium forte contra inimicos sanctae Dei ecclesiae et vestros extenditis. Dilectionem igitur atque firmam caritatem, quam erga serenitatem vestram gerimus, est Deus in caelis scrutator corda et renes, qui scit: qualem amorem et sollicitudinem de vestra diutissima prosperitate cottidie habemus. Quia post Deum et sanctos suos nullum consolatorem habemus nisi solam vestram a Deo protectam imperialem potentiam, unde semper exspectamus defensionem et consolationem.

Relectis itaque vestris imperialibus syllabis, repperimus in eis, quatinus Helmengaudus comes, vester nosterque fidelis, omnia, quicquid a nobis audivit, vobis per singula nuntiavit. Sed si omnia, quae cotidie patimur, vobis insinuasset, tam ipse quam etiam ceteri missi vestri, qui istis partibus veniunt, fastidium eos auribus vestris facere credimus. Nescimus enim, si vestra fuit demandatio, quod missi vestri, qui venerunt ad iustitiam faciendam, detulerunt secum homines plures et per singulas civitates constituerunt. Quia omnia, secundum quod solebat dux, qui a nobis erat constitutus, per districtionem diversarum causarum tollere[b] et nobis more solito annue tribuere, ipsi eorum homines peregerunt. Et multam collectionem fecerunt de ipso populo. Unde ipsi duces minime possunt suffragium nobis plenissime praesentare. Sed valde nobis gravis esse videtur, si vobis fastidium facimus. Confidimus enim in Dei misericordia, quia in vestris temporibus sancta Dei ecclesia tranquilla atque pacifica persistere habebit.

De autem omnibus bonis et prosperis, quae circa missum nostrum, quem in partibus Brittaniae ad Anglorum gentem direximus, omnia pro amore beati[c] Petri apostoli fautoris vestri

a. petititionibus *c.* b. tollerent *cod.* c. beatr *c.*

operati estis, sicut solita est vestra clementia, magnas gratias 808
vestrae pietati exinde agimus; quia semper in solatio sanctae post Apr.
Dei ecclesiae et adiutorio orthodoxae fidei decertatis. Sed sicut nobis per vestram honorabilem epistolam insinuastis, quod Eardulfus[a] rex[1] de regno suo eiectus fuisset, iam hoc per Saxones agnoveramus. Unde maxime ipsum missum nostrum pro ipsa nequitia illic dereximus. Magnum enim gaudium et magna laetitia in corde nostro ascendit pro eo, quod vestra pietas misit missos suos, et vivum eum ad vos usque perduxistis[2]. Et valde de vita eius delector; quia et vester semper fidelis extitit, et ad nos missos suos dirigebat. Pro qua re vestra imperialis defensio ubique multipliciter resonat.

De vero épistolis, quibus vobis Eanbaldus[b] archiepiscopus[3] et Coenulfus rex[4] atque Wado emiserunt, relegentes, repperimus eorum dolositatem, quam inter se habent. Unde valde contristamur. Quia ipse praedictus Coenulfus rex nec suum archiepiscopum[5] pacificatum habet nec istum Eanbaldum[c] idem archiepiscopum. Nam et de eorum divisione cotidie in confessionem beati Petri apostoli, licet velut inmeriti; pręces fundimus, ut eos omnipotens Deus pacificet et discordiam, quam inter se habent, absolvat. Et sicut coepit vestra serenitas in ipsam pacem nobiscum decertare, sic incessanter elaborare dignemini; quatinus vestra mercis copiosa accrescat in caelis.

Misistis siquidem nobis, ut nostrae apostolicae auctoritatis adhortatoriam epistolam saepe fato Eanbaldo archiepiscopo cum idoneum missum nostrum mitteremus: ut ad hanc sanctam apo-

a. Earbulfus *c.* b. Eambaldus *corr. in* Eanbaldus *cod.* c. Eambaldum *corr. in* Eanbaldum *cod.*

1. Eardulfus rex Northanhumbrorum. 2. Eardulfum scimus spatio mensium Martii et Aprilis a. 808 Noviomagum ad Carolum imperatorem pervenisse. V. Einhardi Annales (Mon. Germ. SS. I 195) 808: „vereque inchoante imperator Noviomagum profectus, transacto ibi quadragesimali ieiunio, celebrato etiam sancto pascha (April. 16), iterum Aquas regressus est .... Interea rex Nordanhumbrorum — Eardulf, regno et patria pulsus, ad imperatorem, dum adhuc Noviomagi moraretur, venit". 3. Eanbaldus II archiep. Eboracensis. 4. Merciorum. 5. Wilfredum archiepiscopum Cantuariensem (805—832).

808 post Apr. stolicam sedem cum suis consentaneis venire debuissent, aut in vestra praesentia rationes deducendum. Nos vero statim ipsam epistolam dictavimus et vobis emisimus. Sed si placet serenitati vestrae, quod ipsam nostram epistolam per vestrum idoneum missum ipsis in partibus ad missum, quem ibidem direximus, misissetis, ut una cum praedicto misso nostro ipsum archiepiscopum adhortasset, quatinus aut hic in nostra praesentia aut ibidem in vestra una cum sociis suis coniunxisset, valde nobis recte visum fuerat. Quia missum nostrum nondum suscepimus; et ipsi homines dolosi sunt, ut ne, missos super missos suscipientes, in dolositate eveniant. Verumtamen nos missum nostrum praeparamus, donec secundum vestrum placitum demandetis. Et si placet vestrae imperiali[a] potentiae, ut missum nostrum ibidem dirigamus, vos nobis per vestram insinuationem significare iubeamini; et nos statim ipsum missum nostrum dirigemus secundum vestram voluntatem.

Omnipotens enim et misericors Deus sua vos protectione longa per tempora conservare dignetur, atque aeterna gaudia cum sanctis omnibus faciat possidere. Piissimum domini imperium gratia[b] superna custodiat, eique omnium gentium colla substernat.

EMBOLIM.

Pro tanto amore tantaque dilectione atque fide, quam erga vestram serenitatem gerimus, ea, quae agnoscere valemus, silere non possumus.

Iesse vero episcopus[1], serviens vester, aliud servitium vobis facere potest. Nam missaticum per patrias deportare, non nobis videtur quod idoneus sit, neque ad secretum consilium provocandus. Sed rogamus vestram clementiam, ut de hac re clementer considerare debeatis; quia nos omnes in vestro servitio salvi existere cupimus.

De autem sacerdotalibus causis, unde nobis ad detrimentum

a. imperialis *c.* b. et reliqua ut supra *cod. pro* gratia — substernat.

1. Ambianensis.

venire speramus, quae nos non sic possumus emendare, vobis insinuamus, ut interrogetis Helmengaudum et Hunfridum fideles vestros, quando a nobis absoluti sunt et in Ravenna coniunxerunt, et ab archiepiscopo ad prandium invitati, id est dominico die ad palmas[1]: quales lectiones et quales ammonitiones ante ipsa mensa recitatas audierunt, sicut decet in sancto quadragesimali tempore, quando omnes de suis facinoribus Deum deprecantur, ut mereantur emendare. Sed et ea, quae ibidem audierunt, nobis turpitudo est vobis in scriptis insinuare. 808 post Apr.

---

3. *Leo III papa Carolo I imperatori excusat Hadulfum nuntium suum, qui cum Eanbaldi archiepiscopi Eboracensis legato, aula non visa, in Italiam properaverit. Ambos evocatos mittit cum litteris ex Anglia allatis*[a].

Domino piissimo et serenissimo, victori[b] ac triumphatori, filio amatori dei et domini nostri Iesu Christi, Karolo augusto Leo episcopus servus servorum Dei. 808 Dec. 31

Omnes enim, qui se nobis fideles asseruerint[c], si vestrae imperiali[d] potentiae sic fideles non extiterint, ita ut omnes pacem atque dilectionem, quam Deo miserante erga sanctam Dei catholicam et apostolicam Romanam ecclesiam matrem vestram et nos geritis, cognoscere valeant, vacua est spes eorum, et labor eorum sine fructu, et inutilia sunt opera illorum[2]; exceptis his, qui per ignorantiam in aliquod, ut homo, fefellerint. Verumtamen et ipsi corrigendi esse iudicamus.

Misit siquidem nobis vestra serenitas: eo quod Hadulfus diaconus, missus nostrae apostolicae sedis, cum a vobis more solito benigne et honorifice susceptus esset et usque ad portum maris deductus atque exinde ad navigationem commode absolutus, et — cum verteretur — ad vos primum se velle venire profiteretur, noluit missum vestrum exspectare, qui eum usque ad

a. *Lemma:* Epistola intercessionis et cetera. b. et reliqua *cod. pro* victori — servorum Dei. c. asserint *c.* d. imperial̄ *c.*

1. d. 9 Apr. 808. 2. Sap. 3, 11: „— disciplinam qui abiicit, infelix est; et vacua est spes illorum, et labores sine fructu, et inutilia opera eorum“.

808 Dec. 31 vos deduceret; sed, arrepto itinere quasi fugiens, cum vos illum per dies aliquot exspectaretis, ad vos venturum sperantes, spem vestram delusit. Et quoniam missum Eanbaldi archiepiscopi[a][1] — qui et ipse litteras suas ad vos misit petens, ut praedictum legatum eius ad vos venientem bene susciperetis, et eum ad nos venire permitteretis — sed neque ille secundum domini sui praeceptum peragere studuit.

Quam ob rem credat nobis vestra serenitas, karissime ac dulcissime fili, quia per nullum iniquum quodlibet consilium hoc facere perpessi sunt; sed, ignorantes saeculi huius solertia, hanc stolidam occursionem perfecerunt.

Nos vero, apostolica suffulti auctoritate, secundum vestram voluntatem vestrae imperiali[b] potentiae eos dirigere non omittimus. Sed precamur clementiam vestram: ut pro amore beati Petri apostoli fautoris vestri — in cuius servitio praedictum Hadulfum diaconum sub iuramento emisimus, immo etiam in ipsum, quod nobis sub iusiurando pollicitus est, ut ad profectum sanctae Dei ecclesiae et vestrum atque nostrum decertare debuisset et pacem in ipsa insula[2] seminare studuisset, iterum ipsis in partibus remittimus — nullam pro hac re sustineat tribulationem; ut cum propheta dicere valeat: *Corripiet me iustus in misericordia*[3]. Quis enim vestram a Deo datam sapientiam inludere valebit? cum superna gratia sicut vos procul dubio credimus ut habeatis. Sed quia homines sumus et fallimur, petimus pietatem vestram: ut hanc eorum noxam beato Petro apostolo concedere non dedignemini; ut ab ipso clavigero regni caelestis premium mercedis suscipere mereatis.

De autem quod nobis emisit vestra serenitas, fraudulentam eos habere legationem, quam vobis[c] ostendere timuerunt, et quia propter[d] hoc tam festinanter profecti sunt, ut Ardulfi regis[4] iter Romam[5] praevenire potuissent; omnes epistolae, quae de

a. archiepiscopo *corr. in* archiepiscopi *c.* b. imperialis *c.* c. nobis *c.* d. p̄p̄ *c.*

1. Eboracensis. 2. Britannia. 3. Ps. 140, 5. 4. Northanhumbrorum. 5. Einhardi annales (Mon. Germ. SS. I 195) 808: „Interea rex Nordanhumbrorum — Eardulf — ad imperatorem venit (m. Martio — Aprili

partibus illis nobis perlatae sunt, pro vestra satisfactione vobis 808 Dec. 31
emisimus legendas.

Praedictum vero missum Eanbaldi archiepiscopi, in quantum Deo auspice agnoscere valuimus, in omnibus Dei famulum eum comperimus. Unde obnixe quaesumus vestram imperialem potentiam, ut pro eo, quod ad fautorem vestrum beatum Petrum apostolum directus est, melius illi sit, et non deterius; sicut modis omnibus esse credimus, quamquam ignoranter fefellit. Quia valde pertimescimus, ne ipse populus adquisitionis sanctae Romanae ecclesiae per quamlibet occansionem[a] certamen praedecessoris mei domni Gregorii[1] beatissimi papae, quod ipsis in partibus posuit, meis temporibus infructuosum existere videatur, nec mihi in iudicio eveniat. Quid plura dicimus? Sicut per eorum stultitiam agnovimus in aliquod vestrum furorem, ita per infusionem sancti Spiritus velocius a vobis vestram sentiamus misericordiam.

His praemissis, omnipotens et misericors Deus sua vos a malis omnibus protectione custodiat et, quoniam vita vestra bonis omnibus valde est necessaria, post longa adhuc tempora vos ad caelestis patriae gaudia perducat. Piissimum domini imperium gratia[b] superna custodiat, eique omnium gentium colla substernat.

Praedictae vero epistolae, quae de Saxoniae partibus nobis missae sunt, magnopere precamur clementiam vestram, ut eas nobis remittere iubeatis. Quia eorum verba pro pignore retinemus.

Absoluta pridie Kal. Ianuar.

---

4. *Leo III papa Carolo I imperatori per Sabinum episcopum de huius legatione ac de Aldulfi diaconi captivitate et redemptione significanti, simulque tres quaestiones proponenti, respondet*[c].

Domino piissimo et serenissimo, victori[d] ac triumphatori, 809

a. *hic quaedam excidisse videntur.* b. et reliqua ut supra *cod. pro* gratia — substernat. c. *Lemma:* Questiones solvendae. d. et reliqua ut supra *cod. pro* victori — servorum Dei.

v. supra p. 313 n. 2) et Romam proficiscitur, Romaque rediens, per legatos Romani pontificis et domni imperatoris in regnum suum reducitur".

1. I.

809 filio amatori dei et domini nostri Iesu Christi, Karolo augusto Leo episcopus servus servorum Dei.

Remeante ad nos Deo annuente Sabino religioso episcopo de partibus transmarinis, obtulit nobis serenitatis vestrae epistolam, continentem de iniuncta sibi legatione, vel captu atque redemptione Aldulfi diaconi, missi nostri[1]. De quo in magno merore manemus, quousque omnipotens Deus illum ad nos usque per vestrum deducat solatium.

Repperimus etiam in ipsa honorabili vestra epistola tres quaestiones subiunctas. Una quidem de eo, quod scriptum est in euangelio secundum Matheum, ubi dicitur de domino nostro Iesu Christo: *Et veniens Nazareth habitavit ibi, ut adimpleretur quod dictum est per prophetas: „Quoniam Nazareus vocabitur"*[2]. Alteram de eo, quod in principio euangelii secundum Marcum testimonium propheticum ita positum est: *Initium euangelii Iesu Christi, filii Dei; sicut scriptum est in Isaia propheta: Ecce mitto angelum meum, qui praeparabit viam tuam ante te*[3]. Tertiam de epistola egregii doctoris beati Pauli apostoli priore ad Corinthios, ubi dicit: *Si enim cognovissent, numquam dominum gloriae cruci fixissent*[4]; *sed sicut scriptum est: Quod oculus non vidit, nec auris*[a] *audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus diligentibus se*[5].

Scribit enim beatus Hieronimus de questione prima, id est secundum Matheum, quod hoc in Isaia scriptum habeatur; sed id magis iuxta sensum usum beatum fuisse euangelistam quam iuxta sermonis proprietatem. Scriptum namque est in commentario ipsius euangelistae ab eodem beato Hieronimo[6]: *„Et veniens habitavit in civitate, quae vocatur Nazareth, ut adimple-*

a. auris *om. c.*

1. V. Einhardi Annales (Mon. Germ. SS. I 196) 809: „Postquam Ardulfus rex Nordanhumbrorum reductus est in regnum suum, et legati imperatoris atque pontificis reversi sunt, unus ex eis, Aldulfus videlicet diaconus, a piratis captus est — ductusque ab eis in Brittania, a quodam Coenulfi regis homine redemptus est, Romamque reversus". 2. Cf. Matth. 2, 23. 3. Marc. 1, 1. 2. 4. 1 Corinth. 2, 8. 5. Cf. 1 Corinth. 2, 9. 6. Hieronymi Commentarii in Matthaeum L. I c. 3, Opp. ed. Vallarsius, Veronae 1737 T. VII p. 17.

retur, quod dictum est per prophetas: „„Quoniam Nazareus vocabitur““. Si fixum de scripturis posuisset exemplum, numquam diceret: „Quod dictum est per prophetas“, sed simpliciter: „Quod dictum est per prophetam“. Nunc autem pluraliter prophetas vocans, ostendit, se non verba de scripturis sumpsisse sed sensum. „Nazareus“ enim „sanctus“ interpretatur; sanctum autem dominum futurum omnis scriptura commemorat. Possumus et aliter dicere, quod etiam eisdem verbis iuxta Hebraicam veritatem in Isaia scriptum sit: „Exiet virga de radice Iesse et Nazareus de radice conscendet“. 809

De testimonio vero beati Marci euangelistae, quod in principio sui profert euangelii, dicens: *Initium euangelii Iesu Christi filii Dei; sicut scriptum est in Isaia propheta: Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui praeparabit viam tuam ante te*[1], et iterum: *Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas eius*[2], sciendum est: quod e duorum testimoniis prophetarum unum contexuit corpus, Malachiae videlicet et Isaiae, quorum unius edixit, alterius vero tacuit nomen. Quod enim ait: *Ecce mitto angelum meum* et cetera, de Malachia[3] protulit; quod vero adiecit: *Vox clamantis in deserto* et cetera, Isaiae[4] vaticinium est; sicut in ipsius Malachiae expositione beatus profert Hieronimus[5] dicens: *Marcus euangelista duo testimonia, Malachiae et Isaiae, sub unius prophetae sermone contexens, ita exorsus est: „Initium euangelii Iesu Christi, sicut scriptum est in Isaia propheta: Ecce mitto angelum meum ante te, qui praeparabit*[a] *viam tuam“. Hoc, licet verbis aliis, in Malachia legimus. Quod autem sequitur: „Vox clamantis in deserto“ et cetera, ab Isaia propheta dicitur.* Item vero in commentario Mathei idem beatus dicit Hieronimus: *Cum enim testimonium de Malachia Isaiaque contextum sit, quaeritur, quomodo velut ab uno Isaia exemplum putemus adsumptum. De quo ecclesiastici viri plenissime responderunt.*

a. p̄pār c.

1. Marc. 1, 1. 2. 2. Marc. 1, 3. 3. Malach. 3, 1. 4. Isai. 40, 3. 5. Hieronymi Comm. in Malachiam 3, 1, Opp. ed. Vallarsius Veronae 1736 T. VI 969.

809 At vero testimonium beati Pauli apostoli, quod in epistola ad Corinthios protulit, dicens: *Quod oculus non vidit nec auris audivit*[1] et cetera, in Isaia propheta scriptum habetur, aliis[a] quidem verbis, eodem tamen sensu. Sic namque scriptum est ibidem[2]: *A saeculo non audierunt neque auribus perceperunt, oculus non vidit, Deus, absque te, quae praeparasti exspectantibus te.* Requirat prudentissima vestra imperialis potentia in capitulo centesimo septuagesimo[3], et ita inveniet. Quamquam beatus Ambrosius hunc sermonem in expositione eiusdem epistolae iuxta scriptum apostoli, in apocalipsi Heliae in apocriphis scriptum esse adfirmet[4].

His praemissis, omnipotens et misericors Deus sua vos protectione custodiat, atque post multorum curricula annorum vitam tribuat sempiternam. Piissimum domini[b] imperium gratia superna custodiat, eique omnium gentium colla substernat.

---

5. *Leo III papa Carolo I imperatori assentitur, ut Fortunato archiepiscopo Gradensi, a Graecis Venetisque pulso, ecclesia Polana tribuatur. De ecclesia Aquileiensi. De pravis quibusdam Fortunati factis*[c].

806—810 Domino piissimo et serenissimo, victori[d] ac triumphatori, filio amatori dei et domini nostri Iesu Christi, Karolo augusto Leo episcopus servus servorum Dei.

Dum vestrae imperiales syllabae de civitate in civitatem ad nos pervenissent, quae et a nobis susceptae ac relectae fuis-

a. alii *c.* b. et cetera ut supra *cod. pro* domini — substernat. c. *Lemma:* Epistola, qualiter quidam episcopus exsul inventus est. d. et reliqua ut supra *cod. pro* victori — servorum Dei.

1. 1 Corinth. 2, 9. 2. Isai. 64, 4. 3. Esaiae prophetia enim, quae in vulgata editione capita 66 exhibet, secundum veterem Latinam editionem ex LXX (cod. Vatic. n. 4220) in capita 181 divisa est (v. Sabatier Bibliorum latinae versiones T. II 512—514). Neque vero ibidem versus ille (v. supra n. 2) ad caput 170 pertinet, sed ad cap. 172. 4. V. Commentaria in epistolam ad Corinthios primam Ambrosio perperam addicta, in S. Ambrosii Opp. ed. Benedictini, Parisiis 1690 T. II append. p. 118, ubi haec leguntur: „„Sed sicut scriptum est: Quod oculus non vidit — diligentibus te"". Hoc est scriptum in apocalypsi Heliae, in apocryphis".

sent, repperimus in eis: quatenus a Gradense insula, ubi Fortunatus archiepiscopus suam propriam sedem habere videbatur, propter persecutionem Grecorum seu Veneticorum exsul esse dinoscitur[1]; et, si congrue nobis apparuisset, pro causa necessitatis in Pola — ubi iam dudum Emilianus quidam[2] episcopus praefuit — quae et diocesis praedicti Fortunati archiepiscopi exsistit, illic suam sedem haberet; et qualiter vestra a Deo protecta imperialis potentia sine consultu apostolatus nostri nequaquam eum aliubi conlocare voluit. 806—810

Nos vero de hac re pertractantes praevidimus: ut, secundum qualiter vestrae imperiali clementiae complacuit, ut in Polana ecclesia persisteret, ita maneat; sub eo prorsus tenore, ut, si Domino annuente et beato Petro apostolo protegente per vestram in triumphis victoriam ipsa sua sedis illi restituta fuerit, secundum qualiter praedicta Polana ecclesia integra cum omnia sibi pertinentia susceperit, sic iterum ea restituatur, et non de rebus eius aut pecunia ad suam debeat subtrahere sedem, sed neque cuiquam ex ipsis rebus seu pecuniis atque speciebus dare quoquo modo praesumat; ut ipsa ecclesia semper inrefragabiliter cum suo antistite salva existere possit.

Reservatur siquidem in ipsis vestris imperialibus apicibus, quomodo in Aquis palatio nobiscum praevidistis[3] de Aquileiense ecclesia, velut una, quae suam sedem haberet. Credat enim nobis vestra clementia, eo quod, quicquid ibidem una vobiscum vel cum fratribus et coepiscopis nostris oratores vestri pertractavimus, omnia ad mercedem animae vestrae seu filiorum vestrorum esse conspicitur.

Omnipotens et misericors Deus per intercessionem sanctae suae genetricis sanctorumque apostolorum Petri ac Pauli diu vos in hoc mundo conservare dignetur, et post multorum anno-

1. Fortunatum, amissa sede Gradensi, in Galliam anno 806 se contulisse, annoque 810 sedem illam recuperavisse, cognoscimus ex Iohannis chronico Veneto, Mon. Germ. SS. VII p. 14. 15. 2. Aemiliani, quondam patriarchae Gradensis (749—757, de quo v. Iohannis chron. Gradense, Mon. Germ. SS. VII p. 47) mentio inferri videtur. 3. anno 805, circiter die 6 Ianuarii. V. Regesta pontificum Romanorum p. 218.

806—810 rum curricula caelestia regna cum sanctis omnibus faciat adipisci. Piissimum domini imperium[a] gratia superna custodiat, eique omnium gentium colla substernat.

EMBOLIM.

Et hoc vestrae serenitati intimare curavimus de praefato Fortunato: ut, sicut semper pro illius honore temporale laboratis[1], ita et de anima eius curam ponatis; ut per vestrum pavorem suum ministerium melius expleat. Quia non audivimus de eo, sicut decet de archiepiscopo, neque de partibus istis, neque de partibus Franciae ubi eum beneficiastis. Tamen gratias agimus Deo, quia omnia vobis incognita non erunt. Interrogate quidem fideles vestros, et omnia vobis nota fiant; eo quod illi, qui vobis eum conlaudant, hoc per munera et calciaria faciunt. Quid nobis plus amabile est quam vestra dulcissima anima? Et Deus cognitor est, quia post salutem animae vestrae haec omnia vobis insinuamus; eo quod de tanto amore, quem erga vestram serenitatem gerimus, ideo silere non possumus.

Potestis interrogare fratrem nostrum Hildibaldum archiepiscopum[2] et Ercanbaldum cancellarium. Fortasse aliquid exinde cognoverunt. Quia cognovimus eos animae vestrae fideles in omnibus.

---

6. *Leo III papa Carolo I imperatori nuntiat, Lampadusam Pontias Isclam-maiorem insulas a Mauris direptas esse. Michaelis I imperatoris patricium et spadarios duos non esse ab Anthimo duce Beneventano adiutos; sed Caietanos et Amalphitanos opem iis tulisse. Maritimas suae ditionis oras non accepisse impetum*[b].

812 Aug. 26 Domino piissimo et serenissimo, victori ac triumphatori,

a. et reliqua ut supra *cod. pro* imperium — substernat. b. *Lemma:* Epistola de occisione Maurorum in Grecos.

1. V. Iohannis chronicon Gradense (Mon. Germ. SS. VII 47): „Hic (Fortunatus) tantae famositatis fuit, ut dive memoriae Karolus imperator spiritalem patrem eum habere optaret. Cuius ad augmentum aecclesiae idem reverentissimus augustus quam plurima contulit praecepta". 2. Coloniensem.

filio amatori dei et domini nostri Iesu Christi, Karolo augusto 812
Leo episcopus servus servorum Dei. Aug. 26

Scimus igitur, vestram a Deo protectam imperialem potentiam semper de integritate et exaltatione atque custodia matris suae sanctae Romanae ecclesiae eiusque finibus sollertissimam habere sollicitudinem. Et ideo notum facimus serenitati vestrae ea, quae nuper audivimus et ex parte certi sumus.

Vestrae siquidem a Deo datae sapientiae incognitum non est, quod illa nefandissima Agarinorum gens partibus Siciliae anno praesente venire consiliaverunt[1]. Nunc autem, sicut audivimus, in quibusdam Grecorum insulis coniunxerunt.

Pro quibus vero misit Michahel[2] imperator patricium et spadarios cum stolo, ut contra eos, Christo adiuvante, dimicare debuissent.

Cumque ipse patricius in Siciliam coniunxisset, direxit missos suos per Beneventum ad Anthimum Neapolitanum ducem, ut cum toto ipso Neapolitano ducatu[a], qui illi oboedire voluisset[b], navale auxilium ei praebere studuisset. Qui vero dux occasiones proponens, in adiutorio eius ire contempsit. Kaietani autem et Amalfitani[c], aliquanta congregantes navigia, in auxilio illius abierunt.

Postmodum vero, ut audivimus, ingressi sunt ipsi nefandissimi Mauri, tredecim scilicet navigia, in insulam quae dicitur Lampadusa, partibus Siciliae constituta, et praedaverunt eam. Cumque de praedicto Grecorum stolo septem navigia ibidem explorando perrexissent, ut se[d] veritatem cognoscere potuissent, conprehendentes eos Deo odibiles Mauri, occiderunt illos. Et

a. ducato *corr. in* ducatu *c.* b. voluissent *c.* c. Amalfritani *c.* d. *sic cod.; an* rei?

1. Einhardi Annales (Mon. Germ. SS. I 199) 812: „imperator — Bernhardum filium Pippini, nepotem suum, in Italiam misit; et propter famam classis, quae et de Africa et de Hispania ad vastandam Italiam ventura dicebatur, Walanem filium Bernhardi patruelis sui cum illo esse iussit, quoad usque rerum eventus securitatem nostris adferret. Haec classis partim in Corsicam, partim in Sardiniam venit; et ea quidem, quae ad Sardiniam est delata, pene tota deleta est". 2. I (a d. 2 Oct. 811 ad d. 10 Iul. 813).

812 Aug. 26 dum exspectassent eos Greci, qui miserunt illos ad explorandum et minime essent[a] reversi, abierunt generaliter super eos. Et Christo miserante, totos illos iniquos Mauros occiderunt, ita ut nec unum ex eis vivum reliquerunt.

Porro et hoc relatum est nobis: quod quadraginta naves de ipsis Mauris venerunt in insulam, quae Pontias vocitatur, ubi monachi residebant, et praedaverunt eam. Postmodum vero egredientes ex ea, ingressi sunt in insulam, quae dicitur Iscla maiore, non longe a Neapolitana urbe miliaria 30, in qua familia et peculia Neapolitanorum non parva invenerunt; et
Aug. 18–21 fuerunt inibi a 15 usque 12 Kal. Septembris, et numquam ipsi Neapolitani super eos exierunt. Cumque totam ipsam insulam depredassent, implentes navigia sua de hominibus et escis necessariis, reversi sunt post se. Kaietani autem, qui post desolationem iam dictae insulae ibidem fuerunt, dixerunt: quod invenissent homines occisos iacere, et granum et scirpha, quae ipsi Mauri portare secum non potuerunt; sed et caballos Mauriscos, quos in suis ducebant navigiis, occisos ibidem dimiserunt.

Ecce, quaecunque audire potuimus de Grecorum partibus, serenitati vestrae intimare curavimus.

De nostris autem terminibus insinuamus vestrae tranquillissimae imperiali[b] potentiae: quia per intercessionem sanctae Dei genetricis semperque virginis Mariae dominae nostrae et beatorum apostolorum Petri ac Pauli et per vestram prudentissimam ordinationem omnia salva et inlaesa existunt. A quo enim de illorum adventu vestra nos exhortavit serenitas[1], semper postera et litoraria nostra ordinata habuimus, et habemus custodias.

Nosque cum[c] nostris sacerdotibus in ecclesia fautoris vestri beati Petri apostoli Dei omnipotentis exoramus clementiam: ut suam sanctam ecclesiam ab insidiis inimicorum custodire et defendere dignetur; vosque ad exaltationem et defensionem eius per longa annorum curricula conservare et protegere iubeat, at-

a. essent *in litura*. b. imperialis *corr. in* imperiali *c*. c. nosque cum *in litura*.

1. V. supra p. 323 n. 1.

que ad gaudia aeterna post multa temporum spatia cum sanctis perducat omnibus. 812 Aug. 26

Piissimum domini imperium gratia superna custodiat, eique omnium gentium colla substernat.

Absoluta 7 Kal. Septembris.

---

7. *Leo III papa Carolo I imperatori mittit Gregorii patricii Siciliensis litteras. De pace in decem annos confecta inter eundem Gregorium et Sarracenorum legatos; de centum Maurorum navibus ad Sardiniam insulam mari mersis; de Michaele I imperatore monacho facto*[a].

Domino piissimo et serenissimo, victori ac triumphatori, 813 filio amatori dei et domini nostri Iesu Christi, Karolo augusto Nov. 11 Leo episcopus servus servorum Dei.

Tertio igitur Idus Novembris suscepimus epistolam Gregorii patricii Siciliensis, responsum scilicet serenitatis vestrae epistolae, quam illi per hominem nostrum emisimus. Vobis siquidem, pro qua causa ignoramus, epistolam, nomini vestro titulatam, non emisit. Illam tamen quam nobis direxit epistolam — de qua vobis exemplar aut, postquam eam legeremus, a nostro sigillo[b] sigillatam vestrae imperiali potentiae dirigere petiit — nos pro vestra satisfactione neque eam ad legendum aperuimus, neque quid in ea continetur cognovimus; nisi quod per illum missum nostrum nobis in verbis direxit: id est de illis Sarracenorum missis, cum quibus pactum confirmavit ipse patricius in annos decem.

Dicebat enim ad praedictos missos Sarracenorum: *Quale nobiscum pactum facere vultis? cum ecce iam anni sunt octuaginta quinque*[1], *quod pactum nobiscum fecistis et firmum non fuit. Immo et Constantinus patricius, qui ante me praefuit, in decem annos*[2] *vobiscum pactum firmavit usque ad futuram octavam indictionem*[3]; *sed neque ipsum pactum firmum tenuistis.*

a. *Lemma:* Epistola, qualiter Sicilienses cum Sarracenis pactum fecerunt et captivi redditi sunt. b. a nostro sigillo *in litura.*

1. ab a. 728. 2. 804—814. 3. a d. 1 Sept. 814 ad d. 31 Aug. 815 decurrentem.

813 Nov. 11 *Nunc autem quale vobis pactum faciamus, nobis incognitum est.* Ad haec respondebant ipsi Sarracenorum missi dicentes: *Pater*[1] *istius amiralmuminin*[2], *qui nunc apud nos regnare videtur*[3], *defunctus est, et iste relictus est parvulus*[4]. *Et qui fuit servus, factus est liber; et qui liber fuit, effectus est dominus; et nullum se regem habere putabant. Sed ecce nunc, postquam omnia quae pater suus habuit sibi subiecit, vult firma stabilitate hoc, quod petimus, pactum servare. De Spanis autem non spondimus; quia non sunt sub dicione regni nostri. Sed in quantum valemus eos superare, sicut vos ita et nos contra illos in mare dimicare promittimus; etsi soli nos non valemus. Nos a parte nostra, et vos a vestra, a christianorum finibus eos abiciamus.*

Post haec vero convenit illis; et confirmaverunt in scriptis inter se pactum in annos decem[a5]. Et dedit eis missum nomine[b] Theopistum notarium. Et reddidit illis, quantos habuit conprehensos de ipsis Sarracenis; ut illos christianos, quos de suis finibus praedaverunt, reddidissent.

Et postquam iam dictum pactum inter se firmaverunt, et missus noster ab ipso patricio absolutus est, invenit in Catena unum hominem, sub nimia velocitate ad patricium nuntiare festinans: quod septem navigia Maurorum praedaverunt unum vicum in Rigio; et duas naves ex eis post eos ad litus exierunt vacuae.

Nam et hoc nuntiavit nobis ipse missus noster, quod audisset ab hominibus Sarracenorum missis: quod isto Iunio mense transactae sextae indictionis[6] voluissent cum aliis centum navibus ad Sardiniam peragrare; et dum venissent prope Sardiniam, subito

a. ·X· *c.* b. nom̄ *c.*

1. Harun Arraschid chalifus, qui obiit d. 23 Mart. 809. V. Weil, Geschichte der Chalifen II 165. 2. Arabice „amiru-l-muminina" idem declarat, quod Latine „imperator fidelium". 3. Mohammed Alemin (filius Haruni Arraschid), qui regnavit ab obitu patris sui ad d. 25 Sept. 813; v. Weil l. l. p. 194 n. 2. Itaque de eius morte Sarraceni illi ineunte mense Novembri nondum certiores facti erant. 4. Cum Harun moreretur, fuit Mohammed Alemin 23 annos natus. V. Weil l. l. p. 163. 5. ab a. 813 ad a. 823. 6. m. Iunio a. 813.

aperta est maris[a] et subgluttivit illa centum navigia; et post- 813
modum sic cum magno timore reversi sunt ipsi Sarraceni; qui Nov. 11
hoc dicebant in Africa et nuntiaverunt ad familiam de illis, qui submersi sunt, et talem luctum fecerunt, qualem nunquam ibidem fuit. Cumque ipse missus noster talia audisset, interrogavit illum notarium, qui eum custodiebat, si veritas esset, quae ab illis Sarracenis audierat. Et dixit ipse notarius: quod ita esset; et ipse ore proprio legisset ad patricium illam epistolam, quam ei unus christianus amicus suus ab Africa direxit, in qua de submersione de praedictis centum navigiis continebat. Et hoc factum est in mense Iunio, quando illud signum igneum tamquam lampadam in caelo multi viderunt.

Ipsi vero missi Sarracenorum in navigiis Beneticorum[b] venerunt; et sic veniendo combusserunt igne duo navigia, quae de Spania veniebant.

Ecce, quod per hominem nostrum audivimus, serenitati vestrae intimare curavimus.

Sed precamur serenitatem vestram: ut, postquam ipsa epistola Gregorii patricii relecta fuerit a vobis, nobis eam dirigere non dedignemini.

Quod autem minime vobis epistolam ipse patricius misit, et in illam, quam nobis direxit, nomen vestrum non exaravit, cum a vobis perlecta fuerit, statim vestra a Deo data sapientia cognoscere poterit, cur vobis epistolam ut decuit non emisit. Tamen — si praesumptio non nobis imputatur, quod amando ea, quae de hac re sentimus, serenitati vestrae insinuamus — videtur nobis: quia sine consultu Leonis[1] imperatoris sui non ausus est vobis adhuc epistolam suam dirigere.

His praemissis, omnipotens et misericors Deus sua vos protectione custodiat, atque post multorum tempora annorum ad gaudia aeterna perducat. Piissimum domini imperium gratia superna custodiat, eique omnium gentium colla substernat.

Absoluta 3 Idus Novembris.

a. *sic.* b. beneticoram *c.*

1. V (813—820).

813 Nov. 11 Dixit Gregorius patricius ad missum nostrum, quod Michahel[1] imperator monachus effectus est cum uxore[2] et filiis suis.

---

8. *Leo III papa Carolo I imperatori nuntiat, quos rumores de Leone V imperatore Graeci ad se pertulerint*[a].

813 Nov. 25 Domino piissimo et serenissimo, victori ac triumphatori, filio amatori dei et domini nostri Iesu Christi, Karolo augusto Leo episcopus servus servorum Dei.

Postquam enim epistolam Gregorii patricii Siciliensis simul cum nostra[3] emisimus serenitati vestrae, coniunxit ad nos unum navigium nostrum cum aliquibus Grecis hominibus. Ex quibus unus dixit nobis: quod, dum esset Leo[4], qui nunc effectus est[5] imperator, contra Vulgaros ad pugnandum, Procopia uxor Michahelis[6] imperatoris habuisset quendam amicum nomine Constantinum patricium et exhortasset eum, ut sibi eam in coniugium copulasset; promittens ei thesaurum absconditum multum, quod se abditum a patre suo[7] habere dicebat, per quod populum erogare debuisset, quatinus imperatorem eum sibi elegissent. Tunc re.....ductus[b] sermonibus eius iniquo illius consilio, et pacavit sibi multos, dans largiflua dona. Post haec vero intromiserunt eum in palatium[c] imperialem, laudem canentes ei. Ipse autem Constantinus fecit ad se accersire Niciforum patriarcham[8] et dixit se coronari, sicut mos est imperatorum. Ille igitur patriarcha nolens coronare eum, ... manibus[d] propriis; uxorem[9] vero Leonis imperatoris exorbavit[10], et filium eius parvulum interemit. Hoc cum audisset Leo imperator, ubi erat in finibus Vulgarorum ad pugnam, coepit afflictis sermonibus increpare patricios et optimates, qui cum illo erant, dicens:

a. *Lemma:* Epistola de iniquo consilio facto. b. *desinit in cod. versus in* re, *et sequens versus a* ductus *orditur.* c. palatio *corr. est in* palatium *in cod.* d. *in cod. versus a* manibus *exorditur.*

1. I (811—813). 2. Procopia. 3. ep. 7 supra p. 325. 4. V (813—820). 5. d. 10 Iulii 813. 6. I (811—813). 7. Nicephoro imperatore (802—811). 8. Constantinopolitanum. 9. Theodosiam. 10. Non perspicio, cur Cangio „exorbare“ et „excaecare“ idem esse videatur.

Boni et christianissimi viri, cur talem iniquitatem in me facere 813
voluistis, quod elegistis me vobis imperatorem? Et ecce nunc et Nov. 25
uxorem meam et filium meum occiderunt, et levaverunt sibi alium imperatorem. Tunc omnes, stupore magno repleti, dixerunt ei: *Benignissime domine, nullam perturbationem ante faciamus, donec infra civitatem ingredi valeamus.* Et inito consilio, deposuit imperialem vestem et induit militarem; et tollens secum quinque milia viros armatos electos ad proelium, reversus est ad murum civitatis Constantinopolitanae, et coepit cum eis Constantinum imperatorem foris muros vocibus magnis laudare ac dicere: *Constantinum magnum imperatorem multos annos.* Cumque nuntiatum fuisset, quod multi milites fugissent a Leone et venissent ad eum, laudantes illum, fecit eis aperire portas civitatis, ut rogam[1] eis dare debuisset. Illis autem ingredientibus, non pepercerunt neque viris neque mulieribus sed neque parvulis, quibus invenire potuerunt. Et mortui sunt, ut fertur, 16 milia inter viros et mulieres. Tunc ipse Leo imperator misertus est populo suo. Et petiit, cum Constantino bellum committere; ne pro duobus viris tantorum christianorum sanguis effunderetur. Post hanc vero petitionem ingressi sunt ambo in locum, qui dicitur ippodromio; et occisus est Constantinus a Leone imperatore. In eadem hora interfecit Theodorum patricium et omnes, qui in ipso consilio fuerunt. Procopiam autem uxorem Michahelis imperatoris[a] occidit, et membra eius abscidens distribuit per murum civitatis. Cumque sibi vindictam taliter perfecisset et ordinasset congrue civitatem, reversus est ad exercitum suum in finibus Vulgarorum[2].

Postmodum vero coniunxit ad nos unum hominem Gregorii patricii, qui dixit nobis: quod neque patriarcham occiderunt, neque uxorem Leonis imperatoris[a] exorbaverunt, sed neque filius eius interfectus est; nisi unam parvulam filiam suam fecit Procopia, uxor Michahelis imperatoris, interficere.

a. impr̄ *c.*

1. aes militare. 2. Tota haec Graeci illius narratio conficta est.

813 Nov. 25 Haec vero a Graecis hominibus audientes, serenitati vestrae intimare curavimus.

His praemissis, omnipotens et misericors Deus sua vos protectione custodiat, atque post multorum curricula annorum ad gaudia aeterna perducat. Piissimum domini imperium gratia superna custodiat, eique omnium gentium colla substernat.

Absoluta 7 Kal. Decembris.

---

9. *Leo III papa Carolo I imperatori legatos suos commendat. Nuntios eius queritur non potius usui quam noxae sibi fuisse omniaque ad palatium Ravennas pertinentia abstulisse*[a].

801—814 Domino piissimo et serenissimo, victori[b] ac triumphatori, filio amatori dei et domini nostri Iesu Christi, Karolo augusto Leo episcopus servus servorum Dei.

Ad hoc omnipotens et invisibilis Deus noster vestram a Deo protectam imperialem potentiam sanctae suae ecclesiae fecit esse custodem, ut ubique gubernatione laudabili ad augmentum gloriae vestrae vigilantior existeret; et quos consilio exterius regitis, perire interius non permittatis; quatinus per fructum piae sollicitudinis vestrae ad aeterna, quae sanctis suis daturus est, gaudia pertingere mereatis, atque ex bonorum vestrorum actibus dignam retributionem multipliciter percipiatis.

Misimus itaque praesentes oratores vestros, Iohannem videlicet reverentissimum episcopum et Basilium religiosum egumenum, visitationis causa ad vestram imperialem clementiam cum benedictione beati Petri apostoli fautoris vestri. Sed petimus serenitatem vestram, ut ne iniuriosum ducatis, quod non aliquid dignum munificentiae vestrae vobis dirigere valuimus. Verumtamen, de beati Petri apostoli rebus, quamvis parva sint, quae offeruntur, pro magna semper benedictione suscipienda sunt. Quoniam et hic vobis valebit maiora impendere et apud omnipotentem Deum beneficia aeterna praesentare.

Dum enim in hominibus — post Deum et sanctos suos —

a. *Lemma:* Epistola, qualiter missi, iustitiam facturi, damnum fe(c)erunt. b. et reliqua ut supra *cod. pro* victori — servorum Dei.

non nisi in vestram imperialem potentiam fiduciam habemus, iustum prospeximus: ut et gaudium nostrum et angustias, quae assidue patimur, vestris piis intimaremus auribus; ut oblatio[a], quam vestri dulcissimi parentes et vos ipsi beato Petro apostolo obtulistis, accepta atque secura sit in conspectu eius; quatinus ab ipso clavigero regni caelorum, qui vos in suis utilitatibus defensores constituit, dignam retributionem percipere mereamini; et vestra opinatissima imperialis munificentia in universo fideli populo laudabiliter diffametur; et nos pro causa neglegentiae ante tribunal Dei cum ipso domino et nutritore nostro beato Petro apostolo in iudicio minime provocemur, pro eo quod oppressiones populi Dei vestrae non nuntiassemus clementiae. 801—814

Misit igitur pia serenitas vestra missos suos, ut iustitiam nobis facere debuissent. Sed magis damnum quam profectum nobis fecerunt. Verumtamen missos vestros, qui ad nos venerunt, interrogare dignemini; et ipsi vobis viva voce insinuare possunt ea, quae in nostris hominibus audierunt vel viderunt peracta. Sed et praesens Iohannes episcopus, missus noster, per singula vestrae potest innotescere imperiali potentiae: quia omnia, quicquid per vestrum pium ac legale iudicium de causa videlicet palatii Ravennatis recolleximus — unde et iussistis, ut nullus quilibet homo in posterum conquassare aut in iudicio promovere praesumeret — tam de vulgaria, quam etiam de mansis, quas per vestrum dispositum Herminus fidelis vester nobis reconsignavit, omnia cum casis vineis seu laboribus atque peculiis abstulerunt. Et nihil exinde nobis remansit.

Quam ob rem quesumus vestram imperialem clementiam: ut sic de vestra a Deo accepta donatione, quam praedicto Dei apostolo obtulistis, peragere iubeatis, quatinus in nulla minuatur parte, sed maxime per vestrum laboriosum certamen firma atque stabilis et inconcussa perennis temporibus persistere valeat; et nos, licet impares, tamen Deo miserante vicem eiusdem Dei apostoli tenentes, securiter ac patienter Dei omnipotentis possimus exorare clementiam, ut vestrum robustissimum brachium

a. oblationem *c*.

801—814 forte contra inimicos sanctae Dei ecclesiae extendat, et omnes barbaras nationes pede fortitudinis opprimatis.

Piissimum domini imperium[a] gratia superna custodiat, eique omnium gentium colla substernat.

---

10. *Leo III papa Carolo I imperatori respondet, falso se insimulari contumeliis affecisse nuntios eius. De suo erga eum amore. Mitti cupit, qui nuntiorum acta exquirat*[b].

801—814 Domino piissimo et serenissimo, victori ac triumphatori, filio amatori dei et domini nostri Iesu Christi, Karolo augusto Leo episcopus servus servorum Dei.

Remeantes ad nos fidelissimi missi nostri, quos[c] ad vestram imperialem potentiam direximus, retulerunt nobis de vestra benignissima bonitate, quam erga beatum Petrum apostolum et eius vicarium geritis ex intimo cordis amore.

Inter ea optulerunt nobis honorabiles vestras epistolas et capitularem. Quod vero capitularem post relectionem duarum epistolarum reserantes, inter cetera gaudia, quae praelatae epistolae cordi nostro effuderunt, sic primum capitulum eiusdem capitularis cor nostrum relevavit, ita ut cum propheta dicere cupimus: *Domine, salvum fac regem; et exaudi nos in die, qua invocaverimus te*[1].

Cumque per ordinem ad sextum coniungeremus capitulum, quantum gaudium et laetitiam praedictae epistolae atque cetera capitula nobis ingesserunt, tantum merore et tristitia postmodum sumus repleti. Continebat enim in ipso praefato sexto capitulo: quod missos iam invenire non valetis, qui nobis placeant; de qua re valde tristatur vestra serenitas; et nullus de ipsis, qui iam ad nos fuit directus, per suam voluntatem amplius missus erit, excepto quod oboedientiam vestram voluntarie unus quisque adimplere cupit; et non solum missi vestri timent vestram portare legationem ad nostram pusillanimitatem, verum etiam alii iam non sunt ausi quaerere a vobis auxilium; quia nullus est,

a. ut supra *cod. pro* imperium — substernat. b. *Lemma:* Prima de accussatoribus. c. qui *c.*

1. Ps. 19, 10.

qui vestram quaesivit clementiam, ut dicunt, qui postmodum ad plenam potuisset pervenire gratiam nostram; et quia plures directos habuistis missos fideles, ex quibus iam alii mortui sunt et ipsi blasfemati fuerunt, et de ipsis qui vivunt nullus iam sine blasfemio esse videtur. 801—814

Unde nobis, fili dulcissime, quid aliud agendum est, nisi preces pro his, qui talia vobis mentiti sunt, ad Deum fundamus, sicut scriptum est: *Orate pro inimicis vestris.* Credat enim nobis vestra serenitas: quia ea, quae ad animae vestrae salutem cognoverimus, nullo modo tacemus; et si antea tacuimus, nunc autem non cessamus sive de bonis sive de malis vestrae intimare potentiae. Nam, qui per mendatium et malas machinationes vult filium separare a matre, iudicium habebit cum ipso clavigero regni caelorum beato Petro apostolo. Quia mihi in hoc mundo nihil pretiosior est quam animae vestrae salus. Sed quia omnia, quae de vestra prosperitate atque exaltatione in corde nostro gerimus, per singula exarare non valemus, sic nobis omnipotens Deus retribuat, sicut de vestro honore et sospitate cupimus. Verumtamen, cum multo amore multaque fide erga vos constringimur, tacere nullo modo possumus: ut vos ipsi pro anima vestra vigiletis; scientes, quia ista misera et caduca vita in modicum exterminatur et finem habet, et omnes rationem redditori sumus Deo de[a] vaniloquiis[b].

Igitur hominibus non citius credatis ante satisfactionem. Sed tamen, si eos[c] bene suscepimus et honoravimus pro vestro amore, Deus nobis retribuat bona et vos satisfaciat; ut in causis beati Petri apostoli amplius et amplius decertetis. Et si non vobis nuntiaverunt, quomodo eos honorifice suscepimus, quid aliud dicamus: nisi *ut Deus illis indulgeat.*

Verumtamen, si prope fuissemus, adiuvante Dei omnipotentis misericordia, vos habuissetis inter veritatem et mendacium discernere. Quia talem vobis a Deo datam esse sapientiam credimus, ut tale[d] improperium atque confusionem non habuissemus in faciem nostram.

a. de *addidit Conringius.* b. vaniloquis *corr. in* vaniloquiis *c.* c. nos *cod.* d. talem *c. ubi littera* m *erasa est.*

801—814 Recordari credimus vestram serenitatem, quia vicibus nobis misistis: quod neminem de nobis mala loqui permitteretis, neque locum illi tribueretis.

Sed quid igitur restat, nisi ut inter tantas accussationes, quae de nobis et fidelibus nostris, qui aliquod profectum sanctae nostrae ecclesiae faciebant, vobis dictae sunt, cum lacrimis gratias agamus Deo omnipotenti. Nam de illo amore, quem erga vos gerimus, nullus in hac vita nos separare potest, nisi sola mors quandoque nobis obvenerit.

Sed quid tantum fastidium facimus auribus vestris. Certissime, in quantum nobis Deus largire dignatus est, sic in nostro sensu cogitamus: quod nullus de antecessoribus nostris partibus ipsis cum tanto amore servierunt, quantum nos servivimus. Sed nostrum servitium, ut videmus, nemini aptum fuit.

De autem accussatoribus missorum vestrorum, de quibus nobis emisistis, ut aut in nostram aut in vestram praesentiam ad discutiendum veniant, si placet pietati vestrae, missum vestrum dirigite absque illis; qui omnia liquidius inquirat et vestrae imperiali potentiae fideliter nuntiet: quid aut quomodo istis in partibus egerunt, et qualem profectum exinde sancta Dei ecclesia mater vestra habet. Verumtamen omnia in vestro committimus sagacissimo arbitrio.

His praemissis, omnipotens et misericors Deus per intercessionem sanctae suae genetricis semper virginis Mariae dominae nostrae et beatorum principum apostolorum Petri ac Pauli tale[a] cordi vestro salubre consilium inspiret: ut oblatio, quam dulcissimus genitor vester domnus Pippinus rex beato Petro apostolo obtulit et vos confirmastis, ipse claviger regni caelestis ante conspectum Dei cum ipsa donatione vos praesentetur; quatinus gaudia aeterna percipere mereatis.

Piissimum domini imperium gratia superna custodiat, eique omnium gentium colla substernat.

a. talem *corr. in* tale *c.*

EPISTOLAE CAROLINAE.

Hoc loco visum est mihi edere non modo ferme omnes, quibus pepercit interitus, ipsius Caroli Magni epistolas[1], *sed bonam partem etiam earum, quae vel ad eundem missae sunt vel aliquid cum eo coniunctum habent. Neque vero universitatem harum rerum appetii. Corpora epistolarum enim, veluti Alcuinanarum, quae integra promere satius est, ad tempus praetermittenda duxi, id agens ut eas epistolas, quae aut omnino solivagae aut cum paucis congregatae inveniuntur, aliaque quaedam litterarum monumenta coacervarem et quam emendatissima proferrem. Ad eam rem quos codices manu scriptos et ipse aggressus sim et ut consulerent a viris doctis impetraverim, sub singulis capitibus legetur. Eximie vero de hac collectione meriti sunt Wilhelmus Wattenbach et Ernestus Dümmler, quorum prior cum ineditas antehac Dungali epistolas septem*[2] *ex musei Britannici codice descripsisset in posterioris gratiam, hic me dono accepto benevolentissime muneratus est.*

Berolini 17 Kal. Maias 1867.

1. Non recepi Caroli ad Offanum regem epistolam perspicue falsam, quam ediderunt Baluzius Capit. I 194, Bouquet Rec. V 620 alii. 2. quarum mentionem fecit Brequigny ap. Frobenium, Alcuini opp. I 222.

1. *Cathuulfus Carolo I Francorum regi prosperitatem gratulatur eumque ad virtutem sequendam admonet*[a].

c. 775 Domino regi piissimo, gratia Dei celsissimo, Carlo vere carissimo, regno Christi rectissimo, ultimus namque Cathuulfus, tamen vester servulus, intimo corde puro in Spiritu salutem sancto.

Domine mi rex, igitur preco te, ut illius semper recordaveris, sicut credo, qui de nihilo te creavit, etiam ex minimo fecit maximum. Nam terreni nihil est parentis, nisi tantum ut humorem corporis, in qua est[b] nascendi cum sensu voluptatis materiam, emittat vel recipiat; etiam[c] tunc a Deo est, in quantum quod peccatum non est. Cetera namque a Deo sunt omnia. Conceptus scilicet ipse, et corporis informatio, et inspiratio anime, et partus incolomis et quecumque deinceps ad hominem conservatam valentis Dei est. Et illius munus est, quod vivimus, quod spiramus, iuxta illud: *Flatus hominis in manu Dei est,* item: *Manus tuae fecerunt me*[1] et reliqua. Et hec sunt communia omnibus hominibus.

Propriis etiam beatitudinibus et peculiaribus[d], o, o rex mi, honoravit te rex tuus super alteros coetaneos tuos; et super antecessores tuos corona gloriae beavit te:

Prima de regis dignitate reginaque, sed et insuper illorum namque precum specialiter Deum precantium, maxime matris, sicut Deo placuit inde, conceptus; ast natus, immo a Deo[e] .... rex mi. Et hoc verbum diligenter considera.

Secunda, quod primogenitus es. Et benedictione illius, sicut scriptum est, accipies iuxta illud: *Omne primogenitum, quod aperit vulvam, sanctum Domino vocabitur*[2] et reliqua.

a. *Descripsi ex bibliothecae imp. Parisiensis cod. lat.* 2777 *membr. saec. IX fol.* 55v. *Lemma:* Incipit epistola ad domno Carolo rege. *Ediderunt Duchesne Hist. Franc. Scriptores T. II* 665, *Delalande Conciliorum Galliae supplem. p.* 81 *(Bouquet Recueil V* 634*)*. b. *an* inquam? c. et ha *c.* d. pecialibus *c.* e. *sequitur lacuna novem fere litterarum.*

1. Ps. 118, 73. 2. Exod. 13, 2; Luc. 2, 23.

Tercia, ut de fratris[a] tui[1] insidiis in omnibus Deus te con- c. 775
servavit; ut de Iacob et Esau legitur.

Quarta, quod sortisti regnum cum fratri tuo Francorum. 768

Quinta: non minimum est beatitudinis signum, quod Deus
transtulit illum[2] de regno (Franco)rum et exaltavit te super 771
omne hoc regnum sine sanguinis effusione. ... mira pietas et
magna clementia Dei in illa die, cum exercitu Francorum stultus
.. et sapiens gratia agens, reliqua.

Sexta, quod Langobardorum exercitus ante faciem (tuam) 773
sine publico bello in fugam conversus.

Septima: Alpes intrasti, inimicis (fugienti)bus; opulentissi-
mam quoque civitatem etiam Papiam cum rege[3] sine cruoris 774
..................[b] cum omnibus thesauris eius adprehendisti.

Octava, quod auream et imperialem Romam intrasti[4], et Apr. 2
Italiorum regna com omnibus preciosis a rege regnorum suaviter
accepisti. Quantis etiam modis, ante faciem tuam inimicis in c. 775
fugam conversis, et victor extitisti, et hoc exemplatum[c] est de
te, quod in salmis legitur, quamquam de Christo et de David
maxime intellegitur: *Persequar inimicos, et conprehendam illos*[5]
et reliqua; item et persona dei Patris: *Et inimicos eius in
fugam convertam*[6]; et item: *Et ego primogenitum ponam illum*[7]
et reliqua; et item in Moyse: *Deus pugnat pro nobis*[8]; item
sanctus Paulus: *Si Deus pro nobis, quis contra nos est?*[9] Sic
de Iosue, de David, de Ezechia, de Iuda Machabeo, reliqua.

Nunc igitur, domine mi rex, pro his modis beatitudinum nocte et die com omnibus exercitibus tuis da gloriam Deo regi regnorum et gratiarum acciones com omni regno tuo: quod ipse te exaltavit in honorem glorie regni Europe. Et adhuc etiam maiora prestat tibi horum, namque praedictorum, si illum exaltas cum suis hoc modo. Memor esto ergo semper, rex mi, Dei regis tui cum timore et amore, quod tu es in vice illius:

a. fratres *c.* b. *evanuerunt litterae fere* 18. c. Et hoc exemplū ē.tū *c.*

1. Carolomanni regis. 2. Carolomannum regem, qui obiit 771 Dec. 4. 3. Desiderio. 4. 774 Apr. 2. 5. Ps. 18, 38. 6. V. Ps. 88, 24. 7. Ps. 88, 28. 8. V. Exod. 14, 14. 9. Rom. 8, 31.

c. 775 super omnia membra eius custodire et regere, et rationem reddere in die iudicii, etiam per te. Et episcopus est in secundo loco, in vice Christi tantum est. Ergo considerate inter vos, diligenter legem Dei constituere super populum Dei, quod Deus tuus dixit tibi, cuius vicem tenes, in psalmo: *Et nunc reges intellegite*[1] et reliqua; item: *Servite Domino in timore*[2] et reliqua; item: *Adprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus*[3] et reliqua.

Exempla perplurima sunt, ut legem exaltetis. Primum pauca vobis scribo, sicut canones promunt et totius christianitatis lex continet per Dei mandatum.

Post fidem Dei et amorem et timorem, ut sepius habeas enchyridion, quod est librum manualem, legem Dei tui scriptum in manibus tuis; ut legas illum omnibus diebus vite tue, ut tu sis in sapientia divina et secularibus litteris inbutus, sicut David et Salomon et ceteri reges fuerunt. Item dixit Deus ad Moysen de regibus: *Cum sederit in solio regni sui, numquam recedet liber legis de manibus suis*[4]; *non uxores plures habeat*[5]; *non superbum super coetaneos suos*[6], *non elatum, non invidiosum* et reliqua; sed r(ecte) iudicare inter pauperem et potentem, et pauperem eripere de manu potentis et reliqua.

Et christianum vendere, numquam in paganam gentem dimittere. Vae, vae, Christi membrum coniungere membro diaboli, animam perdere, redditor precii eius ante thronum Christi.

Sponsam Christi vestire cum ornamentis super omnia, id est ecclesiarum privilegia constituere maxima. Monachorum vitam et canonicorum cum episcopis tuis simul virginum monasteriorum regere. Non per laicos, quod scelus ..., sed per spiritales pastores emendare, super omnia Deum timentes, sicut scriptum (est) in lege: *Episcopos, presbiteros, diaconos* et reliqu., comites, centenarios (quinquagena)rios, decanos et rel. munera non accipientes, ut lex Dei dest(ruatur) .... paecuniae, sed tecum omnia disponentes in timore Dei secundum

1. Ps. 2, 10. 2. Ps. 2, 11. 3. Ps. 2, 12. 4. Cf. Deut. 17, 18. 19. 5. Cf. Deut. 17, 17. 6. Cf. Deut. 17, 20.

legem; quia non sunt omnes episcopi, qui dicuntur episcopi, c. 775
sic comites, sic et rel. ó ó vae vae.

Paucas firmiter columnas, ut timeo, castra Dei tecum habes sustentare. Sunt autem octo columne regis iusti propriae. In his, adtende diligenter, prima est veritas in rebus regalibus; secunda pacientia in omni negotio; tertia largitas in muneribus; quarta persuadibilitas in verbis; quinta malorum correptio et constrictio; sexta bonorum elevatio et exaltatio; septima levitas tributi in populo; octava aequitas iudici inter divitem et pauperem. Has ergo octo columnas si obnixae servas, eris tunc[a] rex — quod rex dicitur a regendo, sicut regnum a regibus — et regnum tuum erit benedictum cum diebus tuis, cum uxore et filiis. Et tunc erit aeris et tempestatum tranquillitas, terre maris cum omnibus in eis nascentibus fecunditas, et dominaberis etiam multis feliciter gentibus et inimici tui ante faciem tuam cadunt et reliqua. E contra, sicut dixit sanctus Patricius: *Pro regis iniustitia sui ipsius infelicitas erit, uxoris filiorum quoque dissensio, populorum fames, pestilentia, infecunditas terre, maris quoque tempestatibus fructus terrarum diversis percussis, et ab inimicis suis superatus et expulsus de regno.* Et sicut habes exempla sufficienter in his diebus et patrum tuorum, sicut de Waepere[1] et de Desiderio filioque eius[2] regnisque illorum et rel.; sicut Roboam[b], Achaz, Achab et reliqui reges Iudeorum, qui fecerunt malum in conspectu Domini[3] et non ambulaverunt in mandatis Dei.

Tu ergo, rex mi, hec omnia lege et diligenter considera, ne honorem tuum hic et in futuro perderis. Sed bonum vero consilium cum sapientibus tuis, ini[c] consilium, pone concilium[4], maxime cum timentibus Deum. Et ex illis elegeris: per civitates et monasteria et per omnem regnum tuum leges renovare et iniusta distruere. Et legem scientibus, munera non accipien-

a. tunt *c.* b. Roboas *c.* c. In .II. *c.*

1. Waifario duce Aquitanorum a. 768 interempto. 2. Adalgiso. 3. V. 3 Reg. 16, 30. 4. Isai. 16, 3: „Ini consilium, coge concilium, pone“ cet.

c. 775 tibus sed recta disponentibus, (id e)st cum episcopis et comitibus probatis et rel.; ut spinas et tribulas et scandala vitiorum possis (e regn)o tuo extirpare et exercitum christianorum, membra Christi, pie regere.

...... mis ergo pastoris praedictis. Canones namque mandant et lex totius mundi primis Romana (immo) Deus, ut sepulchra christianorum pacem habeant; sin aliter, puniantur per legem. Maleficos, (vene)ficos, tempestarios, strigas, phitonissas, fures, homicidas, maxime in ecclesiis Dei ..... cias, adulteros, rapaces, falsidicos in publico vel qui fariatos frangunt, vel qui .... nt christianos in gentilitatem, periuratores maxime in eclesia Dei et falsa moneta ..... non reddentes, ecclesiarum spoliatores vel raptores, viduarum pupillarum ...... cum iniuria fatientes, et raptores viduarum vel virginum et sanctaemonialium ...... et omnia incerta. Haec et his similia corrigere vel damnare pro vindicte legis .... quod minister Dei es in his omnibus et vindex, et reliqua.

.... illum exalta in his omnibus praedictis in laude, quod ipse te honorifice super omnes antecessores tuos gentis tuae exaltans, iuxta illud: *Exaltate dominum Deum nostrum*[1] et reliqua; item: *Iubilate deo omnis terra*[2]; item: *Omnis terra adoret te*[3]; item: *Confiteantur tibi, Domine, omnes reges terre*[4] *et cantent in canticis Domino* et reliqua.

Ergo, mi rex, si vobis placeat hoc consilium, pro his omnibus, pro te et pro exercitu christianorum: ut unum diem post ieiunium in anno in honore sanctae trinitatis et unitatis et angelorum et omnium sanctorum celebrem constitues super regnum tuum cum consilio synodi Francorum; et missam sancti Michaelis et sancti Petri passionem in publico celebrare regno tuo constitues. Haec et his similia tibi faciente, tunc certe cum magna felicitate et beatitudine tu et membra Christi tecum hic et in futuro regnabitis cum angelis et archangelis sine fine et cum omnibus sanctis manebitis in gaudio in secula seculorum amen.

Haec vero pauca, domne rex mi, de multis excarpsi, quae

1. Ps. 98, 5. 2. Ps. 65, 1. 3. Ps. 65, 4. 4. Ps. 137, 4.

ad memoriam venerunt. Placuit mihi rustico verbo, quamvis sicut sum ignarus, tamen vobis scribere, in vestram pietatem confidens, ut mee stultitiae venia detur et vestra merces apud Deum copiosior fiat. Valete apud Deum, vive felix semper in aevum. c. 775

Cantemus Regi regum bene[a] semper honorem;
Nam Christo laudes sanctoque Petro sine fine.
Triplice concentu, Carlus mi, rex populorum,
Laudemus sanctam trinitatem[b] sed Deum unum.
Qui[c] tibi nam regnum sine bello fortiter augens,
Hic Deus adiutor valide tibi semper adinstat;
Impia qui tulit tibi semper bella per orbem,
Obruit en fortes, simul et humiles honoravit;
Nomine nam dignus quoque, quo Deus alme vocatur.
Gloria sit semper trinitati, sed simul in unum[d].

O, o, dies prope sunt. Qui tunc tenet teneat, donec dimidium[e] fiat. Lege et intellege diligenter.

---

2. *Carolus I rex Francorum legatis suis praescribit, quid Hadriano I papae renuntient*[f].

Primo capitulo. Salutat vos[1] dominus noster filius vester Carolus rex et filia vestra domina nostra Fastrada r(egina ..... filii et) filiae domini nostri, simul et omnis domus sua. 785

II. Salutant vos cuncti sacerdotes, episcopi et abbates atque omnis congregatio illorum in Dei servicio constituta; etiam et universus ge(n)e(rosus) populus Francorum.

III. Gratias agit vobis dominus noster filius vester, quia dignati fuistis illi mandare per decorabiles missos et melliflua aepistola ves(tra) de vestra a Deo conservata sanitate. Quia tunc illi gaudium et salus ac prosperitas esse cernitur,

a. Ƀ *c.* b. tritinitatem *c.* c. Quid *c.* d. *ex* sed insimul uni. e. *manus posterior* di *scripsit super* dimiū. f. *Descripsi ex bibliothecae imp. Parisiensis membrana saec. VIII, lat.* 9008. *Ediderunt Champollion-Figeac Fragment inédit relatif à l'histoire de Charlemagne (Paris* 1836*), Pertzius Mon. Germ. LL. II* 550.

1. Hadrianum I papam.

785 quando de vestra sanitate vel populi vestri[a] salute audire et certus esse meruerit.

IIII. Similiter multas vobis agit gratias dominus noster filius vester de sacrissanctis orationibus vestris, quibus adsidue pro illo et fidelibus ecclesiae et vestris atque suis decertatis, non solum pro vivis sed etiam pro defunctis. Et si Domino placuerit, vestrum bonum certamen dominus noster filius vester cum omni bonitate in omnibus retribuere desiderat.

V. Mandavit vobis filius vester, dominus videlicet noster: quia — Deo gratias et vestras sanctas orationes — cum illo et filia vestra, eius coniuge, et (filiis) sibi a Deo datis vel omni domo sua sive cum omnibus fidelibus suis prospera esse videntur.

VI. P o s t e a v e r o d a n d a e s t a e p i s t o l a, d i c e n t i b u s h o c m o d o: Praesentem aepistolam misit vobis dominus noster filius vester; postuland(o) scilicet sanctitati vestre, ut almitas vestra amando eam recipiat.

VII. D e i n d e d i c e n d u m e s t: Misit vobis nunc dominus noster filius vester talia munera, qualia in Saxonia[1] praeparare potuit. Et quand(o) placet sanctitati vestrae, ostendamus ea.

VIII. D e i n d e d i c e n d u m e r i t: Dominus noster filius vester hec parva munuscula paternitati vestrae[b] distinavit; inducias postolan(do) interim, dum meliora sanctitati vestrae praeparare potuerit.

VIIII. D e i n d e ....

a. populo vestro *correctum est in* populi vestri. b. *sequitur rasura.*

1. Cf. Annales Laurissenses (Mon. Germ. SS. I 166) 785: „Carolus rex — reversus est Aeresburgum; uxorem suam domnam Fastradanem reginam una cum filiis et filiabus suis ad se venire iussit. Ibi tota hieme residens et ibi pascha iam fatus excellentissimus rex celebravit". Cf. supra primum capitulum.

3. *Carolus I rex Francorum Baugulfo abbati Fuldensi scribit de litterarum studiis per monasteria urgendis*[a] [1].

Karolus gratia Dei rex Francorum et Langobardorum ac 787
patritius Romanorum Baugulfo abbati[2] et omni congregationi, tibi etiam commissis fidelibus oratoribus nostris, in omnipotentis Dei nomine amabilem dereximus salutem.

Notum igitur sit Deo placitae devotioni vestrae: quia nos una cum fidelibus nostris consideravimus utile esse, ut per[b] episcopia et monasteria, nobis Christo propitio ad gubernandum commissa, praeter regularis vitae ordinem atque sanctae religionis conversationem etiam in litterarum meditationibus eos, qui donante Domino discere possunt, secundum unius cuiusque capacitatem discendi studium debeant impendere; qualiter, sicut regularis norma honestatem morum, ita quoque docendi et discendi instantia ordinet et ornet seriem verborum; ut, qui Deo placere appetunt recte vivendo, ei etiam placere non neglegant recte loquendo. Scriptum est enim: *Aut ex verbis tuis iustificaberis, aut ex verbis tuis condemnaberis*[3]. Quamvis enim melius sit bene facere quam nosse, prius tamen est nosse quam facere. Debet ergo quisque discere, quod optat implere; ut tanto uberius, quid agere debeat, intellegat anima, quanto in omnipotentis Dei laudibus sine mendatiorum offendiculis cucurrerit lingua. Nam cum omnibus hominibus vitanda sint mendatia, quanto magis illi secundum possibilitatem declinare debent, qui ad hoc solummodo probantur electi, ut servire spetialiter debeant veritati.

Nam, cum nobis in his annis a nonnullis monasteriis sepius scripta dirigerentur, in quibus quid pro nobis fratres ibidem

a. *Descripsi ex codice quondam S. Arnulfi, hodie bibliothecae Mettensis* E. 19 *membr. saec. XII:* Epistola Karoli imperatoris. *Ediderunt Sirmondus Conc. Gall. II* 121, *Mabilio Ann. ord. Ben. II* 278, *Baluzius Capit. I* 201, *Bouquet Recueil V* 621, *Pertzius in Mon. Germ. LL. I* 52. b. per *addidi.*

1. Cf. Annalium Laurissensium additamentum (Mon. Germ. SS. I 171) ad 787: „Et domnus rex Carolus iterum a Roma artis grammaticae et computatoriae magistros secum adduxit in Franciam et ubique studium literarum expandere iussit". 2. Fuldensi, 780—802. 3. V. Matth. 12, 37.

787 commorantes in sacris et piis orationibus decertarent significaretur, cognovimus in plurimis praefatis conscriptionibus eorundem et sensus rectos et sermones incultos. Quia, quod pia devotio interius fideliter dictabat, hoc exterius propter neglegentiam discendi lingua inerudita exprimere sine reprehensione non valebat.

Unde factum est, ut timere inciperemus: ne forte, sicut minor erat in scribendo prudentia, ita quoque et multo minor esset, quam recte esse debuisset, in sanctarum scripturarum ad intellegendum sapientia. Et bene novimus omnes, quia, quamvis periculosi sint errores verborum, multo periculosiores sunt errores sensuum.

Quam ob rem hortamur vos: litterarum studia non solum non neglegere, verum etiam humillima et Deo placita intentione ad hoc certatim discere, ut facilius et rectius divinarum scripturarum mysteria valeatis penetrare. Cum enim in sacris paginis scemata, tropi et cetera his similia inserta inveniantur, nulli dubium: quod ea unus quisque legens tanto citius spiritualiter intellegit, quanto prius in litterature magisterio plenius instructus fuerit. Tales vero ad hoc opus viri eligantur, qui et voluntatem et possibilitatem discendi et desiderium habeant alios instruendi. Et hoc totum ea intentione agatur, qua devotione a nobis praecipitur. Obtamus enim vos, sicut decet milites[a], et interius devotos et exterius doctos, castosque bene vivendo et scolasticos bene loquendo; ut, quicumque vos propter nomen Domini et sancte conversationis nobilitatem ad videndum expetierit, sicut de aspectu vestro edificatur visus, ita quoque de sapientia vestra, quam in legendo seu cantando perceperit, instructus, omnipotenti Domino gratias agendo gaudens redeat.

Huius itaque epistolae exemplaria ad omnes suffragantes tuosque coepiscopos[1] et per universa monasteria dirigi non neglegas, si gratiam nostram habere vis.

a. *an* monachos?

1. Inde comperimus, Carolum has litteras non ad ipsum Baugulfum abbatem misisse, sed archiepiscopis dedisse negotium, ut earum exempla per episcopatus et monasteria dimitterent.

Et nullus monachus foris monasterio iuditiaria[1] teneatur[a] 787
nec per mallos et publica placita pergat.

Legens valeat.

---

4. *Hadrianus I papa e Caroli I regis, ut videtur, legatis quaerit, num Capuanorum quorundam deditionem accipiat litterasque ad Adelpergam Arechis ducis Beneventani viduam mittat*[b][2].

.... (ad co)gn(i)tionem pruden(tissi)m(ae re)lig(iosi)tati 788
seu gl(o)riae vestrae deducimus, eo quod a(d nos ven)erunt[3] ali- post Ian. 22
quanti ex civibus Capuani, scilicet Gregorius presbiter, Saduct(us), Aimo, Au(demundus, Perg)ulfus, Siculfus, Landemaris, Uualdifridus, Audulfus et Corbulus — de qua[4] p(raecellentissimus filius) et spiritalis conpater noster dominus Carulus rex Francorum et Langubar(dorum at)que patricius Romanorum don(ation)em beato Petro apostolo fautori suo . . (obtulit) . . cum sua praecellentissima coniuge domina re(gina) eorumque novilissimos suvoles et cunct(is episc)opis abbatibus (nec non) et omnes novilissimi Franci — petentes nobis: bea(ti Petri) et nostri essent subiecti, sicut per donationem praecellentissimi domini regis agniti sunt. Et (proinde) vestrum petimus consilium: si eos in servitio beati Petri apostoli recipere debeamu(s an non)[5]. Nobis quippe melius e(sse a)paret, si eos recipiemus, ut inter eis dissen(sio) fiat et divisis inveniantur; (eo) quod ad partem atque effectum beati Petri (simul et) praecellentissimi filii nostri domini regis

a. tenea *cod.* b. *Descripsi ex imagine archetypi papyracei (quondam in coenobio S. Dionysii, hodie in tabulario imp. Parisiensi servati), quam publicavit Tardif Facsimile de chartes et diplomes Mérovingiens et Carlovingiens, Paris* 1866. *Ediderunt Mabilio De re diplom. Supplem. p.* 96, *Tardif Monuments historiques p.* 67.

1. sc. potestate. 2. Haec epistola ad Maginarium abbatem S. Dionysii et Iosephum diaconum et Liudericum, Caroli regis in Italiam legatos, missa esse videtur, de quibus v. Codicis Carolini ep. 85 supra p. 258. 3. anno 788 post d. 22 Ianuarii. V. Cod. Carolin. ep. 85 supra p. 258. 4. urbe Capuana. 5. Cf. Codic. Carolini ep. 86 supra p. 260, in qua Hadrianus I papa Carolo regi haec significat: „post aliquantos dies prelatos Capuanos — iurare fecimus in fide — apostoli et nostra atque vestrae regalis potentiae“. Itaque haec ep. 4 paullo ante Codicis Carolini ep. 86 (scriptam 788 post Ian.) data est.

788 post Ian. 22 sic expedit: ut, dum divisi fuerint, melius (cohibeantur) sine nostro vestroque lavore.

Sed et hoc nobis praelati (Capuani petebant, ut) nostrum missum una cum indiculum apud Adelperga rel(icta A)rechis[1] dirigere deberemus et (im)perantes (eis) cum omnes Benebentani: ut n(on) auder(en)t ipsi Beneben(ta)nis aut aliis ex illis partibus cives super eos d............ (a)ut qualibet in eis malitiam ingerere. Se(t) neque hoc (sine vestro) consilio facere volui(mus). Quapropter quesumus vestrae ..... (p)rudentiae: ut tam de recipiendi eos quamque de nostro misso una cum nostru(m ind)iculum apud praedictam Adelpergam seu Benebentum dirigendum nobis (co)nsilium praebere debeatis; et qualiter exinde congruae et recte pros(pexer)itis, nobis protinus per vestra scrip(t)a significare maturemini; (ut, hostibus sup)plosis, vestrae ex(i)m(iae) pr(u)den(tiae), intercedente be(at)o Petro (apostolo fau)tori vestro, divina maiestas per multorum curricula annorum ...

---

5. *Maginarius abbas S. Dionysii Parisiensis Carolo I regi Francorum legationem suam renuntiat*[a][2].

788 c. Ian. 22 ..... dominatio (ve)stra .... de .. id est (A)ttonem (et Go)ddr(amnum .. convenit)[3] inter nos[4]: ut illi (irent ad Valvae oppid)o, nos vero per Sangrum in fine Beneventana; et si quis de nobis prior (advenisset), ibidem suos pares expectare debuisset; et quodcumque in ipso itin(ere nostro) de vestra fidelitate cognovissemus, illis significassemus et illi simili(ter nobis).

(Sed A)tto et Goddramnus antea quam nos quattuor dies ad Benevento vene(runt).

(Nos) vero, dum per vestros fideles cognovissemus, quod

a. *Descripsi ex archetypi papyracei (olim in coenobio S. Dionysii, hodie in tabulario imp. Parisiensi servati) imagine, quam vulgavit Tardif Facsimile de chartes et diplomes Mérovingiens et Carlovingiens sur papyrus et sur parchemin, Paris* 1866. *Ediderunt Mabilio de re diplom. Supplem. p.* 96, *Tardif Monuments historiques p.* 66.

1. ducis Beneventani. 2. De hac epistola cf. Codicis Carolini epp. 85 et 86, supra p. 256 et 259. 3. quae addidi, ea uncis inclusa sunt. 4. Romae.

ipsi homines Beneventani, (sicut) rectum fuerat, non erant, statim 788
illis significavimus. Et rogavimus, (si id utile) putarent, ut antea c. Ian. 22
ad Salerno non irent, quam nos ad Benevento coniunc(xissemus).

(Sed) dum in fine Beneventana intrassemus, nullam fidelitatem adu(ersus vestram excellentiam c)ognovimus. Iterum misso nostro cum epistula nostra ad (eos dir)exim(us: ut i)bi nos ad Benevento expectarent, sicut domnus apostolicus[1] n(obis consuluerat, u)t quicquid facere debuissemus, communiter fecissemus; et postea, si, nobis (coniunctis) secundum iussionem domni apostolici, nos ibi (ad) Benevento fidelitatem eorum co(gnovissemus, ad) Salerno pergeremus; si vero non, ibi inter nos considerassemus, ut ad ill(os per) nostrum missum et epistullam significassemus, ut ad nos venissent et ibi de profe(cto et salute) domni apostolici seu et de vestra inter nos decertassemus, sicut vestra fuer(at iussio) facere.

Sed dictum est nobis, quod ipsi nos expectare voluissent; et illi(c nos nostr)um consilium eis facere voluerunt, antequam ad Salernum venis(sent).

(Sed) dum nos per infideles vestros — Deo sibi contrario — usque ad Benevento venissem(us, putantes) nostros pares invenire et ibi (cum eis) considerare, qualiter vestram iussionem (feci)ssemus, illi iam uno die antea, quam nos venissemus, iter ad Salernum (fecerant).

(Nos) vero de hac causa in magnam tribulationem devenimus, pro eo quod nostros (pares nobi)scum non habebamus et nobis significatum erat a vestris fidelibus: (si ad Salerno venis)semus, quod ill(i) nos detenere voluissent, usque dum certi fuissent, (quid de Gri)maldo[2] vel de eorum missis[a] facere voluissetis. Et hoc adserebant: (si certa)m firmitatem illis non fecissemus, quod Grimaldo illis ad duce dona(ssetis) vel illas civitates, quod sancto Petro vel domno apostolico donastis, illis relax(assetis, nu)llo modo vestram iussionem conplere volunt, nec nos relaxare sed firm(iter dete)nere vellent; si vero hoc

a. missus *tab.*

1. Hadrianus I. 2. filio Arighisi ducis Beneventani.

788 promisissemus, tunc se adserebant de aliquali(bet re ves)tram
c. Ian. 22 iussionem conplere.

Dum talia cognovimus, ego Maginarius sim(ulavi me aegri)tudine detentum ita fortiter, ut ad Salerno ire non potuissem. Interim (cum illo)rum insidias cognovissemus, propterea, ut nostros pares de Salerno ad nos reci(peremus), sic per nostram epistulam ad Albergae[1] et ad alios primatos Beneventanos dir(eximus dice)ndo: quod ego Maginarius Ioseph[2] et Leudericum ibi transmittere voluissem; et ill(i dixissent, quo)d sine me ire non vellent; et nobis dirigerent Attone et Goddramno[3], cum il(lisque pri)matos Beneventanos duodecim vel quattuordecim, vel quantos illi voluiss(ent; et) postea nos illi(s) significassemus, quod a vobis iniunctum habuimus, et sic c(um eis t)ractassemus de profecto vestro vel de salute terrae illius; post ca(ptam sanitatem si ego) Maginarius potuissem, cum illis ad Salerno pergerem; sin vero aliter, (reverterentur) Atto, Ioseph, Leudericus et Goddramnus iterum ad Salerno, haec omnia (tractaturi) cum illorum primato(s).

Sed ipsa Adalberga noluit suos primatos diregere; (sed so)lum Goddramno ad nos in Benevento direxit.

Sed dum per vestros fidelissim(os cognov)issemus, quod illi nos perdere voluerunt, omnia Goddramno de vestra in(fidelitate retuli)mus et ille similiter nobis. Et Goddramnus voluit revert(ere a)d (S)alern(o ob Attonem. Sed di)ximus, ut melius fuisset, quod unus detentus fuisset, quam duo.

(Nos vero dum is)ta et alia multa de vestra infidelitate cognovimus, ad pullorum cantum, postquam .... (i)bidem demorati fuimus et nihil de vestro profecto cognovimus, sine illorum consensu, (benigni)tate Dei ad(iuvan)te et vestra fide(litate) ... d vestros inimicos, nos (re)ce(ssimus) et pugnando (pervenimus) in fine (Spo)litana[4] ....

1. viduam Arighisi ducis Beneventani. 2. Iosephum. 3. Attonem et Goddramnum. 4. V. Cod. Carolini ep. 85 supra p. 257: „fugam arripientes Maginarius cum Ioseph et Liuderico una cum Goderamno, qui ad eos adloquendum venerat a Salerno, introierunt in finibus ducati Spoletini in prelato oppido Valvae“.

6. *Carolus I Francorum rex Fastradae reginae significat de Avaris a Pippini Italiae regis exercitu superatis et de litaniis a sese factis. Monet, ut item litanias faciat saepiusque nuntios ad se mittat*[a].

Carolus gratia Dei rex Francorum et Langobardorum ac 791
patricius Romanorum dilecte[b] nobis et valde amabili coniuge post Sept. 7
nostrae ill.[1] regine.

Salutem amabilem tibi in Domino per hos apices mittere studuimus et per te dulcissimis filiabus nostris vel ceteris fidelibus nostris tecum morantibus. Scientem tibi facimus, quia gratias Deo sani et salvi sumus.

Missus quidem dilecti filii nostri ill.[2] nomine ill. nobis nuntiavit de eius sanitate ac domni apostolici[3] vel de salvatione[c] confinium nostrorum illis partibus positis. Unde valde laetificati extitimus.

Et insuper retulit[d] nobis: qualiter illa scara nostra, quae prius de Italia iussimus pergere partibus Avariae in ill. confinia
resedendum, perrexerunt[4] infra fines ipsorum decimo Kalendas Aug. 23
Septembris. Et inierunt pugnam cum eis. Et dedit eis Deus omnipotens pro sua misericordia victoriam, et multitudinem de ipsis Avaris interfecerunt; in tantum, ut dicunt, quod in multis diebus maior stragis de ipsis Avaris factum non fuit. Et expoliaverunt ipsum uualum[e]; et sederunt ibidem ipsa nocte vel
in crastina[5] usque hora diei tertia. Et acceptis expoliis reversi Aug. 24
sunt in pace. Et centum quinquaginta de ipsas Avaris vivos

a. *Descripsi ex cod. bibliothecae imp. Parisiensis Lat. n.* 2777 *membr. sec. IX fol.* 61. *Ediderunt Sirmondus Concil. ant. Gall. II* 158, *Duchesne Hist. Franc. SS. II* 187, *Cointius Annal. eccl. Fr. VI* 460, *Baluzius Capitul. I* 255, *Mansi Conc. XIII append. p.* 185, *Bouquet Recueil V* 623. b. dilecta *c.* c. salvationē *c.* d. retullit *c.* e. uualū *c.*

1. Fastradae. 2. Pippini regis Italiae (781—810). 3. Hadriani I. 4. Pippini regis Italiae copiae (non ipse Pippinus rex). V. Annales Laureshamenses (Mon. Germ. SS. I 34) 791: „Sed et ille tunc eius (Caroli) exercitus, quem Pippinus filius eius de Italia transmisit, ipse (exercitus) introivit in Illyricum et inde in Pannonia, et fecerunt ibi similiter, vastantes et incendentes terram illam, sicut rex (Carolus) fecit cum exercitu suo, ubi ipse erat". 5. Aug. 24.

791 Aug. 24 conprehenderunt, quos reservaverunt, ut nostra fiat iussio, qualiter exinde agere debeant. Fideles Dei ac nostri, qui hoc egerunt, fuerunt ille episcopus, ill. dux, ill. et ill. comites. Ill. dux de Histria, ut dictum est nobis, quod ibidem bene fecit ill. cum suis hominibus. Vassi vero nostri fuerunt illi.

Nos autem, Domino adiuvante, tribus diebus letania feci-
Sept. 5, 6, 7 mus[1], id est Nonis Septembris quod fuit Lunis die incipientes, et Martis et Mercoris; Dei misericordiam deprecantes: ut nobis pacem et sanitatem atque victoriam et prosperum iter tribuere dignetur, et ut in sua misericordia et pietate nobis adiutor et consiliator atque defensor in omnibus angustiis nostris exsistat. Et a vino et carne ordinaverunt sacerdotes nostri, qui propter infirm(itatem au)t[a] senectudinem aut iuventudinem abstinere potebant, ut abstinuisset; (et qui re)demere[b] voluisset, quod vinum licentiam habuisset bibendi ipsis tribus diebus, (diti)ores et potentiores homines in una quaque die solidum hunum dedissent, minus potentes iuxta possibilitatem ipsorum; et qui amplius dare non potebat et vinum bibere volebat, saltim vel unum din(a)rium donasset. Aelimosina vero unus quisque secundum propriam atque bonam voluntatem vel iuxta possibilitatem fecisset. Et sacerdos unus quisque missam specialem fecissent, nisi infirmitas inpedisset. Et clerici, qui psalmos sciebant, unus quisque quinquaginta cantasset; et interim quod ipsas letanias faciebant, discaltiati am(bu)lassent. Sic consideraverunt sacerdotes nostri; et nos omnes ita aptificavimus (et) Domino adiuvante complevimus.

Unde volumus: ut tu cum ill. et ill. vel ceteris fi(de)libus nostris considerare debeas, qualiter ipsae letanias ibidem factas fiant. Tu autem, iuxta quod tua infirmitas permittit, in tuo committimus arbitrio.

Et mirum nobis fuit: quia vestrum missum nec epistolam,

a. *membrana hoc loco perforata est.* b. *perforata membrana, nihil legitur nisi:* abstinuisset . . . . . . lemere.

1. iuxta Anesam fiuvium; v. Annales Laurissenses 791, Mon. Germ. SS. I 176.

postquam de Ragenisb(urg) ....., ad nos non venit. Unde volumus, ut sepius nobis de tua sanitate vel de aliud, quod placuerit, significari debeas. Iterumque salutamus tibi multum in Domino. 791 post Sept. 7

---

7. *Carolus I rex Francorum Offam regem Merciorum rogat, ut presbyterum et Scottum, qui ieiunium non observaverit, e dioecesi Coloniensi in patriam redire iubeat, ubi proprius episcopus de eo iudicet*[a].

Karolus gratia Dei rex Francorum et defensor sanctae Dei ecclesiae dilecto fratri et amico Offae regi[1] salutem. 784—796

Presbyter iste et Scottus apud nos moratus est aliquanto tempore in parrochia Hildeboldi Colonensis episcopi[2], sed reprehensibilis factus, ut fertur, a quodam accusatore, quod carnem diebus quadragesimalibus comedisset. Nostri vero sacerdotes, iudicare renuerunt, quia plenum testimonium accusantium super eum non invenerunt. Tamen nec eum loco consueto habitationis suae propter infamiam diutius morari permiserunt; ne sacerdotalis honor apud imperitum vulgus vilesceret, vel rumigera loquela aliqui hortarentur violare sanctum ieiunium. Visum est nostris sacerdotibus, illum ad sui episcopi, ubi Deo votum fecit, dirigere iudicium.

Idcirco vestram deprecamur providentiam, ut iubeatis illum secundum opportunitatem temporis et provectionis in suam transponere patriam; ut ibi iudicetur, unde exivit. Nam ibi quoque sanctae Dei ecclesiae puritas in moribus et firmitas in fide et honestas in conversatione secundum canonicam sanctionem diligenter observari debebit ut una perfecta et immaculata columba, cuius pennae deargentatae et posteriora eius in specie auri clarescere debent.

Vita salus et prosperitas tibi tuisque fidelibus a deo Christo detur in aeternum.

a. *Ediderunt Quercetanus in Alchvvini Opp. p.* 1614, *Baluzius Capitul. I* 275, *Bouquet Rec. V* 626, *Frobenius in Alcuini Opp. II* 557.

1. Merciorum, 757—796. 2. 784—819.

8. *Carolus I rex Francorum Athilhardum archiepiscopum Cantuariensem et Ceoluulfum episcopum Sidnacestrensem rogat, ut exsules quosdam Offae regi Merciorum commendent*[a].

793—796 Karolus gratia Dei rex Francorum et Longobardorum ac patritius Romanorum Athilhardo archiepiscopo[1] et Ceoluulfo coepiscopo[2] illius aeternae beatitudinis salutem.

Nullatenus, vastam[b] terrae longinquitatem vel procellosi maris latitudinem foederatae in Christo amicitiae iura disrumpere, fas arbitramur. Sed quanto longiore spacio humana dividitur conversatio, tanto probatiore fide pietatis pactum servari debebit. Quia saepe in praesentia timor vel erubescentia in facie foris ostendit, quod homo intus in corde non retinet, igitur sancta fides in absentia laudabilis extat et in praesentia venerabilis consistit.

Unde et in eius (amicitiae[c]) fiducia, quam pia olim allocutione praesentes pepigimus, hos miseros patriae suae exules vestrae dereximus pietati; deprecantes, ut pro eis intercedere dignemini apud fratrem meum carissimum Offanum regem[3], quatenus pacifice et absque alicuius iniustitiae oppressione in sua liceat conversare patria et cuilibet deservire.

Nam dominus illorum Umhrinsgstan diem obiit. Qui, ut nobis visum fuit, fidelis suo fuisset domino, si in patria licuisset perseverare. Sed ut mortis evaderet periculum, ut dicere solebat, fugit ad nos; semper paratus, se ab omni purgare infidelitate. Quem propter reconciliationem, non propter inimicitias aliquantisper retinuimus apud nos.

His vero contribulibus suis si pacem precari valeatis, remaneant in patria. Sin vero durius de illis frater meus respon-

a. *Edidit Quercetanus in Alchvvini opp. p.* 1576, *Wilkins Conc. magnae Brit. I* 154, *Frobenius in Alcuini opp. II* 557, *Bouquet Rec. V* 624. b. vastam *scripsi pro* vestram *ed.* c. amicitiae *addidi.*

1. Cantuariensi, 793—805. 2. episcopo Sidnacestrensi (s. Lindessensi), 767—796; de quo v. Stubbs Registrum sacrum Anglicanum p. 7, 9, 163. Cf. etiam Codex diplomaticus aevi Saxonici T. I, ubi in multis annorum 772—794 tabulis „Ceoluulf episcopus" comparet. 3. Merciorum, 757—796.

deat, illos ad nos remittite inlaesos. Melius est peregrinari, quam 793—796
perire; in aliena servire patria, quam in sua mori. Confido de bonitate fratris mei, si obnixe pro illis intercedatis, ut benigne suscipiat eos pro nostro amore vel magis pro Christi caritate, qui dixit: *Dimittite, et dimittetur vobis*[1].

Intercedentem pro nobis vestram sanctitatem divina pietas incolomem custodiat in aeternum.

---

9. *Carolus I rex Francorum Angilberto abbati S. Richarii Romam eunti ad Leonem III papam mandata dat*[a].

Karolus gratia Dei rex et defensor sanctae Dei[b] ecclesiae 796
Homero[2] auriculario[c] salutem.

Divina regente misericordia iter tuum[d] et prospere te adducente ad domnum apostolicum[3] patrem nostrum, ammoneas eum diligenter de omni honestate vitae suae, et praecipue de sanctorum observatione canonum, de pia sanctae Dei ecclesiae gubernatione, secundum opportunitatem conlationis inter vos et animi illius convenientiam. Ingerasque ei saepius: quam paucorum honor ille, quem praesentialiter habet, annorum, quam multorum est perpetualiter merces, quae datur bene laboranti in eo. Et de simoniaca subvertenda haeresi diligentissime suadeas illi, quae sanctum ecclesiae corpus multis male maculat in locis; et quidquid mente teneas nos[b] saepius querelis agitasse inter nos.

Sed qualis mihi esset conlatio cum beato Adriano[e] papa, praedecessore illius, de construendo monasterio ad Sanctum Paulum[4], nullatenus dimittas suggerere illi; ut, volente Deo revertens, certum mihi responsum habeas referre.

a. *Ediderunt (Q) Quercetanus in Alchvvini Opp. p.* 1611 *(Baluzius Capitul. I* 271, *Bouquet Rec. V* 625*); ex (S) codice Salzburgensi et ex (E) cod. S. Emmerammi Frobenius in Alcuini Opp. II* 558. b. *om. Q.* c. auricolario *Q.* d. iterum *Q,* iter tuum *S, E.* e. Hadriano *S.*

1. Luc. 6, 37. 2. i. e. Angilberto abbati S. Richarii Centulensi. 3. Leonem III. Ad hunc anno 796 Angilbertum missum esse, legimus in Annal. 796, Mon. Germ. SS. I 183. 4. V. Annales S. Amandi (Mon. Germ. SS. I 14) 797: „Carlus rex ad Aquis palatium concilium habuit cum episcopis abbatibus monachis de coenobium sancti Pauli, qualiter constituere deberet“.

796 Dominus Deus ducat te et reducat[a] cum omni prosperitate. Dominus Deus regat et dirigat in omni bonitate cor illius, ut faciens faciat, quod sanctae suae proficiat ecclesiae, et ut sit nobis pius pater et pro nobis praecipuus intercessor: ut idem deus et dominus noster Iesus Christus nos in sua florere faciat voluntate; et cursum, qui superest nobis, vitae nostrae ad perpetuae stabilitatis quietem perducere dignetur. Vade cum prosperitate, proficiens in veritate, reversurus cum gaudio, Homeriane puer.

---

10. *Carolus I rex Francorum Leoni III papae constituto gratulatur. Mittit munera, Hadriano I papae parata. Angilbertum legatum suum commendat. De patriciatu suo addit; monetque, ut canones sequatur*[b].

796 Karolus gratia Dei rex Francorum et Longobardorum ac patritius Romanorum Leoni papae perpetuae beatitudinis in Christo salutem.

Perlectis excellentiae vestrae litteris et audita decretali cartula, valde, ut fateor, gavisi sumus seu in electionis unanimitate seu in humilitatis vestrae[c] obedientia et in promissionis ad nos fidelitate[d]; in quibus omnibus ex intimo cordis affectu multiplices divinae pietati agentes gratias: quia nobis post lacrimabile doloris vulnus, quod animae nostrae dilectissimi patris et fidelissimi amici[1] obitus inflixit, tale in vobis solita suae clementiae providentia solatium perdonare dignatus est.

Unde et vestrae sanctitati, quasi vicario laetitiae munere, per eiusdem dei et domini nostri Iesu Christi misericordiam, qui sanctae suae ecclesiae in vestrae beatitudinis exaltatione consuluit, nostram omniumque fidelium nostrorum demandamus prosperitatem; nec non et pacificam in Dei voluntate totius

a. deducat *Q, E.* b. *Ediderunt (Q) Quercetanus in Alchvini Opp. p.* 1612 *(Baluzius Capitul. I* 271, *Bouquet Recueil V* 625*); ex (S) codice Salzburgensi et ex (E) cod. S. Emmerammi Frobenius in Alcuini Opp. II* 559. c. nostrae *Q, E.* d. *an* in fidelitatis ad nos promissione?

1. Hadriani I papae.

regni nostri innotescimus unanimitatem; ut aeque in nostrae 796
devotionis salute[a] gaudeatis, sicut et nos in vestrae sanctitatis laetemur successibus.

Sed et hoc vestrae sanctissimae benivolentiae innotescimus: quod, cum dilectionis munera patri meo dulcissimo praedecessori vestro dirigere paraveram, ut caritatis quam in eo habui munificentiae largitate monstrarem magnitudinem et suavissimae inter nos familiaritatis fidelitas multorum ostenderetur oculis, ecce subito — quod sine dolore non dicam, sine lacrimis non cogito prae tristitia — obitus illius legatione consternatus sum. Et ubi laetitiae paraveram insignia, ibi me tristitiae turbaverunt lugubria. Etsi apostolus de mortuis contristari prohiberet[1], tamen caritas lacrimas elicere non cessat, non quasi mortuum plangentes, sed quasi melius cum Christo viventem recordantes. Si nos corporali praesentia amisisset, non tamen spiritali suffragio illum nos amittere arbitramur.

Sed magnum divina nobis praevidebat gratia solatium, dum vos, vir venerande, in locum illius subrogavit; ut esset, qui cotidie apud beatum Petrum principem apostolorum pro totius ecclesiae stabilitate et qui pro salute mea meorumque fidelium immo et pro totius prosperitate[b] regni nobis a Deo dati intercederet et paterna pietate nos in filium[c] sibi adoptaret dilectionis.

Ad confirmandam[d] vero huius dulcissimae dilectionis pacificam unanimitatem Angilberctum[2], manualem nostrae[e] familiaritatis auricularium[f], vestrae direximus sanctitati. Quem prius — sicut promisimus per religiosos viros Campolum[g] et Anastasium — beatissimo patri nostro praedecessori vestro dirigere curavimus; sed ut praefati sumus[h], dum exenia omnia parata erant, lugubri paternae mortis nuntio repente tardatum est iter illius. Sed modo, laetiores de vestrae sanctitatis successione facti, quod desideravimus in illo pio patre agere, in vobis perficere

a. *om. Q.* b. stabilitate *Q, E,* prosperitate *S.* c. filiis *S.* d. Ad confirmandam — dilectionis *om. Q.* e. vestrae *Q, E,* nostrae *S.* f. *om. Q.* g. Campolune *S.* h. fuimus *S.*

1. 1 Thess. 4, 12. 2. abbatem S. Richarii Centulensem.

796 studemus[1]. Illique omnia iniunximus, quae vel nobis voluntaria vel vobis necessaria esse videbantur; ut ex conlatione mutua conferatis, quicquid ad exaltationem sanctae Dei ecclesiae vel ad stabilitatem honoris vestri vel patriciatus nostri firmitatem necessarium intelligeretis.

Sicut enim cum beatissimo patre[a] praedecessore vestro sanctae compaternitatis[b] pactum inii, sic cum beatitudine vestra eiusdem fidei et caritatis inviolabile foedus statuere desidero; quatenus, apostolicae sanctitatis vestrae divina gratia advocata precibus[c], me ubique apostolica benedictio consequatur, et sanctissima Romanae ecclesiae sedes Deo donante nostra semper devotione defendatur. Nostrum est: secundum auxilium divinae pietatis sanctam ubique[d] Christi ecclesiam ab incursu paganorum et ab infidelium devastatione armis defendere foris, et intus catholicae fidei agnitione munire. Vestrum est, sanctissime pater: elevatis ad Deum cum Moyse manibus nostram adiuvare militiam; quatenus, vobis intercedentibus, Deo ductore et datore populus christianus super inimicos sui sancti nominis ubique semper habeat victoriam, et nomen domini nostri Iesu Christi toto clarificetur in orbe.

Vestrae vero auctoritatis prudentia canonicis[e] ubique inhaereat sanctionibus et sanctorum statuta patrum semper sequatur; quatenus totius sanctitatis exempla omnibus evidenter in vestra fulgeant conversatione, et sanctae admonitionis exhortatio audiatur ab ore; quatenus luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent patrem vestrum, qui in caelis est.

Omnipotens Deus vestrae auctoritatis beatitudinem ad

a. *om. Q.* b. compaternitatis *scripsi pro* paternitatis *edd.* c. divina donante gratia sanctorum advocata precibus *edd.; sed verba haec:* donante *et* sanctorum *additicia esse liquet.* d. undique *S.* e. canones ubique *Q pro* canonicis — patrum semper *S.*

1. Annales 796 (Mon. Germ. SS. I 183): „per quem (Angilbertum) ad Sanctum Petrum magnam partem thesauri, quem Ericus dux Foroiuliensis, spoliata Hunorum regia quae Hringus vocabatur, eodem anno regi de Pannonia detulerat, misit (Carolus)“.

sanctae suae ecclesiae exaltationem per multa annorum curricula incolomem conservare dignetur. 796

---

11. *Carolus I rex Francorum Offae regi Merciorum respondet de peregrinorum Romam euntium immunitate ac de negotiatorum theloneo solvendo. Mittit munera, prospiciens animae Hadriani I papae*[a][1].

Karolus gratia Dei rex Francorum et Langobardorum et 796
patricius Romanorum viro venerando et fratri karissimo Offe regi Mertiorum salutem.

Primo gratias agimus omnipotenti Deo[b] de catholice fidei sinceritate, quam in vestris laudabiliter paginis repperimus exaratam.

De peregrinis vero, qui pro amore Dei et salute animarum suarum beatorum apostolorum limina desiderant adire, cum pace sine omni perturbatione vadant. Sed si aliqui, non religioni servientes, sed lucra sectantes, inveniantur inter eos, locis oportunis statuta solvant telonea.

Negociatores quoque volumus ut ex mandato nostro patrocinium habeant in regno nostro legitime. Et si in aliquo loco iniusta affligantur oppressione, reclament ad nos vel nostros iudices, et plenam iubebimus iusticiam fieri.

Cognoscat quoque dilectio vestra, quod aliquam benignitatem de dalmaticis nostris vel palliis ad singulas sedes episcopales regni vestri vel Ethelredi[2] direximus in elemosinam domni apostolici Adriani[3]; deprecantes, ut pro eo intercedi iubeatis; nullam habentes dubitationem, beatam illius animam in requiem esse,

a. *Descripsi ex Willelmi Malmesburiensis gestorum regum Anglorum cod. bibliothecae imperial. Parisiensis* „Notre Dame 133" *membr. saec. XII. Ediderunt in Willelmi libro Savile Rer. Angl. SS.* 32, *Hardy T. I* 128; *praeterea Bouquet Rec. V* 627, *Frobenius in Alcuini Opp. II* 618, *alii.* b. *sequuntur haec in cod.* de salute animarum. *Cf. infra.*

1. Huius epistolae excerpta tantum litteris custodivit Willelmus Malmesburiensis De gestis reg. Angl. L. I § 93; qui „haec" inquit „saltuatim verba epistolae decerpens, iccirco apposui, ut posteris elucescat amicitia Offae et Karoli". (Cf. huius paginae annot. a). 2. regis Northanhumbrorum, 774—796. 3. mortui d. 27 Dec. 795.

796 sed ut fidem et dilectionem ostendamus in amicum nobis karissimum.

Sed et de thesauro humanarum rerum, quem dominus Iesus nobis[a] gratuita pietate concessit, aliquid per metropolitanas civitates dreximus; vestre quoque dilectioni unum balteum et unum Uniscum[b] et duo pallia[c] syrica.

---

12. *Theodemar abbas Casinensis Carolo I regi Francorum mittit regulam S. Benedicti, hymnos, pondus panis, mensuram potus, promissionis monachicae exemplum. De variis rebus ad monachorum vitam pertinentibus exponit. Concedit, ut Ioseph monachus coenobio praeficiatur, Optatumque excusat*[d 1].

787—797 Propagatori ac defensori christianae religionis domno Karolo[e] per[f] Christi potentiam[g] regum sapientissimo ac[h] fortissimo

a. *om. cod.* b. sic. *cod.;* unum gladium Huniscum *edd.* c. pallica 1. d. *In hac epistola edenda adhibui (T) cod. bibliothecae publicae Trevirensis* 1422 *membr. saec. IX, ubi est lemma hoc:* Epistula congregationis sancti Benedicti ad Karolum regem Francorum de privatis eorum moribus; *(G) cod. bibliothecae S. Galli* 914 *membr. saec. IX, ab Hermanno Wartmann in meum usum collatum, fol.* 173, *ubi hoc epistolae lemma habetur:* Epistula ad regem Karolum de monasterio sancti Benedicti directa et a Paulo dictata; *(C) Angeli de Nuce editionem in Chronica Casin. p.* 128 *factam ex codice Casinensi* 353 *saec. X, ubi lemma hoc habetur:* Incipit epistola Pauli diaconi ad Carolum regem; *(F) codicem lat. Monacensem* 6255 *quondam Frisingensem* 55 *membr. saec. XI fol.* 143; *(L) codicem bibliothecae regiae Berolinensis Theol. fol.* 368 *(quondam Liesbornensem) membr. saec. XII fol.* 97. *(In cod. bibliothecae imp. Parisiensis* 2989 *membr. saec. XI fol.* 154 *nihil nisi exiguum fragmentum reperitur; neque omnino integra epistola inest in cod. S. Petri Salisburgensi VIII* 18 *membr. saec. XII fol.* 87, *quem Dümmlerus in usum meum excussit.) Ediderunt Haeftenus Disquisitiones monasticae p.* 1086, *Du Breul Chron. Casin. p.* 797, *Angelus de Nuce l. l. p.* 128. e. Carolo *G,* Karulo *F.* f. pro *T, om. C.* g. potentia *C.* h. ac fortissimo *om. T, C.*

1. Hanc epistolam a Paulo diacono Theodemari abbatis iussu compositam esse, intelligimus ex lemmatibus codicum Casinensis („Incipit epistola Pauli diaconi ad Carolum regem") et S. Galli („Epistula ad regem Karolum de monasterio sancti Benedicti directa et a Paulo dictata"). Quo autem annorum spatio data sit, arbitrari licet ex pag. 359 not. 1 et ex Leonis chron. Casin. L. I c. 12 (Mon. Germ. SS. VII 589), ubi legimus, Carolum a. 787 ex Italia in Franciam reversum huius epistolae ansam dedisse.

Theodemar[a] exiguus[1] et universus beati Benedicti patris[b] grex, 787—797
vestro subditus dominatui, aeternam in Domino[c] salutem.

Tam per epistulae seriem quamque et per sanctum virum Adalgarium[d] episcopum[2] vestra famina suscipientes, magna sumus exultatione gavisi[e]; dum vestram sublimitatem dominamque nostram reginam vestrosque liberos sospites valentesque esse cognovimus. Nec minori etiam tripudio exultavimus[f], dum vestrarum protelationem finium victoriarumque[g] de hostibus triumphos agnovimus.

Auxit etiam nostrum illa res gaudium, quia vestram excellentiam, de virtute in virtutem succrescentem, Dei agrum studiose excolere[h] addidicimus[i] ac monachorum religionem ad meliorem perducere statum. Certum est, quia vos hoc factum beatiores efficiet[k], dum tale Deo nostro tamque beneplacitum munus offertis.

Qua de re quia ad beati patris nostri Benedicti doctrinam et luculenta exempla aliquos monachorum[l] regionis illius vestrae clementiae[m] informari placuit, iuxta preceptionem vestram[n] en vobis regulam eiusdem beati[o] patris, de ipso codice quem ille suis sanctis manibus exaravit[p] transscriptam[q], dereximus. In fine autem sacre eiusdem regule hymnos, qui secundum instituta beati patris nostri per singula officia vel festivitates cantari debent, adnexuimus.

Si quem autem movet, quare beatus Benedictus in estatis tempore cottidianis diebus ad nocturnum officium unam tantum de veteri testamento lectionem legi preceperit[r][3], cognoscat: nec-

a. Theotmar *T*, Theodemar *C, F*, Theodomar *G, L*. b. patris *om. F, L*. c. Christo *F*. d. Adelgarium *C*. e. divisi *T* (*ubi manus posterior vocem correxit in* gavisi). f. exultabimus *C*. g. victoriarum *F*, victoriamque *C, L*. h. excellere *C*. i. addiscimus *T*. k. efficiat *T*. l. placuit *legitur in T post* aliquos monachorum. m. excellentiae *L*. n. *om. C*. o. *om. T*. p. exarabit *C*. q. scribtam *F*. r. praeceperit legere *C*.

1. abbas Casinensis, 778—797; v. Leonis Chron. monast. Casin. ed. Wattenbach in Mon. Germ. SS. VII 588—592. 2. quem episcopum Trecensem fuisse coniciunt nec rationibus affirmant. V. Gallia Christ. XII 489. 3. Regulae S. Benedicti cap. 10: „A pascha autem usque ad Kalendas Novembris — pro ipsis tribus lectionibus una de veteri testamento memoriter dicatur“.

787—797 dum eo tempore in Romana ecclesia, sicut nunc leguntur, sacras scripturas legi mos fuisse; sed post aliquo[a] tempore[b] hoc institutum esse[c], sive a beato papa Gregorio sive, ut ab aliis[d] adfirmatur, ab Honorio. Qua de re maiores nostri instituerunt: ut hic in sacro nostro coenobio[e], quod iuxta sanctum illius corpus institutum[f] est, tres cottidianis diebus aestivo in tempore ex veteri testamento lectiones in codice legantur; ne a sancta Romana ecclesia discrepare viderentur[g]. Nec enim credendum est: hoc beato[h] patri[i] Benedicto displicere; sed potius gratum ei esse, si quis supra id, quod ille in Dei laudibus instituit, propter Dei amorem adiciendum esse curaverit. Nam et de psalmorum canendorum[k] per singulos septimane dies divisione si cui[l] melius visum fuerit, quam ipse beatus pater instituit[1], ab ipso habet licentiam, ut melius aestimaverit, canere[2]. Nec debent cogi monachi, si tamen vestro sapientissimo cordi ita placet, qui nunc Romano more psallunt, iuxta institutionem sacre huius regule psalmos dividere; sed possunt, si vobis ita videtur[m], solito more canentes, arcioris vite normam suscipere.

Direximus quoque pondo[n] quattuor librarum, ad cuius aequalitatem[o] ponderis panis debeat[p] fieri[3], qui in quaternas quadras[q] singularum librarum[4] iuxta sacre textum regule possit dividi. Quod pondus[r] sicut ab ipso patre est institutum, in hoc est loco repertum.

Misimus etiam mensuram potus[s] quae[t] prandio[u], et aliam,

a. aliquod *T*, aliquot *ceteri codd.* b. tempore *G*, tempora *C*, tempus *T, F, L.* c. fuisse *L.* d. ab aliis *om. L.* e. coenovio *C.* f. institum *G, F.* g. videantur *T.* h. beati *T.* i. nostro *add. L.* k. *om. T.* l. quis *C.* m. videretur *T.* n. pondus *T, F, L.* o. qualitatem *L.* p. debet *F.* q. quae dr̄ *F.* r. ponendus *F.* s. unam *add. T.* t. q: *T.* u. prandii *C.*

1. Regulae capite 18. 2. ibid. verbis his: „hoc praecipue commonentes, ut, si cui forte haec distributio psalmorum displicuerit, ordinet, si melius alius iudicaverit“. 3. Mabilio in Annal. ord. Bened. T. II 282 docet, „apud Italos monachos aevo sancti Benedicti in more positum fuisse, ut crudis panibus crucis signum imprimeretur; ut scilicet cocti in quadras seu quatuor partes aequales nullo negotio scindi ac dividi possent“. 4. Regulae S. Benedicti cap. 39: „Panis libra una propensa sufficiat in die“.

quae[a] caene tempore debeat fratribus preberi. Quas duas mensuras aestimaverunt maiores[b] nostri emine mensuram[1] esse. 787—797

Dereximus etiam et[c] mensuram unius calicis, quam[d] obsequiaturi[e] fratres iuxta sacre regulae textum solent accipere.

Beatus pater noster instituit duo cocta pulmentaria in cottidiana refectione fratribus praeparari et tertium de leguminibus crudis aqua infusis[2]. Nos vero ex institutione maiorum nostrorum tria cocta pulmentaria aliis diebus, quarta feria et sexta feria duo tantum reficiendis fratribus praeparamus; excepto quod plures ex fratribus nostris pane tantum his diebus herbisque hortensibus vescuntur, quorum[f] plerique etiam nec vinum bibunt. Die vero dominico et in festivitatibus precipuis etiam quartum addimus pulmentum, exceptis secunda quarta et sexta feria[g]. Aliis diebus prandentibus fratribus, cum vinum nobis abundat, singulas fialas miscere[h] facimus. In[i] summis quoque festivitatibus, hoc est in nativitate Domini, in[k] epiphania, in pascha, et tertia feria post pascha quando nobis grandis festivitas est[3], et in ascensione Domini[l] et in pentecosten et in sancti Iohannis et in sancti Petri et in sancti Laurentii et in sanctae Mariae et in sanctorum Martini Benedicti[m] etiam bis[n] ad prandium facimus[o] miscere. Preter haec etiam aestatis tempore post nonam aliquid[p], si est, de pomis et singulas fialas nostris fratribus praebemus. Cum vero tempus[q] sectionis foeni est[r], etiam potionem ex melle ad horam quartam laborantibus fratribus propinamus. Volatilia numquam nisi die natalis Domini, si est unde, usque ad dies octo comedimus; similiter etiam paschalis festi[s] diebus.

a. q: *T.* b. patres *L.* c. *om. G.* d. quem *F.* e. obsequituri *T.* f. quorumque *F.* g. feriis *T, L.* h. miseri *L.* i. In summis — facimus miscere *om. L.* k. et *C.* l. et in ascensione Domini *om. G, C, F.* m. sancti Martini et beati Benedicti *C.* n. et in ambis *T.* o. faciamus *T.* p. aliquod *F.* q. fuerit *addit L.* r. *om. L.* s. festis *T.*

1. Regulae S. Ben. cap. 40: „credimus, eminam vini pro singulis sufficere per diem“. 2. Regulae S. Ben. cap. 39: „— ad refectionem quotidianam — duo pulmentaria cocta fratribus sufficiant, et si fuerint inde poma aut nascentia leguminum, addatur et tertium“. 3. Hic dies festus quomodo Casini agi solitus sit, docet Leonis Chron. monast. Casinensis (L. I c. 32) ed. Wattenbach in Mon. Germ. SS. VII 602.

787—797 Sed de esu[a] volatilium tam caute prudentissimus pater noster in sua regula posuit[1], ut, si velint comedere monachi, cum oportunum est, non subiaceant culpae; sin[b] vero eis a suo tale edulium non prebetur[c] abbate, ut quasi ex debito hoc non possint[d] requirere[e]. Multi[f] tamen fratrum nostrorum neque[g] volatilia çomedunt neque[g] vinum umquam nisi de sancto[h] calice bibunt.

Sane quia percontari[i] dignati estis, quod vestimentum cuculla[k] debeat intellegi, cucullam[l] nos esse dicimus, quam alio nomine casulam vocamus. Et inde est, quod hieme villosam — aestate puram aut vetustam — beatus pater habendam[m] instituit[2], quia scilicet hoc genus indumenti solet cum villis intexi.

Illud autem vestimentum, quod a Gallicanis monachis cuculla[n] dicitur et nos cappam vocamus, quod propriae monachorum designat habitum, melotem appellare debemus, sicut et actenus in hac[o] provincia a quibusdam vocatur. De quo, sicut[p] beatus Gregorius scribit[q] in libro dialogi, ereptus[r] ab aqua per Maurum monachum puer Placidus dixit: *Ego cum ab aqua abstraherer, melotem super me abbatis[s] cernebam, eumque me ab aquis educere considerabam*[3]. Quod tegumentum ideo sic appellatum est, quia solebat[t] antiquitus de illius animantis pelle fieri[u], quod melos propter rotunditatem[v] sui corporis appellatur[4]. Quod genus bestiole a nonnullis taxus vocatur. De quo genere tegumenti nihil beatus Benedictus in sue textu regule locutus est, ob hoc scilicet, ut conicere possumus, quia diverso modo hoc vidit a plerisque monachis uti tegumento[w]. Nam Galliarum

a. usu *T*. b. Si *T, L*. c. praebeatur *C*. d. possit *C*, possunt *T*. e. exquirere *F*. f. Multi — bibunt *om. C*. g. nec *T, C*. h. suo *F*. i. percunctari *T, L*. k. coculla *G*. l. cocullam *G*. m. *om. C*. n. cuculla *C, F, L*, coculla *T, G*. o. *om. T*. p. sic *F*. q. scripsit *T*. r. exceptus *C*. s. mei *add. L*. t. solebant *T*. u. pelle fieri *om. F*. v. nuditatem *C*. w. tegumentum *C*, tegumenti *T*.

1. hoc pacto: „Carnium vero quadrupedum ab omnibus abstineatur comestio", in Regulae cap. 39. De volatilibus autem silentium est. 2. Regulae S. Ben. cap. 55: „Cucullam in hieme villosam, in aestate puram et vetustam, et scapulare propter opera". 3. S. Gregorii Dialog. L. II c. 7 (Opp. ed. Benedictini T. II 225). 4. De hac etymologia cf. Cangii glossarium s. v. „melote".

monachi hoc laxius[a] et prolixius induuntur; Itali[b] vero monachi, 787—797
sicut vos[c] nostis[d], brevius huiuscemodi et strictius vestimentum habent; Greci vero propter operimentum capitis modicum quiddam tantum ante pectus et a dorso dependens[e]; transmarini[f] autem monachi huiusmodi operimentum pellicium habent. Ergo quia tantam[g] in hoc[g] monachico[h] indumento beatus Benedictus diversitatem vidit, unicuique monachorum, quod[i] ex his potius elegere velit[k] proprio arbitrio, dereliquit.

De numero autem et[l] qualitate vestimentorum sic beatus pater noster in sua regula posuit, ut tamen in[c] providentia sit abbatis, quomodo debeat pro sua unicuique distribuere necessitate[1]. Sed et ipse pater dixit, quia in temperatis regionibus minus, in frigidis plus vestimenta sit opus haberi[m][2]. Seniores tamen nostri et preteriti abbates instituerunt fratribus nostris propter diversos labores tres[n] tunicas habere, duas grossiores in hieme, unam subtiliorem in estate. Similiter et in[o] loco cocullarum duos[p] quos nos dicimus mantos[q], qui ex grossiori sago fiunt, et unum in estate subtiliorem operimentum[r]. Cocullas autem ideo non habemus, quia maioris[s] sunt pretii et quia nobis pater noster alias praecepit[t] talibus vestibus uti[u], quales possunt in provincia vilius emi[3]. Habent autem fratres nostri et duplicia femoralia; multi tamen ex eis Deo iuvante[v] in tantum se continent, ut neque femoralia habeant neque amplius quam duplicia secundum regularem textum indumenta.

Statuit autem venerabilis pater, ut scapulare[w] monachi

a. laxe *T.* b. Italici *G, F.* c. *om. C.* d. nostri *G, L, F pro* vos nostis. e. pendens *F.* f. tres martini *F.* g. tantum *T,* quantum *pro* quia tantum *L.* h. monachico *C, L,* monachio *G,* monachi *T, F.* i. quid *G, F, L.* k. voluerit *T.* l. *om. F.* m. habere *F.* n. *om. T.* o. *om. F.* p. duas *T.* q. mattos *C.* r. vestimentum *L.* s. maiores *T.* t. praecipit *L.* u. talia vestimenta habere, quales *C.* v. adiuvante *C.* w. scapulares *C,* scapularem *G, L.*

1. Regulae S. Ben. cap. 55: „A quo tamen abbate semper consideretur illa sententia actuum apostolorum: „„Quia dabatur singulis, prout cuique opus erat““. 2. Ibid.: „Vestimenta fratribus secundum locorum qualitatem, ubi habitant, vel earum temperiem dentur; quia in frigidis regionibus amplius indigetur, in calidis vero minus“. 3. Ibid. „quales invenire possunt in provincia, qua degunt, aut quod vilius comparari potest“.

787—797 propter opera habeant[1], quod ob hoc scapulare dicitur, quod scapulas praecipue tegat et caput. Quo vestimento[a] pene[b] omnes in hac terra rustici utuntur. Pro quo tegumento nos ex grossiori textu ad melotis[c] similitudinem operimentum habemus; nisi quod manice in hoc usque ad manus pertingentes[d] habentur. Preter haec[b] addimus unicuique, sicut ei opus est. Nam senibus nostris gunnas pellicias tribuimus. Infirmos etiam et in culcitis[e] iacere permittimus et unicuique omnino, sicut sua exposcit necessitas, prebemus[f]. Concessum est etiam fratribus nostris habere manutergia sive ad tonsurae obsequium sive ad codices, quos ad legendum suscipiunt, involvendos[g].

Preter regularia quoque ieiunia in vigiliis praecipuarum festivitatum usque ad vesperam ieiunamus. Et a vespera vigiliarum per totam noctem et[h] diem festivitatis usque ad completorii[i] officium genua[k] non flectimus. Dominicis quoque diebus et a Domini nativitate usque ad octavum diem, a pascha quoque usque ad pentecosten similiter ad publicum officium genua[k] non flectimus.

Textum quoque promissionis[l], quo ordine solebant anteriores monachi regulam sanctam in hoc loco promittere, ecce intra hanc epistulam, in brevi paginula[m] exaratum, direximus vobis.

Ioseb[n] quoque frater noster, quem, ut scribere nobis dignati estis, praeficere ad regendum monasterium sub regulae tramite destinatis, habet secundum sacrorum canonum instituta largitatis facultatem, ut hoc possit facere; quae licentiam monachis tribuunt, etiam ecclesiasticis gradibus sublimari. Videat tamen ille, si sic se potest coartare, ut possit suo exemplo fratribus prodesse. Grandis siquidem et prima est in hoc monachis et contra regulae seriem[2] districtio, si eis sine sua electione ex-

a. Quod vestimentum *C.* b. *om. T.* c. melotum *G, F, L.* d. pertinentes *T.* e. culcitris *L.* f. prebeamus *T.;* et unicuique — prebemus *om. F.* g. involvendum *T.* h. per *add. L.* i. completurii *T.* k. ienua *C.* l. *corr. in* professionis *L.* m. epistolam — paginola *G, C, F, L.* n. Ioseb — semperque custodiat *in uno cod. Casinensi leguntur.*

1. V. supra p. 362 n. 2. 2. V. Regulae S. Benedicti cap. 64.

ternus aliquis praeponatur. Vestra tamen sagax providaque subtilitas, sicut coelitus mentem auserit[1], ita disponat. 787—797

De Optato venerabile monacho nostro summissis precibus obsecramus, ut, quia per ignorantiam aetatis excessit, vestra mereatur clementia relaxari.

His expletis, commendamus nos sacrae vestrae, poscentes Dominum nostrum tam publice quam private: et vestram nobis vestrorumque salutem prolixis temporibus concedat et ubique vestram gloriam semperque custodiat[a].

Exemplar[b] promissionis, sicut[c] solebant antiqui monachi regulam promittere.

In nomine Domini promitto me ego ill.[d] *in sacro monasterio*[e] *beati martyris sive confessoris ill.*[d] *secundum instituta beati Benedicti coram Deo et*[f] *sanctis*[g] *angelis eius presente etiam abbate nostro ill.*[d] *omnibus diebus meis in hoc sancto monasterio a modo et deinceps perseveraturum et in omni oboedientia quodcumque mihi praeceptum fuerit oboediturum. Ego ill.*[d] *talis hanc promissionem a me factam manu propria coram testibus scripsi et roboravi*[h].

Vale, salus patriae, lumenque decusque tuorum,
Maximę regnantum, noster et altus amor.

---

13. *Angilbertus abbas S. Richarii Centulensis Arnoni, ut videtur, episcopo Salzburgensi scribit de sua valetudine, de ecclesia S. Pauli et coenobio S. Stephani ei collatis, de monachis S. Amandi. Litteras poscit. Se regi post medium Septembrem obviam iturum esse*[i 2].

Carissimo patri, fidelissimo amico, dilectissimo fratri mihique 797?

a. Explicit *add. C.* b. Exemplar — altus amor *om. C.* c. sicut — promittere *om. L.* d. ·N· *F, L.* e. hoc *add. L.* f. coram *add. F.* g. *om. F.* h. testes asscribere septem *add. L.* i. *Descripsi ex bibliothecae caesareae Vindobonensis cod.* 795 (*Salzburg.* 140) *membr. saec. IX, fol.* 197*v, ubi in margine sic positum est:* It̄ Anglb̄t. *Edidit Frobenius in Alcuini opp. II* 562.

1. hauserit. 2. Et haec et duae quae sequuntur epistolae ab Angilberto abbate S. Richarii Centulensi scriptae sunt, ut fidem faciunt in margine addita haec: „It̄ Anglb̄t“.

797? cum nimio amore vel honore nominando illo Deo digno episcopo ego ill. humilis vesterque in Christo fidelissimus filius, per hos apices nostrae parvitatis in Deo patre et domino nostro Iesu Christo optamus vobis et cunctis sanctae Dei ecclesiae filiis vestroque sacro regimine subditis praesentis vitae salutem et aeternae gloriae felicitatem.

Prospera nobis, carissime pater, per misericordiam Dei et per intercessionem[a] omnium sanctorum vestraque oratione iubante[1] esse scito; excepto, quod infirmitas mea, in qua secundum apostolum libenter glorior[2], magis ac magis adcrescere videtur. Pro qua etiam domnus rex in sua elimosina dimisit me ad monasterium[3] ire, ut curamha berem Domino protegente infirmitatis meae.

Octava die antequam domnus rex pergeret partibus Saxoniae[4], venit Petrus cum epistola domni apostolici[5], in qua inter cetera legebatur, qualiter per semet ipsum de ecclesia sancti Pauli[6] et monasterium sancti Stephani vobis ad partem regis vestisset. Unde domnus rex multum laetatus est; et nos, in quantum valuimus, laudantes bonitatem et fidem vestram, gaudium regis auximus[b]. Scriptum est enim: *Amico fideli nulla est conparatio*[7]; et item secundum eundem scriptum est: *Amicus si permanserit fixus*[c], *erit tibi quasi coequalis, et in domesticis tuis fideliter agit*[8]; et item: *Amicus fidelis medicamentum vitae est*[9]; et item: *Amicus fidelis protectio fortis; qui autem invenit illum, invenit thesaurum*[10]. Sed secundum sapientes talis amicus raro invenitur et difficile servatur. Nam et Pippinus[11] nobis repromisit, ut ipse pro hac causa intercedere debuisset.

a. incessionem *c.* b. ausimus *c.* c. fictus *c.*

1. iuvante. 2. 2 Cor. 12, 9: „Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis". 3. S. Richarii Centulense. 4. Ante priorem anni 797 expeditionem Saxonicam die 28 Aprilis Aquisgrani apud Carolum regem fuisse scimus Angilbertum. V. Caroli diploma ap. Bouquet Rec. V 759. 5. Leonis III. 6. Anno 796 Carolus Angilberto Romam eunti (ep. 9 supra p. 353) scripsit haec: „Sed qualis mihi esset conlatio cum beato Adriano papa de construendo monasterio ad Sanctum Paulum" cet. 7. Eccli. 6, 15. 8. Eccli. 6, 11. 9. Eccli. 6, 16. 10. Eccli. 6, 14. 11. Caroli regis filius, anno 777 natus, rex Italiae 781—810, quem per totum fere annum 797 in Fran-

Missos praesentes quaesumus ut solita pietate suscipere dignemini. 797?

Monasterium sancti Amandi cum fratribus sospes habetur[1]; orantes una nobiscum[a], qui te, carissime pater, ad profectum sanctae suae ecclesiae et ad gaudium nostrum longevis temporibus regere protegere atque custodire dignetur.

Obnixis precibus deposcimus, ut per sanctos apices vestros nos cerciores de adventu vestro et de desiderabili prosperitate vestra et amabili felicitate reddere celerius studemini. Nos enim non putamus venire obviam domno regi, nisi post medium Septembrium.

Quid plura dicam? Deus mihi testis est, cum fideliter laborare cupio in vestro profectu, a quo labore Domino auxiliante diebus vitae meae numquam cessabo. Commendo me totum, carissime pater et fidelissime amice, in vestris sacris ac Deo dignis orationibus.

---

14. *Angilbertus abbas S. Richarii Centulensis Arnoni, ut videtur, episcopo Salzburgensi respondet de eius ad Carolum I regem accessu*[b].

Filius fidelis Nom̃. sanctissimo patri mihique cum nimio 797? Aug.
amore vel honore nominando ill. episcopo salutem.

Inmensas gratias omnipotenti Deo 4 Idus Augusti retulimus, cum, epistola vestra indicante, vestram cognovimus desiderabilem sospitatem et laudabilem felicitatem, testis mihi Deus est; quam indesinenter audire et videre desidero.

De hoc vero quod petistis, ut diligenter tractaremus quomodo vos agere debuissetis, idcirco certam rem[c] scribere vobis

a. Deum *excidisse videtur.* b. *Descripsi ex bibl. caesar. Vindobon. cod.* 795 (*Salzburg.* 140) *membr. saec. IX fol.* 198*v. Edidit Frobenius in Alcuini opp. II* 568. c. certarem *c.*

cia versatum esse, intelligimus ex Annal. Lauriss. 796 et 797 (Mon. Germ. SS. I 182).

1. Arnonem episcopum Salzburgensem (785—821) inde ab anno 782 monasterio S. Amandi Elnonensi praefuisse constat. Ideoque hanc epistolam ad eundem Arnonem episcopum missam esse, planissime coniecit Frobenius, cum praesertim in Salzburgensi codice servata sit.

797? Aug. non valeo, quia incertus adhuc maneo de reversione domni regis. Tamen non videtur nobis necessarium, longius vos ire obviam ei[1] nisi usque ad Renum; excepto, si iussio eius ad vos non venerit.

De conloquio autem nostro scit omnipotens Deus, quia omni desiderio desidero faciem vestram; et spero, quod utrisque proficiat, si ante loquimur insimul, quam ad domnum regem veniatis. Tamen, si hoc debet esse ante nativitatem sanctae Dei genetricis Mariae, quae est 6 Idus Septembris, tunc necesse est, ut usque ad nos vestra sanctitas declinetur; ut et orationem fruatis in Domino in ecclesia sancti Richarii[2], intercessoris vestri, et caritatem fraternam impleatis in nobis; quia nos valde necesse habemus aliquam curam corporis nostri exigere usque ad praefatum diem. Et si contigerit, quod longius moram faciatis ad sanctum illum, tunc possumus vobis venire in obviam, ubicumque vestra iussio fuerit.

Vale, sanctissime pater, orans pro nobis feliciter in Domino; et imple desiderium meum, ut impleat Dominus omnes petitiones vestras et de sancto Sion tueatur vos.

---

15. *Angilbertus abbas S. Richarii Centulensis Arnoni, ut videtur, episcopo Salzburgensi respondet. Valetudinem eius miseratur. De Caroli regis itinere. Rem eius sibi curae esse*[a].

c. 797 Carissimo patri mihique cum nimio honore vel amore nominando Nom̄. episcopo ego ill.[b] fidelissimus filius vester per hos apices in Deo patre et domino Iesu Christo optamus vestrae paternitati sempiternam salutem.

Gratiarum actiones[c] vestrae almitati devota mente persolvimus pro omni bonitate, quae erga nostram parvitatem vestra

a. *Descripsi ex bibliothecae caesareae Vindobonensis cod.* 795 (*Salzburg.* 140) *membr. saec. IX fol.* 198. *Edidit Frobenius in Alcuini opp. II* 563. b. ill. *erasum est.* c. actionis *c.*

1. Arnonis ad Carolum iter (de quo et superiore ep. 13 et hac ep. 14 agitur) anno 797 propter archiepiscopalem dignitatem factum esse existimaverim, qua sequenti anno 798 Romae, approbante Carolo, Arno a Leone III donatus est. V. Regesta pontificum Romanorum p. 216. 2. Centulensi.

sanctitas incessanter inpendere dignatur; maxime pro sacris c. 797
orationibus vestris, quas pro nobis Domino fundere, ut confidimus, non dedignamini. Mellifluos apices vestros et omni honore dignissimos suscepimus. Quos perlectos, ex parte nos laetificaverunt et ex parte tristes reddiderunt, eo quod, eis indicantibus, vestrum intelleximus laborem de infirmitate corporis vestri. Sed quid melius, nisi secundum apostolum libenter gloriemur in infirmitatibus nostris[1], et alibi: *Quem enim diligit Dominus, corripit; et quasi pater in filio conplacet sibi*[2].

De itinere domni regis nihil certum audivimus; nec speramus, ut sic cito debeat se promovere in illis partibus.

De causa vero vestra, Domino volente, sicut vobis ore proprio condiximus, certare abemus ad utilitatem nostram communem in Domino. Non oblitus ero tui, dilectissime pater, nec de tuo profecto, in quantum Domino miserante valeo, omnibus diebus vitae meae. Non obliviscaris mei, sanctissime pater et fidelissime amicę, tempus in omne tui. Sit Deus adiutor noster[a] et hic et in aeternum. Amen, amen.

---

16. *Carolus I rex Francorum archiepiscopum quendam monet, ut clerum suum litteris erudiat*[b 3].

Ill. Christi fretus auxilio rex[c 3] beatissimo viro ill. archie- 768—800
piscopo patri nostro.

Cum in adquirendis fidelium animabus studiose Deo favente invigiles, mirandum nobis valde videtur, cur in erudiendo clero proprio litterarum studiis nullam sollicitudinem geris. Cernis namque undique in subditorum[d] cordibus ignorantiae tenebras circumfundi; et cum possis eruditionis radium eorum sensibus

a. n̄t *c.* b. *Descripsi ex bibliothecae imp. Parisiensis codice* 528 *membran. saec. X fol.* 136. *Ediderunt Lebeuf Dissertations sur l'hist. de Paris I* 421, *Bouquet Recueil V* 850. c. Francorum etc. *excidisse videntur; cf. ep.* 18 *infra p.* 372. d. subtutorum *c.*

1. 2 Cor. 12, 9. 2. Prov. 3, 12. 3. Hic rex quin Carolus M. fuerit, non dubitaverim (cf. ep. 3 supra p. 343); neque vero pro explorato habeam, Lullum Moguntinum fuisse illum, ad quem missa epistola est, archiepiscopum, licet is appelletur „discipulus beati Bonefacii martyris".

768—800 infundere, in suae illos caecitatis caligine latere permittis. Quia enim et hac parte potens haberis, nulli est dubium; quippe cum unum sancti viri ill. praesulis consacerdotis tui clericum, alterum ill. religiosi abbatis ita liberalibus disciplinis instruxeris, ut pene nihil eis a[a] perfectionis culmine desit. Quae ergo sanctitati vestrae poterit esse excusatio, cum et aliorum filii doctrinae vestrae pabulo pleni sunt et vestri adhuc, subtracto eruditionis edulio, ignorante fame tabescunt? Unum certe est e duobus: aut enim contumaci ipsi superbia vestro magisterio subdi dedignantur, aut a vestra, quod evenire nolumus, parte cum eis remissius agitur. Sed quodlibet horum sit, ad vestram, pater venerabilis[b], curam respicit; a quo, etsi tumentes corde sunt, debent vel paterna ammonitione corrigi vel pastorali baculo coherceri. Iam vero, quantum ad vestrum studium attinet, debent modo blandis persuasionibus modo duris etiam increpationibus ad eruditionis lumen excitari; si qui vero ex eis inopes existunt, etiam conlatis subsidiis invitari. Et certe, etsi alios ad discendum adtrahere non vales, saltim de tuae ecclesiae famulis, quos capaces esse perspexeris, erudire potes. Illud vero credere iam quis possit, quod in tanta multitudine, quae vestro est subiecta regimini, ad erudiendum aptus nemo valeat inveniri? Omnes, qui te discipulum beati Bonefacii martyris norunt, prestolantur e vestris studiis ratissimum[c] fructum.

Accingere igitur in reliquum, pater amabilis, et ad inbuendos liberalibus litteris tuos filios studiosus existe; ut et nostrae in hoc, quod ardenter cupimus, voluntati satisfacias et tibi perennis praemii remunerationem adquiras; nec tuorum lucerna operum in hac solummodo parte sub modio lateat, quae in reliquis, super candelabrum posita, ex divino munere claris fulgoribus micat.

Vale, pater carissime, et memor esto nostri.

a. ad *c*. b. verabilis *c*. c. artissimum *c*.

17. *Carolus I rex Francorum edictum edit de episcopis venerandis, de nonis et decimis solvendis, de precariis renovandis*[a].

Karolus gratia Dei rex Francorum et Langobardorum ac[b] patricius Romanorum dilectis[c] comitibus[d] seu[e] iudicibus et vassis nostris, vicariis, centenariis vel omnibus missis nostris et agentibus. 774—800

Cognoscat utilitas vestra, quia resonavit[f] in auribus nostris[g] quorundam presumptio non modica: quod non[h] ita obtemperetis pontificibus vestris seu sacerdotibus, quemadmodum canonum et legum continetur auctoritas; ita ut presbiteros nescio qua temeritate presentari episcopis denegetis; insuper et aliorum clericos usurpare non pertimiscatis[i] et absque consensu episcopi in vestras eclesias mittere audeatis[k]; nec non et in[l] vestris ministeriis pontifices nostros talem potestatem habere non permittatis, qualem rectitudo eclesiastica[m] docet[n]. Insuper nonas et decimas vel census inproba cupiditate de eclesiis, unde ipsa beneficia sunt, abstrahere nitimini. Et precariis[o] de ipsis rebus, sicut a nobis dudum in nostro capitulare institutum est, accipere neglegitis[p]. Et ipsam[q] sanctam Dei eclesiam una cum ipsis episcopis vel abbatibus emendare iuxta vires vestras[r] denegetis[s].

Quapropter nos[t] una cum consensu episcoporum nostrorum abbatum nec non et aliorum sacerdotum haec instituta partibus vestris[u] dileximus. Precipientes enim iubemus: ut nullus quislibet[v] ex[w] fidelibus nostris a minimo usque ad maximum in his, quae ad Deum[x] pertinent, episcopo suo inoboediens[y] parere[z] audeat de supradictis capitulis seu aliis eruditionibus ad illorum

a. *Descripsi ex* (*G*) *cod. S. Galli* 738 *membr. saec. IX pag.* 72, (*B*) *cod. Guelferbytano, Blankenburg.* 130 *membr. saec. X fol.* 81*v*, (*T*) *cod. lat. Monacensi* 19416, *Tegernseensi* 1416 *membr. saec. X fol.* 65*v*. *Ediderunt: Busaeus in Hincmari epistolis p.* 310, *Goldastus Imp. constit. III* 146 *et Coll. consuetudinum p.* 120, *Sirmondus Conc. Gall. II* 230, *Baluzius Capit. I* 329, *Bouquet Rec. V* 766, *Pertzius Mon. Germ. LL. I* 81.
b. et *G*. c. dilectissimis *G*. d. conmitibus *T*. e. se *B*. f. resonuit *B, T*. g. *om. G*. h. *om. G*. i. pertimescatis *B*, perdimiscatis *T*. k. audiatis *T*. l. in *om. T*. m. eclesiastice *G*. n. donec *T*. o. *sic codd. pro* precarias. p. neclegitis *T*. q. ipsa sancta — eclesia *G*. r. vestros *G, T*. s. degenetis *T*. t. *om. G*. u. nr̄is *G*. v. quilibet *T*. w. *om. G*. x. adeum *T*. y. inoboedientia *G*, inoboediens *B, T*. z. parere *B*, parere *corr. in* parare *G*, parare *T*.

24*

774—800 ministerium[a] pertinentibus[b]; sed cum bona voluntate et omni mansuetudinis subiectione[c] unus quisque sacerdoti[d] suo propter Deum et pacis studio[e] obtemperare studeat. Si quis autem, quod[f] absit, ullus[g] ex vobis de[h] nonis et decimis censibusque reddendis[i] atque precariis renovandis neglegens apparuerit et inportune[k] episcopis nostris de his, quae ad ministerium illorum pertinere noscuntur, vel sicut in capitulare dudum a nobis factum continetur, contradicere presumpserit, sciat, se procul dubio, nisi se[l] cito correxerit, in conspectu nostro exinde dicere[m] rationem[n].

Et ut has litteras certius credatis, de anulo nostro subter eas decrevimus roborare.

---

18. *Carolus I rex Francorum Pauli diaconi duo lectionum volumina comprobat et lectoribus commendat*[o] [1].

782—800 Carolus[p] Dei fretus auxilio rex Francorum et Langobardorum[q] ac patricius Romanorum religiosis lectoribus nostrae dicioni subiectis.

Cum nos divina semper domi forisque clementia sive in bellorum eventibus sive pacis tranquillitate custodiat — etsi rependere quicquam eius beneficiis tenuitas humana non praevalet — tamen, quia est inaestimabilis misericordiae Deus noster, devotas suae servituti[r] benigne adprobat[s] voluntates. Igitur, quia curae nobis est, ut nostrarum ecclesiarum ad meliora semper proficiat status, oblitteratam pene maiorum[t] nostrorum desidia

a. ministeria *B, T.* b. pertinentes *G.* c. mansuetudine subiectionum *G,* mansuetudinis subiectione *B, T.* d. sacerdotis *B.* e. studio *G,* studium *B, T.* f. quo *T.* g. unus *G,* ullus *B,* ulnus *T.* h. et *G.* i. redditis *G.* k. inportune *G,* inportunis *B,* inportunus *T.* l. *om. G.* m. deducere ad *B* (*pro* dicere), ducere *T.* n. raciones *T.* o. *Descripsi ex (V) bibliothecae universitatis Lugduni Batavorum cod. Voss. fol.* 4 *membr. saec. X (fol.* 1 *v), quem liberalissime ad me misit Pluygers bibliothecae praefectus. Codicem (C) bibliothecae Carlsruhensis* 173 (*XXIX*) *membr. saec. IX fol.* 3 *contulit in meum usum F. de Weech; codicem (L) bibliothecae universitatis Lipsiensis* 353 *membr. saec. XIII contulit E. G. Gersdorf. Ediderunt Goldastus Imp. constitut. III* 136, *Baluzius Capit. I* 203, *Mabillon Analecta* 73, *Mabillon Annal. ord. Bened. II* 328, *Bouquet Rec. V* 622, *Pertzius Mon. Germ. LL. I* 44. p. Carolus *C,* Karolus *V, L.* q. Longobardorum *V,* Longobartorum *L.* r. servitutis *V, L.* s. acprobat *corr. in* adprobat *V.* t. malorum *V.*

1. De hac ep. v. Bethmann in Archiv für ältere deutsche Geschichtkunde X 301.

reparare vigilanti studio litterarum satagimus officinam; et ad pernoscenda studia liberalium artium nostro etiam, quos possumus, invitamus exemplo. 782—800

Inter quae[a] iam pridem universos veteris ac novi instrumenti libros, librariorum imperitia depravatos, Deo nos in omnibus adiuvante, examussim[b] correximus[1].

Accensi praeterea venerandae memoriae Pippini[c] genitoris nostri exemplis — qui totas Galliarum ecclesias Romanae traditionis suo studio cantibus decoravit — nos nihilhominus solerti easdem[2] curamus intuitu praecipuarum insignire serie lectionum.

Denique, quia ad nocturnale officium conpilatas quorundam casso labore — licet recto intuitu, minus tamen[d] idonee[e] — repperimus lectiones, quippe quae et sine auctorum suorum vocabulis essent positae et infinitis vitiorum amfractibus scaterent, non sumus passi, nostris in diebus in divinis lectionibus inter[f] sacra officia inconsonantes perstrepere soloecismos; atque earundem lectionum in melius reformare tramitem, mente[g] intendimus. Idque opus Paulo diacono, familiari clientulo nostro, elimandum iniunximus; scilicet ut[h], studiose catholicorum patrum dicta percurrens, veluti[i] e latissimis eorum pratis certos quosque flosculos legeret et in unum, quaeque essent utilia, quasi sertum aptaret.

Qui, nostrae celsitudini devote parere desiderans, tractatus atque sermones diversorum catholicorum patrum perlegens et optima quaeque decerpens[k], in duobus voluminibus per totius anni circulum, congruentes cuique festivitati, distincte et absque vitiis nobis optulit lectiones[3]. Quarum omnium textum nostra

a. q̃ *V.* b. examusin *C.* c. Pipini *V.* d. tam *V.* e. idoneȩ *V.* f. intra *V.* g. mentem *L.* h. in *corr.* in ut *V.* i. velut *V.* k. discerpens *V.*

1. Alcuino adhibito. V. Alcuini ad Gislam et Columbam epistolam (Alcuini Opp. ed. Frobenius T. I 591): „Totius forsitan euangelii expositionem direxi(ssem) vobis, si me non occupasset domini regis praeceptum in emendatione veteris novique testamenti“. 2. ecclesias. 3. cum hac praefatione, in codice Lugdunensi (Voss. fol. 4, v. supra p. 372 n. o) Caroli epistolae praemissa:

782—800 sagacitate[a] perpendentes, nostra eadem volumina auctoritate constabilimus vestraeque religioni in Christi ecclesiis tradimus ad legendum.

---

19. *Carolus I rex Francorum Hiltibaldo episcopo Coloniensi et aliis episcopis de spiritus septiformis gratia scribit*[b].

784—800 Karolus divina misericordia rex Francorum et Langobardorum ac patricius Romanorum[c] Hiltibaldo[1], Maginharto[2], Agino[3], Gerhoho[4], Hartricho[5] sanctis episcopis.

Gratias agimus sanctitati vestrae, quia ad familiariter a nobis interrogata familiare nobis responsum dare voluistis et, quae caritatis instinctu vestrae dilectioni fuere proposita, eadem dictante caritate, iuxta quod vobis visum est, sunt nobis absque

a. nostram sagacitatē *corr. in* nostra sagacitate *V.* b. *Ex codice quondam Angiensi, hodie bibliothecae Carlsruhensis* 209 (*XVIII*) *membr. saec. X descripsit mihi F. de Weech. Edidit Mabillon Vet. anal. IV* 811, (*ed. II*) *p.* 74. c. Romonorum *c.*

Summo apici rerum regi dominoque potenti
 Dat famulus supplex verba legenda suus[a].
Ampla mihi vestro est humili devotio servo
Praeceptis parere tuis, cęleberrime regum;
Quem dedit omnicreans rector miseratus ab altis
Christicolum populis defensoremque patremque.
Sit licet effectus modicis pro viribus impar,
Ingens ardenti tamen est sub corde voluntas.
En iutus patris Benedicti mira patrantis
Auxilio meritisque piis vestrique fidelis
Abbatis dominique[b] mei, etsi iussa[c] nequivi
Explere, ut dignum est, tamen, o pietatis amator,
Excipe gratanter, decus et mirabile mundi,
Qualemcumque tui famuli, rex magne, laborem.
Quodque sacro nuper mandasti famine condi,
In quo si quid erit labis[d] vitiique nocentis,
Illud vestra sagax nimium sapientia purget.
Utque legi per sacra queat domicilia Christi
Nullius titubante fide, si sensibus altis,
Enixe ut cupio, vestris utcumque placebit,
Firmum oro capiat vestra sanctione vigorem.

a. siuis *corr. in* suus *c.* b. dominoque *corr. in* dominique *c.* c. uisa *c.* d. labiis *c.*

1. ep. Coloniensi, 784—819. 2. ep. Rotomagensi (?). 3. ep. Constantiensi, 781—813. 4. ep. Eistetensi. 5. hunc episcopum Tolosanum fuisse, scripsit Mabilio.

retractatione soluta. Sed ipsius, quae a vestra sanctitate nobis data, est responsionis ordo videndus et apud vestram dilectionem intimi in ea sensus medulla inquirenda; ut et qualitas nostrae interrogationis appareat et modus vestrae responsionis patentius eluscescat. 784—800

Sancti enim patres — qui, ut veteris testamenti serie legitur ab initio Deo placentes[1], hanc ultimam sed Christi adventu felicissimam saeculi aetatem probitate morum et meritorum multiplicitate praecesserunt — sancti Spiritus gratiam absque ulla ambiguitate et accepisse et habuisse credendi sunt. Quis enim umquam placuit Deo, carens sancti Spiritus dono? Sed, ut vestrae responsionis textu continetur, eadem sancti Spiritus dona singula singulos habuisse et in Christo cuncta pleniter inhabitasse cognovimus. Quae, ut firma veritatis ratione subnixa, probamus. Sed nequaquam arbitramur, quemlibet sanctorum patrum unius singularitate doni fuisse contentum; cum, hoc fieri non posse, de ipsarum vocabulis gratiarum facillime possit adverti.

Sapientia enim et intellectus[2] adeo sibi naturalitatis nexu coniuncta sunt, ut unum sine altero nullo pacto subsistere queat. Quomodo enim sapit, qui non intellegit? vel quomodo potest intellegere, quem constat non sapere? Sapientia sive intellectu privatus, quis umquam consilium vel sibi habuisse vel alio[a] dedisse repertus est? Nam luce clarius constat, consilium non nisi sapientium esse. Fortitudinem vero, si[b] consilio careat, fortitudinem esse, putandum non[b] est; cum omnia inconsulte gesta fortiva potius quam fortia soleant nominari. Scientiam in quoquam sine sapientia et intellectu consistere posse, valde est incredibile. Quid enim potest scire, qui nihil valet intellegere?

a. *sic.* b. *om. c.*

1. Cf. Sap. 9, 19. 2. Ap. Isaiam 11, 2. 3 leguntur haec: „Et requiescet super eum spiritus Domini: spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini". Et hinc deducta sunt, quae secundum Pontificale Romanum (De confirmandis) pontifex baptizatos confirmans dicit: „Emitte in eos septiformem spiritum tuum sanctum paraclitum de caelis: spiritum sapientiae et intellectus, spiritum consilii et fortitudinis, spiritum scientiae et pietatis, adimple eos spiritu timoris tui" cet.

784—800 Iam pietas et timor Dei qua arte sibi copulata sint, qui se ipsum explorat, facile cognoscit; quia nemo pius est, nisi qui, iudicium Dei timendo, in se peccanti dimittit proximo.

Haec septem sancti Spiritus dona, sicut in sanctis patribus fuisse singula, sic in Christo adunata omnia, non est mirum. Quid enim illi ex omnibus bonis deesse potuit, qui omnia bona simul cum Patre creavit? Num quid magnum est, si haec in Christo mansisse dicantur, in quo omnis plenitudo divinitatis inhabitare cognoscitur? Num quid magnum est, si ea quasi pro munere adscribas Domino, quae diligenter considerans invenies in servo? Num quid his tantum donis potest sublimari Dominus, quibus carens non est bonus servus? Absit, ut his tantum gloriam eius dicamus consummatam, cuius magnificentiam supra omne, quod dicitur aut nominatur sive in caelo sive in terra, credimus sublevatam? Neque enim sensus comprehendere aut sermo poterit explicare, quae et qualia vel quanta sint, quae eius debeant adscribi gloriae, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus sine fine. Sed ideo haec et in patribus singula et in Christo simul omnia non miramur, quia et in discipulis eius per singulos singula computari et in Petro simul omnia possunt inveniri. Quamquam eadem in Christo longe aliter quam in ceteris sanctis fuisse credenda sint. Nam sanctorum cuique pro varietate voluntatum, quibus fragilitas humana non caret, nunc hoc nunc illud donum accedendo vel recedendo aut adesse aut abesse cognoscitur; Christo vero, qui est Dei virtus et Dei sapientia, cuncta sancti Spiritus charismata semel veniendo accesserunt et in eo numquam recedendo permanserunt.

Sed quid haec de patriarchis et apostolis dicimus? cum neque nunc diffidendum sit plures cotidie intra sanctae matris ecclesiae sinum posse reperiri, qui vel singulis vel pluribus sancti Spiritus donis sint ditati. Verax enim est, qui in se confidentibus praesentiam suam usque ad consummationem saeculi promisit non defuturam[1]. Quo et nobiscum et in nobis semper

1. Matth. 28, 20.

manente, nequaquam sancto septiformis gratiae Spiritu carebimus, qui cunctorum largitorem bonorum credendo et bene faciendo possidemus. 784—800

Spiritu etenim sapientiae regitur, qui fidem sanctae et individuae Trinitatis tam ad sui quam aliorum profectum ediscere nititur; ut per hanc et haereticis resistere et suos valeat confirmare.

Spiritum intellectus tenet, qui, divina praecepta audiens, quam necessaria sit eorum cognitio sensu cordis percipit et, iuxta beatum Iacobum non obliviosus auditor factus sed operator strenuus[1], ea quae intellexit mandata, studet ut a se fiant quam integerrime custodita.

Spiritu consilii viget, qui in cunctis, quae agere disponit, an haec Deo sint placitura, praecogitat; melius existimans, quae et qualiter agenda sint, prius tacite considerare, quam aliquid inconsulte inchoare, unde eum penitentia cogat ab incepto desistere.

Fortitudinis spiritum habet, quicumque diabolo et membris eius, haereticis scilicet, fidei scuto ac verbi Dei gladio armatus, resistere studet, et contra vitia, quibus suggestu[a] diaboli haec mortalis vita cotidie maculatur, quasi contra inimici iacula spiritu fortitudinis armatur.

Nam spiritum scientiae possidet, quisquis, dominici memor praecepti, simplicitatem columbae et prudentiam serpentis habet[2] quique, inter consimilia diiudicans, scit reprobare malum et eligere bonum[3]. Saepe enim mixta bonis mala inveniuntur, quae nisi scientia difficulter discernuntur.

Spiritum vero pietatis illi inesse dicimus, qui, dominica praecepta non oblitus, in se delinquenti dimittit proximo; et non tantum in alios, sed etiam in semet ipsum iussam exercet pietatem. Quia probus quisque cavere debet, ne, dum suo debitori dimittendo malum existit pius, sua non tribuendo[b] in semet ipsum existat impius.

a. suggessu *c.* b. *sic.*

1. Iac. 1, 25: „non auditor obliviosus factus sed factor operis“. 2. Matth. 10, 16. 3. Isai. 7, 15.

784—800 Spiritu autem timoris Domini illum dicimus adimpletum, qui, iudicium Dei timens, non tam delectatione regni celestis bona facere studet quam timore gehennae mala perpetrare non audet; et sic gaudet de promissione perpetuae vitae, ut non minus timeat de supplicio perennis poenae; atque hoc spiritu compunctus, devertat a malo et faciat bonum.

Hunc sanctum septiformis gratiae spiritum et in patribus et in apostolis fuisse et nunc in sanctae matris ecclesiae filios, qui in Christo cotidie in augmentum populi sui renascuntur, divino munere credimus inspirari.

In Christo vero, ut praediximus, haec talia non miramur, cuius inmensitatem gloriae humana mens non valet enarrare. Quae dona qualiter in illo sint, quia nullo modo explicare valemus, restat, ut nobis ea donanti[a] laudes dicamus.

Christe, salus mundi, sanctorum gloria perpes,
Sit tibi laus et honor semper in arce poli.

---

20. *Leo III papa apud Carolum I regem Francorum iureiurando se purgat*[b].

800 Dec. 23 Sacramentum quod Leo papa[c] iuravit[d][1].

Auditum, fratres karissimi, et divulgatum est per multa loca, qualiter homines mali adversus me insurrexerunt et debilitare voluerunt et miserunt super me gravia crimina. Propter quam causam audiendam[e] iste clementissimus ac serenissimus[f] domnus rex Carolus[g] una cum sacerdotibus et optimatibus suis istam pervenit ad urbem. Quam ob rem ego Leo pontifex sanctae Romanae ecclesiae, a nemine iudicatus neque coactus,

a. donante *c.* b. *Descripsi ex bibliothecae universitatis Wirziburgensis cod. Th. fol.* 46 *membr. saec. IX f.* 149 *et* (*F*) *ex tabularii regii Monacensis cod. membr. saec. X f.* 92. *Legitur etiam in Burchardi Wormat. decret. L. I c.* 198 (*et in Ivonis decret. P. V c.* 313, *Panorm. L. V c.* 4). *Edidit Pertzius Mon. Germ. LL. II* 15. c. quod domnus papa Leo *F.* d. De purgatione Leonis papae *Burch. et Ivo.* e. *om. Burch. et Ivo.* f. ac serenissimus *om. F.* g. dominus rex Karolus *F.*

1. Annales Laurissenses minores (Mon. Germ. SS. I 120): „Karlus Romam pergit; Leo papa ante diem natalis Domini tertium (23 Dec. 800) de omnibus, quae a populo Romano ei obiciebantur, coram rege et populo Francorum dato sacramento purificatur“.

sed spontanea mea[a] voluntate purifico et purgo[b] me in conspectu vestro coram Deo et angelis eius, qui conscientiam meam novit, et beato Petro principe apostolorum, in cuius basilica[c] consistimus: quia istas criminosas et sceleratas res, quas illi mihi obiciunt[d], nec perpetravi nec perpetrare iussi; testis mihi est Deus[e], in cuius iudicium venturi sumus et in cuius conspectu consistimus. Et hoc propter suspitiones[f] tollendas mea spontanea voluntate facio; non quasi in canonibus inventum sit, aut quasi ego hanc consuetudinem aut decretum in sancta ecclesia[g] successoribus meis nec non et fratribus[h] et coepiscopis nostris inponam[i 1]. 800 Dec. 23

---

21. *Carolus I imperator Ghaerbaldo episcopo Leodiensi ieiunium novendiale indicit*[k].

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Carolus serenissimus augustus a Deo coronatus Ghaerbaldo episcopo[2] cum universis tibi omnipotente Deo et nostra ordinatione commissis in Domino salutem. 807 Nov.

Notum sit dilectioni vestrae, quia nos, cum fidelibus nostris tam spiritualibus quam saecularibus tractantes, cum consensu et pari consilio invenimus necessarium et propter instantes quasdam necessitates, quas subter significaturi sumus: tria triduana ieiunia ab omnibus nobis generaliter esse celebranda; atque ab eo, in quo vivimus movemur et sumus, auxilium esse quaerendum, a quo, quicquid iuste ac rationabiliter fides nostra[l] spes certa seu

a. mea *om. F.* b. et purgo *om. Burch. et Ivo.* c. in cuius conspectu *Burch. et Ivo pro* in cuius basilica. d. obiiciunt *F.* e. mihi Deus est *F.* f. malas *add. Burch. et Ivo.* g. ecclesi *F.* h. meis *add. F.* i. sed ut melius a vobis abscindatis (*al.* abscidatis) rebelles cogitationes *add. Burch. et Ivo.* k. *Ex cod. Andaginensi saec. X ediderunt Martene et Durand Coll. ampl. VII* 21 (*Bouquet Rec. V* 630, *Pertz Mon. Germ. LL. I* 164). l. vestra *ed.*

1. In Gratiani decreto (P. II C. II qu. 5 c. 18) hoc Leonis III iusiurandum invenitur sic contractum et commutatum: „Auditum est, fratres carissimi, qualiter mali omnes in me gravia crimina confinxerunt. Quam ob rem ego Leo pontifex sanctae Romanae ecclesiae purifico me in conspectu vestro coram Deo et angelis eius: quia istas criminosas et sceleratas res, quas illi mihi obiciunt, nec perpetravi nec perpetrari iussi. Hoc autem faciens, non legem praescribo ceteris, qua id facere cogantur“. 2. Leodiensi, 784—810.

807 Nov. caritas perfecta postulat, sine dubio tempore congruo impetrat; ipso Domino dicente: *Petite et dabitur vobis; quaerite et invenietis; pulsate et aperietur vobis*[1].

Ipsa autem ieiunia, sicut nobis omnibus visum est hac discretione posse fieri, Domino largiente congruenter implete[a]; scilicet ut primum, 11 diebus post festivitatem sancti Andreae transactis, id est 3 Idus et Idus Decembris et 18 Calendas Ianuarii tali ratione fiat: ut omnes a vino et carne his 3 diebus abstineant et usque horam nonam ieiunent, excepto quae aut aetas aut infirmitas non permittit; qui tamen secundum suam qualitatem vel vitae suae professionem aut rationibus satis aut eleemosynis congruis id ipsum secundum consilium magistrorum redemere studeat, quod ieiunando et abstinendo complere non valet. Hora autem nona omnes generaliter ad ecclesias vicinas, ubi eis denuntiatur, devota mente occurrant; et si hora vel locus permiserit, aliquo spatioso loco letania procedant atque, psallendo ecclesiam intrantes, cum omni devotione missam audiant. Qua subacta, unus quisque domum redeat, et statutis cibis corpori satisfaciat, non ad voluntatem sed ad necessitatem ac sobrietatem. Similiter quoque monemus unum quemque, ut eleemosynam faciant, secundum quod commodum substanciae suae permiserit et mentis devotio Domino inspirante suaserit. Et unus quisque presbyterorum missam cantet; et alterius ordinis clericus vel monachus sive Deo sacrata, qui psalmos didicit, quinquagesimum[b] psalmum[2] similiter cantet. Opera autem ea his diebus operare permittimus, quae nec ad ecclesiam venire impediant nec ante statutam horam manducare aut bibere cogant.

Duo quoque cetera triduana ieiunia his diebus pari ratione per omnia erunt celebranda: unum post theophaniam 7 Idus et 4 Idus et 2 Idus Ianuarii; aliud vero post septuagesimam 2 Idus Februarii et 15 Calendas Martii et 4 Calendas Martii.

Necessitates vero, quas supra nos dicturos esse promisimus, inter ceteras — quas tamen hac vice commemorare necessarium[c]

a. impleta *ed.* b. L *ed.* c. necessarius *ed.*

1. Matth. 7, 7. 2. „Miserere mei, Deus“ cet.

non[a] duximus[b] — haec sunt denique: Compertum habemus per fideles nostros, qui nobis de singulis regni nostri partibus haec nuntiaverunt, quod insolito more et ultra consuetum ubique terrae sterelitas esse et famis periculum imminere videtur; aeris etiam intemperies frugibus valde contraria; pestilentia quoque[1] per loca; et paganorum[c] gentium circa marcas nostras sedentia bella continua; multa praeterea, quae et nunc enumerare longum est et nobis experimento[d] possunt esse notissima, si recordare volumus, qualia incommoda singulis diebus propter merita nostra sentiamus. 807 Nov.

Certissimeque ab his exterioribus colligere possumus, nos per omnia Domino non placere interius, qui tanta mala compellimur tolerare exterius. Quam ob rem bonum nobis omnino videtur: ut unus quisque nostrum cor suum humiliare in veritate studeat, et in quocumque loco sive actu sive cogitatu se Deum offendisse deprehenderit, poenitendo tergat, flendo doleat et semet ipsum, in quantum ipso largiente potest, ab his malis in futurum cavendo custodiat. Et haec debet esse praemissae orationis intentio: ut omnipotens Deus, qui non solum facta verum etiam antequam fiant omnia novit, corda nostra compungat, et nos sibi supplices atque subiectos in vera humilitate faciat; et unum quemque nostrum ad observantiam[e] mandatorum suorum, depulso a nobis omni errore, convertat; misereaturque, sive a nobis mala repellendo sive bona quibus indigni sumus

a. non *addidi.* b. diximus *ed.* c. pagorum *ed.* d. experimentum *ed.* e. ab observantia *ed.*

1. Annales Einhardo adscripti (Mon. Germ. SS. I 195) 808: „Hiemps (i. e. quae ab exeunte anno 807 ad ineuntem annum 808 manabat) mollissima hac pestilens fuit in illo tempore“. Itaque ex iis, quae leguntur supra, verbis: „11 diebus post festivitatem sancti Andreae (Nov. 30) transactis“ apparet, hanc epistolam m. Novembri a. 807 scriptam esse. Eandem epistolae aetatem mirifice corroborant novem illi ieiunii dies a Carolo statuti, quibus „opera“ inquit „ea operare permittimus, quae nec ad ecclesiam venire impediant“ cet. Nullum enim eorum in diem dominicum incidisse reperimus. Namque fuit anno 807 Saturni dies 11 Dec., Lunae d. 13 Dec., Mercurii d. 15 Dec.; et anno 808 fuit Veneris dies 7 Ian., Lunae d. 10 Ian., Mercurii d. 12 Ian., Saturni d. 12 Febr., Martis d. 15 Febr., Saturni d. 26 Febr.

807 Nov. tribuendo, sicut ipse novit nos indigere; et tribuat, ut in membris suis, id est in corpore sanctae ecclesiae, numerari mereamur; quam pacificare adunare et regere atque ab omni malo protegere dignetur; nobis etiam in illa unitate comprehensis, qui, ut gratiam illius promereri possimus, haec ieiunia atque has orationes ab omnibus vobis generaliter fieri decrevimus.

Hanc quoque epistolam relegentes, secundum tibi a Deo datam sapientiam coram omnibus diligenter relegere[a], et tradere facias; ita ut omnes intelligant, pro qua necessitate haec agenda sunt. Et unus quisque vestrum per singulas ecclesias baptismales dirigite, et bonos interpretes mittite, qui omnia tradant, sicut superius diximus. Nam et per singula monasteria infra parochia tua ita facias.

22. *Congregatio montis Oliveti Hierosolymitani cum Leone III papa de iniuriis a Iohanne S. Sabae monacho sibi illatis queritur*[b].

809 Sanctissimo ac reverentissimo domino in Christo patri Leoni summo pontifici et universali papae sedis sanctae apostolicae urbis Romae congregatio montis Oliveti[1].

Domine pater, te dignatus est Dominus exaltare super omnes sacerdotes; et exaltata est sedes tua sancta super omnes sedes christianorum; quia suo ore dignatus est Christus dicere: *Tu es Petrus*[2] et cetera. Benignissime pater, nos, qui sumus hic in sancta civitate Ierusalem peregrini, ullum hominem super terra non amamus plus quam vos et, in quantum valemus, in istis sanctis locis pro vobis die noctuque Domino fundimus preces, prostrati omnes servi tui super terram cum lacrimis. Itaque notam tibi facimus tribulationem nostram, quam hic patimur.

Iohannes, qui fuit de monasterio sancti Sabae[3], quem Theodulus iguminus servus vester scit, ipse levatus est super nos,

a. relege *ed.* b. *Ex codice S. Martialis Lemovicensis edidit Baluzius Miscell. VII* 14–17.

1. prope Hierosolymam. 2. Matth. 16, 18. 3. s. Laura S. Sabae prope Hierosolymam.

dicendo, quod Franci, qui sunt in monte Oliveti, haeretici sunt[1]. 809
Et dixit nobis: *Quia omnes Franci haeretici estis.* Et reprobat fidem nostram dicendo, quia non est maior haeresis. Et nos ei dicimus: *Frater, sile. Quodsi nos dicis haereticos, de sede sancta apostolica dicis haeresim.*

Et usque in tantum nos conturbavit, ut in die natalis Do- 808
mini in sanctam Bethleem in sancto praesepio, ubi noster Do- Dec. 25
minus redemptor humani generis pro mundi salute nasci dignatus est, submitteret laicos homines, qui nos foras proicere vellent, dicendo: *Quod haeretici estis; et libri, quos habetis, haeretici sunt.* Sed per vestram sanctam orationem et fidem confortavit nos Dominus. Non enim potuerunt nos foras eicere. Diximus omnes: *Hic volumus mori; nam foras nos non eicietis.*

Unde et fecimus vocem nostram omnes nos servi vestri, pariter dicendo ad sacerdotes, qui sunt in sancta civitate: *Videte, patres et fratres, de isto homine, qui contra nos tanta et talia loquitur et contra fidem sanctam Romanam. Quia talia verba nunquam audivimus de gente nostra.*

Et post haec die sancto dominico[2] congregati sunt sacer- Dec. 31
dotes cum clero et populo contra sanctum sepulchrum Domini et inter sanctum Calvariae locum; et interrogaverunt nos de fide nostra ipsi sacerdotes, qualiter crederemus symbolum. Nos autem dicendo, quod sic credimus sicut sancta ecclesia Romana, diximus: *Et dicimus in nostra lingua, quae vos non dicitis in Graeca. Et in „Gloria patri" non dicitis: „sicut erat in principio"; et in „Gloria in excelsis" non dicitis: „tu solus altissimus". Et „Pater noster" alio modo dicitis. Et in symbolo nos dicimus plus quam vos: „qui ex patre filioque procedit"; unde dicit iste Iohannes, inimicus animae suae, propter hunc sermonem: eo quod haeretici simus.* Quos Hierosolymitas rogavimus dicentes: *Nolite odire[a] hunc hominem, nec dicatis de nobis hae-*

a. *sic pro* audire.

1. V. Annales (Mon. Germ. SS. I 196) 809: „imperator — Aquas reversus, mense Novembrio concilium habuit de processione Spiritus sancti; quam quaestionem Iohannes quidam monachus Hierosolimis primo commovit". 2. 808 Dec. 31.

809 *reses. Quodsi nos dicitis haereticos, de throno beati Petri dicitis haeresim. Et si hoc dicitis, peccatum inducitis super vos.* Et sácerdotes scripserunt nobis cartam de fide nostra, quam scilicet[a] crederemus; dicendo nobis: *Creditisne, sicut sancta resurrectio Domini?* Nos autem diximus: *Quod sic credimus, quomodo sancta resurrectio Domini et sedes sancta apostolica Romana.* Post haec ipse archidiaconus in sancto Constantino una nobiscum ascendit in pergo[1] et legit ipsam cartam in populo. Et nos servi vestri anathematizavimus omnem haeresim et omnes, qui de sancta sede apostolica Romana dixerint haeresim.

Et nunc, domine pater benignissime, cogitare digneris de nobis servis tuis; qui, etsi de longinquo simus, oves tuae sumus. Et tibi commissus est omnis mundus, sicut vestra sanctitas scit; sicut ait Dominus Petro: *Si diligis me, Petre, pasce oves meas*[2].

Benignissime pater, dum essem ego Leo servus vester ad sancta vestigia vestra ad pia vestigia domni Karoli piissimi imperatoris filiique vestri, audivimus in capella eius dici in symbolo fidei: *qui ex patre filioque procedit.* Et in homilia sancti Gregorii, quam nobis filius vester domnus Karolus imperator dedit, in parabola octavarum paschae, ubi dixit: *Sed eius missio ipsa processio est, qui de patre procedit et filio*[3]. Et in regula sancti Benedicti, quam nobis dedit filius vester domnus Karolus, quae habet fidem scriptam de sancta et inseparabili trinitate, dicit: *Credo spiritum sanctum Deum verum, ex patre procedentem et filio.* Et in dialogo, quem nobis vestra sanctitas dare dignata est, similiter dicit. Et in fide sancti Athanasii eodem modo dicit.

Itaque per ipsum Iohannem facta est nobis grandis confusio in sancta civitate, quoniam dicit: quod Spiritus sanctus non procedit de patre et filio. Et de hoc misit grandem errorem per omnia monasteria. Et requirebat fidem nostram et libros

a. licet *ed.*

1. pergus s. pyrgus est suggestum (ambo). 2. Cf. Sabatier Bibliorum latinae versiones III p. 488 ad Ioh. 21, 17. 3. S. Gregorii homilia 26, habita in octavis paschae, Opp. ed. Benedictini I 1554.

nostros. Et de domino Gregorio dicit, quod non sint recipiendi eius libri. 809

Unde iterum atque iterum, sancte pater, in terram prostrati cum lacrimis postulamus et rogamus te per Patrem et Filium et Spiritum sanctum, qui trinitas inseparabilis unus dicitur: ut digneris inquirere tam in Graeco quam in Latino de sanctis patribus, qui symbolum composuerunt, istum sermonem, ubi dicitur: *ex Patre Filioque procedit.* Et in Graeco non dicunt sicut nos; sed dicunt: *qui ex Patre procedit,* et vident istum sermonem gravem, quem nos dicimus in Latino. Et mandare digneris domno Karolo imperatori filio vestro, quod nos istum sermonem in eius capella audivimus: *qui ex Patre Filioque procedit.* Et nos hic servos vestros certos facere digneris. Quia nulla species huius sacramenti tam nobis amabilis videatur, quam sanctus vester vultus et sancta oratio et deprecatio seu memoria nostra.

Unde et petimus, benignissime pater, vestram sanctissimam pietatem: ut hos servos vestros Iohannem presbyterum[a], quando Deo gubernante ad sacrosanctam vestram gravitatem pervenerint, benigne suscipere dignemini, et nobis servis vestris certum mandatum dirigere.

Commendamus nos Dominicus, Theodorus, Arimundus, Gregorius, Iohannes, Leo et omnis congregatio de monte sancto Oliveti, humiles[b] servi vestri, vestris sacris ac Deo dignis orationibus.

Deus et dominus noster te, sanctissime pater, cum omnibus tuis ad exaltationem sanctae suae ecclesiae et ad salutem animae tuae et ad gaudium nostrum regere protegere et pia miseratione in omnibus et per omnia custodire dignetur, qui dicitur benedictus in secula.

a. *sic.* b. humilis *ed.*

23. *Leo III papa Carolo I imperatori mittit epistolas, a congregatione montis Oliveti et a Thoma patriarcha Hierosolymitano ad se scriptas*[a].

809 Domino piissimo et serenissimo, victori ac triumphatori, filio amatori dei et domini nostri Iesu Christi, Karolo augusto Leo episcopus servus servorum Dei.

Omnia, quae de singulis partibus nobis accidunt, necesse est ut vestrae intimemus imperiali potestati.

Praesenti siquidem anno direxerunt nobis epistolam[1] monachi, qui in sancto monte Oliveti morantur, fidei contentionem continentem quam inter se habebant. Nos vero symbolum orthodoxae fidei illis misimus, quatenus omnes secundum hanc nostram sanctam catholicam et apostolicam ecclesiam rectam et inviolatam teneant fidem. Quam vero epistolam vestrae imperiali potentiae misimus relegendam.

Inter ea revertentes praesentes fideles servientes vestri, Agamus videlicet et Roculphus, a Hierosolymis detulerunt nobis epistolam Thomae Hierosolymorum patriarchae[2]. Quam relegentes reperimus, ut per nostram precatoriam epistolam vestrae pietati eos commendaremus. Qua de re precamur vestram imperialem potentiam, ut, sicut soliti estis super omnes fideles vestros impertire suffragium, ita cum eis misericordiam facere iubeatis. Ipsam vero epistolam, quam nobis praedicti fideles vestri detulerunt, vestrae serenitati misimus.

His praelibatis, omnipotens Deus sua vos protectione custodiat atque a perfidis omnibus regnum vestrum sui extensione brachii defendat, vosque post longa annorum curricula ad gaudia aeterna perducat. Piissimum domini[b] imperium gratia superna custodiat, eique omnium gentium colla substernat.

a. *Ex codice S. Martialis Lemovicensis edidit Baluzius Miscell. VII* 17. b. Karoli *sequitur ap. Baluzium.*

1. ep. 22 supra p. 382. 2. c. 807 — c. 829; cf. Le Quien Oriens christianus III 342 sq.

24. *Carolus I imperator Fulradum abbatem S. Quintini Veromanduensem ad bellum omnibus rebus instructum die 18 Iunii Strasfurtum venire iubet*[a].

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Carolus serenissimus augustus a Deo coronatus, magnus pacificus imperator, qui et per misericordiam Dei rex Francorum et Longobardorum, Fulrado abbati[1]. 802—810

Notum sit tibi, quia placitum nostrum generale anno presenti[2] condictum habemus infra Saxoniam in orientali parte, super fluvium Bota[3] in loco, que dicitur Starasfurt[4].

Quapropter precipimus tibi, ut pleniter cum hominibus tuis bene armatis ac preparatis ad predictum locum venire debeas 14[b] Kalend. Iul.[5]; quod est septem diebus ante missam sancti Iohannis baptiste[6]. Ita vero preparatus cum hominibus tuis ad predictum locum venies, ut inde, in quamcumque partem nostra fuerit iussio, et exercitaliter ire possis; id est cum armis atque utensilibus nec non et cetero instrumento bellico, in victualibus et vestimentis. Ita ut unus quisque cabalarius habeat scutum et lanceam et spatam et semispatum[c], arcum et pharetras cum sagittis; et in carris vestris utensilia diversi generis, id est cuniada et dolaturia, tarratros, assias, fosorios, palas ferreas, et

a. *Descripsi ex codice Hermanni abbatis Altahensis membr. in tabulario regio Monacensi servato, ubi in folii* 75 *margine posita haec epistola est manu sec. XIII. Ediderunt Pez Thes. T. VI.* I 73, *Eccard Franc. or. T. I* 692, *Mon. Boic. T. XI* 100 *et T. XXXI* 24, *Bouquet Rec. V* 688, *Pertz Mon. Germ. LL. I* 145. b. XII *c.* (*Sed* XIV *legendum esse, intelligimus ex sequentibus verbis his:* quod est septem diebus ante missam S. Iohannis baptiste). c. senispatum *c.*

1. S. Quintini Veromanduensi (postea etiam abbati Laubiensi). Fulradus fuit Caroli M. patruelis; quem quidem genuerat Hieronymus, imperatoris patruus, pellice Caroli Martelli ortus. De hoc abbate cf. Folcuini Gesta abbatum Lobiensium (Mon. Germ. SS. IV 59) et Theodulfi carmin. L. II 7, 8, 9 (opp. ed. Sirmondus p. 177 sq.), ubi sunt „Versus scripti litteris aureis" de nova basilica S. Quintini anno 814 a Fulrado condita. Cf. etiam Mabilionis Annales ord. S. Ben. II 411. (Vehementer errant, qui Fulradum fuisse abbatem Altahae inferioris arbitrantur, propterea quod in catalogo abbatum Altahensium nomen Fulradi non reperitur; v. eum quem edidi catalogum in Mon. Germ. SS. XVII 366). 2. De anno nihil certi habemus. 3. Bode fl., qui in Salam influit. 4. Strassfurt (a Magdeburgo ad meridiem). 5. Iun. 18. 6. Iun. 24.

802—810 cetera utensilia, que in hostem sunt necessaria. Utensilia vero ciborum in carris de illo placito in futurum ad tres menses; arma et vestimenta ad dimidium annum.

Et hoc omnino precipimus ut observare facietis: ut cum bona pace pergatis ad locum predictum, per quamcumque[a] partem regni nostri itineris vestri rectitudo vos ire fecerit. Hoc est, ut preter herbam et ligna et aquam nichil de ceteris rebus tangere presumatis. Et unius cuiusque vestri homines una cum carris et caballariis suis vadat et semper cum eis sit usque ad locum predictum; qualiter absentia domini locum non det hominibus eius mala faciendi.

Dona vero tua, quae ad placitum nostrum nobis presentare debes, nobis medio mense Maio transmitte ad locum, ubicumque tunc fuerimus. Si forte rectitudo itineris tui ita se comparet, ut nobis per te ipsum in profectione tua ea presentare possis, hoc magis optamus. Vide[b], ut nullam negligentiam exinde habeas, sicut[c] gratiam nostram velis habere.

---

25. *Carolus I imperator Garibaldum episcopum Leodiensem hortatur, videat, ne ullus sacerdos baptizet, nisi qui orationem dominicam et symbolum fidei in memoria habeat*[d].

802—810 In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Carolus serenissimus augustus a Deo coronatus, magnus pacificus imperator Romanum[e] gubernans imperium, qui et per misericordiam Dei rex Francorum et Langobardorum, Garibaldo episcopo[1] in Domino salutem.

Bene igitur recordari credimus sanctitati tuae, qualiter saepius in conventu et concilio nostro monuimus de praedicatione in sancta Dei ecclesia: unus quisque vestrum secundum sanctorum canonum auctoritatem et praedicare et docere deberet; primo omnium de fide catholica, ut, et qui amplius capere non

a. quacumque *c.* b. inde *c.* c. sic̄ *c.* d. *ex cod. Andaginensi saec. X ediderunt Martene et Durand Coll. ampl. VII* 19 (*Bouquet Rec. V* 680, *Pertz Mon. Germ. LL. I* 128). e. Romanum *addidi.*

1. Leodiensi 784—810.

valuisset, tantummodo orationem dominicam et symbolum fidei catholicae, sicut apostoli docuerunt, tenere et memoriter recitare potuisset; et ut nullus de sacro fonte baptismatis aliquem suscipere praesumeret, antequam in vestra aut ministrorum vestrorum sacri ordinis praesentia orationem dominicam et symbolum recitaret. 802—810

Et sicut in proximo comperimus, in die apparitionis Domini multi fuerunt apud nos inventi, qui volebant suscipere infantes de sacro fonte baptismatis. Quos iussimus singulariter et diligenter examinare et requirere, si orationem dominicam et symbolum, ut supra diximus, scirent et memoriter tenerent; et plures fuerunt, qui nulla exinde in memoriam habebant. Quibus praecepimus abstinere, ut, antequam orationem et symbolum scirent et recitare potuissent, neque aliquem de sacro fonte baptismatis suscipere praesumerent. Et valde erubescentes fuerunt ex hac re; et spondere volebant, ut, si concessum eis fuisset, ad tempus hoc improperium a se potuissent auferre. Ian. 6

In quo loco intelleximus, quod non eis fuit convenientia. Et sicut in capitulari nostro potestis reperire, discretionem factam habuimus: quanto tempore se unus quisque abstinere debuisset ab hoc opere, usque dum bonus fideiussor esse valeret in hoc negotio; scilicet aut certe statim alium inveniret scientem, aut, si infirmitas non impediret, expectaret de pascha usque in pentecosten, donec ipse disceret ea, quae supra dicta sunt.

Nunc autem denuo monemus, ut memores sitis, sicut condecet, de ministerio sacerdotali. Et conventum habeatis cum vestris sacerdotibus, et diligenter omnem rei veritatem requirite et examinate; ita ut opus Domini non praetereat, nec aliqua requisitio vobis exinde fiat ante conspectum sanctae maiestatis.

---

26. *Ghaerbaldus episcopus Leodiensis presbyteris dioeceseos suae ex Caroli imperio praecipit, ut orationem dominicam et symbolum fidei committant memoriae*[a].

Ghaerbaldus clementia Dei episcopus omnibus presbyteris, 802—810

a. *Ex cod. Andaginensi saec. X ediderunt Martene et Durand Coll. ampl. VII* 20 (*Pertz Mon. Germ. LL. I* 128).

802—810 qui infra parochia nostra consistunt et ecclesias Domini una nobiscum Deo auxiliante regunt, in Domino perpetuam optamus salutem.

Cognoscatis, quia epistola domni et serenissimi imperatoris nostri ad nos venit, quae relecta[a] in praesentiam nostram; ubi comperimus, quia domnus existimat nostram esse negligentiam, ut non adnunciemus populum pleniter de oratione dominica, ut sciant, et symbolum quod apostoli docuerunt. Et domno nostro dictum est, quia nostra pigritia sit, qui sacerdotes sumus in populo, et praedicare et docere populum debemus, qualiter per rectam fidem et orationem et opus bonum ad caelestia regna perveniant. Et ex ea parte credo, quod vestra aliquorum negligentia sit.

Propterea mandamus vobis atque contestamur per tremendam omnipotentis maiestatem: ut negligentes de hac re amplius non existatis; sed pleniter cum omni studio et omni diligentia, ut unus quisque vestrum ad suam basilicam, vel in quantascumque basilicas missarum solemnia celebrat, praedicare et commonere unus quisque iuxta modum capacitatis suae faciat de praecepto Dei omnipotentis et verbo domni nostri imperatoris sui et parvitatis nostrae. Quia tantum pondus nobis suprapositum inter vos partire debemus. Et unus quisque orationem dominicam, id est: *Pater noster, qui est in coelis* et reliqua quae sequuntur, et symbolum, sicut docuerunt sancti apostoli, discere et in memoriam retinere studeat et ore proferre. Quia sine fide impossibile est placere Deo, et opus bonum. Et adnuncietis populo: quia haec est arma, unde se contra diabolum defensare debet, et adversum generis humani inimicum pugnare debent; haec est arma spiritalis, in qua vincitur diabolus; et gaudent de victoria illi, qui cum ista arma pugnant, id est rectam credulitatem fidem et rationem et opus bonum. Sufficiant ista vobis[b].

Ceterum, si vos aliquando de ista adnunciatione negligentes eritis, arcius et distinctius vos distringere debemus.

a. relicta *ed.* b. vobos *c.*

27. *Carolus I imperator Pippino regi Italiae mandat, ne ecclesias a ducibus eorumque ministris vexari patiatur, utque legem a sese conditam observari iubeat*[a].

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Karolus serenissimus augustus a Deo coronatus, magnus[b] pacificus imperator Romanum gubernans imperium, qui et per misericordiam Dei rex Francorum et Langobardorum, dilectissimo filio nostro Pipino glorioso regi[1] sempiternam in Domino salutem. 808—810

Pervenit ad aures clementiae nostrae: quod aliqui duces et eorum iuniores, gastaldii, vicarii, centenarii seu reliqui ministeriales, falconarii, venatores et ceteri, per singula territoria habitantes ac[c] discurrentes, mansionaticos[2] et parvaredos[d][3] accipiant; non solum super liberos homines, sed etiam in eclesias Dei, monasteria videlicet virorum ac puellarum et senedochia[e], atque per[f] diversas plebes[g] et super reliquos servientes eclesiae[h]. Et insuper homines atque servientes[h] aeclesiarum Dei in eorum opera, id est in vineis et campis seu pratis nec non et in eorum aedificiis, illos faciant operare. Et carnaticos[4] et vinum contra omnem iustitiam ab eis exactari non cessant. Et multas oppressiones patiuntur[i] ipse eclesiae[i] Dei vel servientes earum.

Ideoque, karissime fili, has litteras ad tuam dilectionem direximus, ut hanc causam diligenter ac prudenter inquirere facias. Et si verum[k] est, quod ita factum sit, deinceps omnimodis emendare et corrigere studeas[l]; quatenus in diebus nostris ac tuis pax eclesiarum Dei sive illarum servientium in omnibus conservetur, et ut merces copiosa[m] nobis ac tibi exinde iugiter acrescat[n].

a. *Descripsi ex (B) cod. Guelferbytanae bibliothecae, Blankenburg. n.* 130 *membr. sec. X fol.* 81 (*sine lemmate*); *et ex (T) cod. bibl. regiae Monacensis lat.* 19416, *Tegernseensi* 1416, *membr. sec. X fol.* 72, *cum hoc lemmate:* Incipit epistola Karoli. *Ediderunt Busaeus in Hincmari epistolis p.* 818, *Goldastus Imp. constit. III* 147 *et Collect. consuetudinum p.* 122, *Baluzius Capitul. I* 461, *Bouquet Rec. V* 629, *Pertzius Mon. Germ. LL. I* 150. b. et *add. B.* c. ad *B*, ac *T.* d. paruareda *T.* e. sinedochia *T.* f. per *om. T.* g. pleues *T.* h. eclesiae — servientes *om. T.* i. paciantur ipsas ecclesias *T.* k. veritas *T.* l. studeat *T.* m. copioso *T.* n. adcrescat *T.*

1. Italiae, 781—810. 2. mansiones. 3. paraveredos. 4. carnes.

803—810 Audivimus etiam: quod quedam capitula, quae in lege scribi iussimus, per[a] aliqua loca aliqui ex nostris ac vestris dicunt[b], quod nos nequaquam illis hanc causam ad notitiam per nosmet ipsos edictam[c] habeamus. Et ideo nolunt ea oboedire[d] nec consentire neque pro lege tenere.

Tu autem[e] nosti, quomodo vel qualiter tecum locuti fuimus de ipsis capitulis[f]. Et ideo monemus tuam amabilem dilectionem, ut per universum regnum tibi a Deo commissum ea nota facias[g] et oboedire atque inplere praecipias, de episcopis et sacerdotibus occisis sicut statutum habuimus[h] [1], et de reliquis quibuslibet[i] causis.

Verumtamen de presbiteris videtur nobis: si[k] liber natus est, per triplam compositionem[l] secundum suam legem fiat compositus; et si plagatus[m] fuerit[n], secundum qualitatem vel quantitatem plagarum vel disciplinae tripla compositione emendetur ab eo[o], qui hoc perpetratus fuerit[p]. Si autem[q] presbiter servus natus fuerit[r], secundum illius nativitatem tripla compositione solvatur in plagis et disciplinis. Et de diaconibus similiter[s] fiat.

His expletis, bene vale semper in Domino, karissime[t] fili.

---

28. *Rihcolfus archiepiscopus Moguntinus Eginoni episcopo Constantiensi iussu Caroli I imperatoris mandat, ut ieiunium triduanum instituat*[u].

810 In Dei nomine. Rihcolfus misericordia Dei archiepiscopus[2] Eginoni episcopo[3] salutem.

Not(um sit fraternitati)[v] tuae, quia domnus imperator nos

a. pe *T.* b. dicant *T.* c. ēedictam *B,* condictam *T.* d. oboedere *T.* e. autem *om. B.* f. de ipsa capitula *T.* g. faciat *T.* h. habemus *T.* i. quibusbet *T.* k. ut si *T.* l. pbt tripla conpositione *T.* m. placatus *T.* n. fueris *T.* o. ab eo *om. T.* p. perpetraverit *T.* q. tamen *T.* r. fuit *B.* s. semiter *T.* t. dilectissime *T.* u. *Descripsi ex manca membrana saec. IX, hodie in S. Galli codice* 1394 *p.* 141 *servata. Ediderunt Arx Geschichte des Kantons St. Gallen I* 174, *Pertzius Mon. Germ. LL. I* 165. v. *Uncis inclusa addidi.*

1. anno 803 in „Capitulis, quae in lege addita sunt“ (Mon. Germ. LL. I 113; cf. Boretius Die Capitularien im Longobardenreich p. 76 sq.) hoc pacto: „Si quis subdiaconum occiderit, 300 solidos componat; qui diaconum, 400 solidos; qui presbiterum, 600; qui episcopum, 900 solidos componat“. 2. Moguntinus, 786—813. 3. Constantiensi, 781—810 s. 813.

admonuit — sicut sepius in conventu concil(iorum) ..... ut 810
omni tempore Dei omnipotentis misericordiam humiliter deprecare debeamus pro com(muni salute), quandocumque necessitas conpellit — ut unus quisque per suam parrochiam triduanum (ieiunium fecissent) et rogassent Deum omnipotentem: ut omnibus suis fidelibus christianis dedisset suam gratiam e(t sanitatem corporis) et animae; et ut ab omnibus tribulationibus, quae pro peccatis nostris assiduę crescunt et .... tam in hominibus quamque et in animalibus[1], in omnibus nobis adiuvasset.

Ideoque nostra parv(itas) .... iussionem domni imperatoris: ut 5 Idus Decembris, 4 Idus et 3 Idus, quod evenit secunda f(eria)[2].... ut omnes, quos senectus vel infirmitas sive infantia non prohibet, ieiunent usque ad h(oram) .... (abstine)ant se a carne et vino et a cervisa milschida et medo. Et si aliquis propter causam infirmi(tatis) .... re, unus quisque maiores donet in uno quoque die solidum unum, mediocres denarios sex; pauperi(bus) ...... secundum suam possibilitatem elimosinas faciant. Presbiteri vero, unus quisque in illis tri(bus diebus) .... clerici et nonnanes, qui psalmos sciunt, quinquagesimum psalmum[a] in uno quoque die cantet, et cum c....... superius diximus, ut Deus ....

---

29. *Carolus I imperator Nicephoro Graecorum imperatori scribit, Arsafium legatum eius a sese susceptum pacemque confirmatam esse. De suis ad eum legatis addit*[b].

Cum in omni humane accionis inicio Domini sit auxilium 811 ineunte
invocandum, maxime in hoc, quod modo inter nos Deo mediante agitur, negocio, domini et salvatoris[c] nostri Iesu Christi

a. L psalmos *c.*? b. *Ex cod. S. Galli* 271 *membr. saec. IX fol.* 68 *mihi descripsit Hermannus Wartmann. Ediderunt Canisius Antiquae lectiones I* 29, *Quercetanus in Alchovini Opp. p.* 1661, *Bouquet Rec. V* 631, *Frobenius in Alcuini opp. II* 560. c. salvotoris *c.*

1. Annales S. Emmerammi Ratisp. maiores (Mon. Germ. SS. I 93) 810: „Magna mortalitas animalium fuit". Annales Einhardo adscripti (ibid. 198) 810: „— super omnes imperatori subiectas provincias — animalium mortalitas immanissime grassata est". 2. anno 810 incidit dies 9 m. Decembris in secundam feriam.

811 omni modo sunt inploranda suffragia; ut, qui nomine illius si-
ineunte gnati sumus et in dispensacione passionis eius ab eterno mortis
periculo nos redemptos esse confidimus, ea, quae ipso inspirante
inchoamus, ad honestum et utilem perfeccionis terminum per-
ducere mereamur.

In cuius nomine atque honore legatum fraternitatis tue,
quem[a] ad bonae ręcordationis filium nostrum Pipinum regem[1]
810 misistis, Arsafium scilicet gloriosum spatarium, ad nos cum
Oct. verbis et literis ....[b] tue benigne atque honorifice suscepimus.
Et quamvis[c] ad nos missus non fuisset, veluti ad nos missum
adhibita diligenti cura et audivimus et cum eo de his, quae
dętulit[d], quia prudentem animadvertimus, conlocucionem habui-
mus[2]. Nec inmerito, cum tanta esset non solum in literis quas
attulit[e], sed eciam in verbis, quae ex ore illius nostris auribus
insonuerunt, optatae ac semper optande pacis copia, ut valde
nobis[f] et quibuscumque Deum timentibus huiuscemodi legacio
placere potuisset. Quae utique tanto fuit caritatis ac pacis sa-
pore[g] respersa, ut in palato cordis cuiusque fidelis veram possent
sapere dulcedinem; possetque iudicari[h] penitus insipiens[i], cui
talia videntur insipida[k]. Propter quod, postquam illum in
fines regni nostri pervenisse conperimus, veluti praescii optime[l]
ac Deo conplacite legacionis eius, temperare nequivimus, opor-
tune eum ad nostram praesenciam venire fecimus; maxime[m]
tamen, quod his, ad quem[n] illum missum[o] esse constabat, di-
lectus filius noster Pipinus rex divino iudicio iam rebus humanis
excesserat neque nos illum cum infecto negocio tanto, ad quod[p]
perficiendum directus erat, vacuum reverti pati potuimus.

808 Et non solum propter hoc, sed eciam quod ex tempore,
quo primo inperii tui anno Michaelem metropolitanum et Petrum[q]

a. quaē *c.* b. *lacuna non est in cod.* c. quī *c.* d. dędulit *c.* e. addulit *c.* f. nos *c.* g. sanæ *c.* h. indicare *c.* i. insibiens *c.* k. insapida *c.* l. optimo *c.* m. maxima *c.* n. quā *c.* o. misum *c.* p. tanta quod *c.* q. Petrum *scripsi pro* populum *c.*

1. Italiae, qui obiit d. 8 Iulii a. 810. 2. m. Octobri a. 810. V. Annales (Mon. Germ. SS. I 198) 810: „Imperator Aquasgrani veniens mense Octobrio, — legationes audivit pacemque cum Niciforo imperatore — fecit“.

assiduum abbatem Calistumque gloriosum candidatum ad constituendam nobiscum pacem et federanda atque adunanda haec duo in Christi caritate, longeva[a] tua misit[1] dileccio, veluti in specula positi, longa fuimus expectacione suspensi[b], praestolantes, sivȩ per legatum sive per epistolam, quando meritorum[c] scriptis nostris amabilia fraternitatis tuae responsa susciperem[d]. Iamque, ut se habet humane mentis infirmitas, pro spe disperacio cordi nostro incipiebat oboriri. Sed fidentes spȩrabamus in eo, qui nunquam deserit sperantes in se, quod secundum apostolum labor noster in ipso vacuus et inanis esse non deberet[2] ac desiderium nostrum, quod ut confidimus ipsius inspiracione concipimus, secundum divicias misericordiae suae[e] conplerȩ[3] et quandocunque ad effectum perducere deberet. Idcirco, audito adventu[f] memorati legati dileccionis tuae, Arsafii[g] gloriosi spatarii[h], magnopere[i] gavisi sumus; confidentes: nos de rebus incertis ad optatam certitudinem perventuros; et de his, que[k] praedictis tuis ad te perferenda dedimus, responsum esse recepturos. Et re vera ita factum est. Sensimus enim ex parte in eo, quod desiderabamus ad complecionem votorum nostrorum, divini favorem auxilii, et in verbis ac literis, quae per legacionem memorati legati perlata sunt, quamvis ad filium nostrum scripta et directa essent, non minimam nos desideratae[l] responsionis accepisse porcionem.

803 (line 1) · 803—810 (line 4) · 810 (line 15)

Proinde omnipotenti Deo, non quales debuimus sed quales potuimus, gracias agimus, quod cordi dileccionis tue, quam quesivimus ac desideravimus[m], pacis voluntatem inspirare dignatus

811 ineunte

a. longeuā *c.* b. suspenssa *c.* c. *an* merito? d. suscipere *c.* e. misericordia sua *c.* f. adventū *c.* g. Arsafidi *c.* h. patrii *c.* i. magnoperū *c.* k. quē *c.* l. desiderata *c.* m. desiderabilem *c.*

1. V. Annales 803 (Monum. Germ. SS. I 191): „venerunt legati Nicifori imperatoris — quorum nomina fuerunt Michahel episcopus, Petrus abbas et Calistus candidatus; — et pactum faciendae pacis in scripto susceperunt". 2. 1 Corinth. 15, 58: „scientes, quod labor vester non est inanis in Domino". 3. Philipp. 4, 19: „Deus autem impleat omne desiderium meum".

811 ineunte est; orantes secundum apostolum, ut Deus, qui vobis in hac pace velle tribuit, ipse perficere tribuisset[1].

Propter quod, nihil morantes sed omni cunctacione ac dubitacione penitus abiecta, legatos nostros praeparavimus ad tuam[a] amabilem fraternitatem dirigendos[2].

---

30. *Dungalus reclusus S. Dionysii Parisiensis Carolo I imperatori exponit de solis defectione anno 810 bis facta*[b].

811 In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Domino gloriosissimo Karolo serenissimo augusto, omnium antecedentium Romanorum principum cunctis nobilibus honestisque regalium virtutum donis et exercitiis studiosissimo, vita longaeva, fida salus, continua benivolentia, pax, corona inmarcescibilis, gloria sine fine.

Audivi ergo, domine dilectissime, ego Dungalus vester fidelis famulus et orator non immemor, quod vos Waldoni abbati[3] direxistis epistolam: ut per illam me ipse ex vestris verbis interrogaret de ratione defectus solis, quem anno praeterito ab incarnatione Domini 810 bis evenisse plurium relatu vobis fuisse compertum dixistis; et quem, sicut vos legisse memorastis, non solum antiqui gentilium philosophi sed et quidam Constantinopolitanus episcopus, quasi naturalem concursionis elementorum effectum, usitatae et certae explorationis peritia cognitum, prius dixere quam fieret. Inde vestrae beatissimae et clarissimae serenitati visum est mandare: ut de dicta causa ego, quasi sectator et amator sapientiae, interrogarer quid sentirem; et quid scirem et quid sentirem, proferendo et respondendo faterer; exceptum scriberetur, scriptumque vobis deferretur. Non

a. *sequitur* animam *in cod.* b. *Hanc epistolam a Mabilione ex cod S. Remigii descriptam edidit Dachery Spicil. T. X* 143, *ed. II T. III* 324.

1. Cf. Philipp. 2, 13: „Deus est enim, qui operatur in vobis et velle et perficere". 2. V. Annales (Mon. Germ. SS. I 198) 811: „Absoluto atque dimisso Arsafio spathario — hoc erat nomen legato Nicifori imperatoris — eiusdem pacis confirmandae gratia legati Constantinopolim ab imperatore mittuntur: Haido episcopus Basilensis" cet. 3. S. Dionysii Parisiensis (806—813), qui antea coenobiis S. Galli et Augiensi praefuerat.

differam igitur neque dissimulabo vestro secundum vires sanctissimo et utilissimo parere praecepto. Et utinam tam efficax 811 quam voluntarius existerem, ut non solum velle sed et compote voto adsequi cupita valerem; licet apud summum rectorem pronus et alacris affectus pro re effecta et adimpleta reputatur.

Quia ergo, domine mi, huius rationis investigatio et peritia ad philosophos hoc est physicos proprie et specialiter pertinet, sicut vestri continent apices, quorum libri compositiores et diligentiores quamvis mihi non suppetant, quibus de his rebus et de talibus exercitatiori sermone et enucleatiori expressione tractaverunt, et per quos vobis plenius et eruditius de inquisitis respondere me posse crediderim; secundum simplices tamen et leves compendiososque libellos qui inter manus sunt — in quantum de ipsis torpor obtunsi cordis et tardus sensus vix lento conamine pigroque nisu reptans et movens praelibare quiverit, ne vulgari proverbio lupus in fabula, pavido stupidoque silentio reprimi videar — utcumque respondebo; sciens indubitatissime, vestram serenissimae et piissimae longanimitatis indulgibilem clementiam, si quid minus aut aliter dixero, facilem mihi veniam donaturam et paterna correctione me, veluti praeter industriam studiumve per fragilitatem infirmitatemque delinquentem, modeste castigaturam.

Huius autem quaestionis origo repetenda est; ut ab initio, sicut in ceteris solet disputationibus, per ordinem ratio explicanda procedens, congrua reddatur de interrogatis responsio. Macrobius igitur Ambrosius in expositione Ciceronis inter cetera commemorat de novem circulis[a] . . . . .

Respondi ergo, ut mihi videtur, beatissime auguste, secundum vestrarum exactionem litterarum. Et dixi ex eorumdem auctoritate, quemadmodum antiqui philosophi et scierunt et praescierunt, quomodo fieret defectus solis et quando fieret. Illi enim, omnium disciplinarum peritissimi et nullius sectae inscii veteribus adprobatae, sagacissima elimatae et defaecatae mentis intentione et perspicacissima purgatissimaque interni

a. *omisi ea, quae ex Macrobii libro sumpsit Dungalus.*

811 sensus acie praefixa, omnium rerum naturas rationes causas et origines subtilissime et instantissime naturali investigatione quaesiverunt, accuratissime et efficacissime — illo, a quo omne datum optimum est et omne donum perfectum[1], offerente — quaesita invenerunt, inventa et deprehensa diligentissime et intentissime observaverunt; inde physici astronomiae specialiter studentes, eadem diutissima meditatissimaque diligentia ortus et obitus stellarum intuentes et intuendo experientes, solis et lunae et reliquarum quinque vagantium cursus et recursus, accessus et recessus plenissime exploraverunt; in tantum, ut explorando indubitatissime scirent, quantas lineas zodiaci circuli una quaeque stella erratica lustraret, et per quam proprie et specialiter de ipsis lineis in praesenti cursum dirigeret, et in quo signo et in qua parte ipsius signi esset. Qui ergo ita de subtilioribus, licet veris et naturalibus, aliarum stellarum motibus certissime et studiosissime cognoverunt, cur solis et lunae cursus, qui vere notabiliores et faciliores sunt ad cognoscendum, ignorarent, ut eos lateret quomodo vel quando per eamdem zodiaci circuli eclipticam lineam currerent, et illam unam eamdemque lustrantes, in unum signum et in unam partem coirent, et in eamdem partem coeuntes, lunaque in ipsa soli succedente eclipsis fieret solis.

Non solum ergo praedicti philosophi eclipsim, hoc est defectum solis praesciebant, et praescientes praedicebant, quando post unum mensem futurus esset; sed quando per annum, aut XX aut C aut M annos sequeretur, per supradictam sagacem explorationem et diligentem observationem longe ante experti praesignabant. Sed ut plus miremini, usque ad quindecim milia annorum talibus argumentis protenderunt.....

Anno ergo praeterito 810 ab incarnatione Domini non est mirum eclipsin solis evenisse, sicut vestrae indicant litterae: septimo Idus Iunias, prima tunc initiante luna, et rursus in eodem anno pridie Kalendas Decembris[2], trigesima incipiente

1. Iac. 1, 17. 2. In annalibus quoque Einhardo ascriptis (Mon. Germ. SS. I 198) leguntur haec ad a. 810: „Eo anno sol et luna bis defecerunt, sol 7 Idus Iun. et 2 Kal. Dec." Sed solem constat anno 810 obscuratum esse die 5 Iulii et d. 30 Novembris.

luna, et a priore defectu septimo mense, hoc est Decembre inchoante. Qui sic defectus solis definitur novissima primave luna fieri, et septimo mense a priore defectu; quamvis aliquando penitus non appareat, cum certe sit factus; aut si apparuerit, non semper ubique cernatur; aut si ubique conspiciatur, non eisdem horis omnes aequaliter videant evenisse propter supradictas causas. 811

Si quis ergo etiam in hoc tempore, tanto sensus acumine praeditus, tanta instantiae diuturnitate nisus, tanta explorationis et observationis diligentia intentus, eadem otiositate et curiositate sicut priori aetate geniti sollicitus, tantum studium erga astronomiae aut cuiuscumque disciplinae adsectationem adhibuerit, nonne idem facile credendus est ad eamdem antiquorum scientiam et praescientiam posse pervenire? Voluntas enim dispar, non natura, quae una et aequalis est, homines tantum a se distare facit; quamquam in primis hominibus — propter mundi adolescentiam et vim corporum et sensuum vigorem — magis voluisse comperimus.

Hic ergo nunc de eclipsi solis sit finis dicendi; non quod dixisse forsitan sufficienter arbitrer, sed quia ad praesens proprii ingenioli exiguitas amplius memorare non quiverit. Plinius enim Secundus et alii libri, per quos aestimem haec me posse supplere, non habentur nobiscum in his partibus; cum de talibus per me ipsum nihil audeam excogitare neque praesumam.

Vos autem, domine piissime auguste, quibus prae omnibus affluentiam sapientiae sicut et caeterarum sanctarum virtutum Deus distribuit, rogo suppliciter: ut, in quo vobis de hac causa ignorare videar aut aliter aestimare quam rectum est, instruere et dirigere dignemini — stulta enim mundi elegit Deus[1], et non est apud eum personarum acceptio[2] — ut non solum vestrae purissimae et clarissimae sapientiae lux his qui prope sunt luceat, sed et his qui longe; et non solum per aperta camporum discurrentes illustret, verum etiam reclusos, licet per rimas et iuncturas, vestri serenissimis plendoris radius exerens perfundat.

1. 1 Corinth. 1, 27. 2. Ephes. 6, 9.

811 Omnibus ergo valde necesse est, attentis et assiduis precibus rogare et postulare: ut dominus et salvator noster Iesus Christus suo populo donet et tribuat, multis annis de tali et tanto principe et magistro gaudere; qui omnibus aequaliter omnium bonorum operum et virtutum et honestarum disciplinarum doctor praecipuus et perfectum habetur exemplar: rectoribus ad suos subiectos bene regendos, militibus ad suam exercendam legitime militiam, clericis ad universalis christianae religionis ritum recte observandum, philosophis et scholasticis ad honeste de humanis philosophandum et sapiendum reverenterque atque orthodoxe de divinis sentiendum et credendum. Quid plura de nostri domini augusti Karoli summis virtutibus et excellentibus dicere nitor? cum, licet multum elaborare velim, totas referre non potero. Hoc tantum veraciter dicimus, quod omnes uno ore conclamant: quia in ista terra, in qua nunc Deo donante Franci dominantur, ab initio mundi talis rex et talis princeps numquam visus est, qui sic esset fortis sapiens et religiosus, sicut noster dominus augustus Karolus. De cetero autem per sua sancta et sublimia merita forsitan de suo semine talis oriatur. Hoc solum superest, ut nos omnes, christiani altissimis vocibus et devotissimis cordibus unanimiter clamemus ad Dominum et rogemus: ut nostri optimi domini augusti Karoli triumphos multiplicet, imperium dilatet, sacram conservet progeniem, sanitatem confirmet, vitam in multos extendat annorum curriculos. Exaudi, exaudi, exaudi, Christe.

Sicut ergo, domine reverentissime atque dulcissime, Deo et vestro fideli famulo Waldoni abbati mandastis, ut me de talibus ex vestris verbis commonendo interrogaret et exigendo commoneret — qui sicut vobis fidelis ita mihi de hac re gravis et importunus exactor quamvis moderate extitit — ita per illum vobis remitto; ut inde ei gratias referatis, si quid in his bene dixerim, quae per eius urgentem exactionem volens nolens solvi; si autem aliquid male propter meum proprium neglectum, mihi poenitentiam quam velitis clementer imponatis.

Opto, vos bene semper valere in Deo, optime domine, et 811
non tantum optime domine sed et piissime atque amantissime pater.

---

31. *Carolus I imperator Odilberto archiepiscopo Mediolanensi mandat, ut baptizandi ritum sibi exponat*[a] [1].

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Karolus sere- c. 809-812
nissimus augustus a Deo coronatus, magnus pacificus imperator Romanum gubernans imperium, qui et per misericordiam Dei rex Franchorum et Langobardorum, Odilberto venerabili archiepiscopo[2] in Domino salutem.

Sepius tecum, immo et cum ceteris collegis tuis, familiare conloquium de utilitate sanctae Dei aecclesiae habere voluissemus, si absque molestia corporali id efficere potuisset. Sed quamvis sanctitatem tuam in divinis rebus tota intentione vigilare non ignoremus, omittere tamen non possumus, quin tuam devotionem sancto incitante Spiritu nostris apicibus conpellamus atque commoneamus: ut magis ac magis in sancta Dei aecclesia studiose ac vigilanti cura laborare studeas in predicatione sancta et doctrina salutari; quatenus per tuam devotissimam sollertiam verbum vitae aeternae crescat et currat, et multiplicetur numerus populi christiani in laudem et gloriam salvatoris nostri Dei.

Nosse itaque per tua scripta aut per te ipsum volumus, qualiter tu et suffraganei tui doceatis et instruatis sacerdotes Dei et plebem vobis commissam de baptismi sacramento. Id est: cur primo infans catecuminus efficitur, vel quid sit catecuminus. Deinde per ordinem omnia, quae aguntur. De scrutinio: quid sit scrutinium. De symbolo: quae sit eius interpretatio secun-

a. *Ex monasterii S. Pauli in Carinthia codice XXV, membr. saec. X, fol.* 138 *hanc epistolam in meum usum descripsit Theodorus Sickel. Ediderunt Mabillon Analecta p.* 75, *Baluzius Capit. I* 488, *Bouquet Rec.* 632, *Pertzius Mon. Germ. LL. I* 171.

1. Haec epistola una cum ea, quae sequitur, ad Amalarium ep. Trevirensem spatio annorum c. 809—812 data est, propterea quod Amalarius, c. 809 ecclesiae Trevirensi praefectus, ineunte a. 813 Constantinopolim adiit neque ante Caroli imperatoris obitum reversus est. 2. Mediolanensi, 805—814.

c. 809-812 dum Latinos. De credulitate: quomodo[*] credendum sit in Deum patrem omnipotentem et in Iesum Christum filium eius natum et passum et in Spiritum sanctum, sanctam aecclesiam catholicam et cetera, quae secuntur in eodem symbolo. De abrenuntiatione satane et omnibus operibus eius atque pompis: quid sit abrenuntiatio vel quae opera eius diaboli et pompae. Cur insufflatur vel cur exorzizatur. Cur catecuminus accipit salem. Quare tangantur nares; pectus unguatur oleo. Cur scapulae signantur. Quare pectus et scapulae liniantur. Cur albis induitur vestimentis. Cur sacro crismate caput perunguitur et mystico tegitur velamine; vel cur corpore et sanguine dominico confirmatur.

Haec omnia subtili indagine per scripta nobis, sicut diximus, nuntiare satage; vel si ita teneas et predices, aut si in hoc, quod predicas, te ipsum custodies.

Bene vale et ora pro nobis.

---

32. *Carolus I imperator Amalario episcopo Trevirensi mandat, ut baptizandi ritum sibi exponat*[a].

c. 809-812 In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Karolus serenissimus augustus a Deo coronatus, magnus pacificus imperator Romanum gubernans imperium, qui et per misericordiam Dei rex Francorum et Longobardorum, Amalario venerabili episcopo[1] eternam in Domino salutem.

Sepius tecum, immo et cum ceteris collegis, familiare conloquium de utilitate sancte Dei ecclesie habere voluissemus, si absque molestia corporali id efficere potuisset. Set quamvis sanctitatem tuam in divinis rebus tota intencione vigilare non ignoremus, omittere tamen non possumus, quin tuam devocionem sancto incitante Spiritu nostris apicibus conpellamus atque conmoneamus: ut magis ac magis in sancta Dei ecclesia studiose

a. *Ex bibliothecae pagi Tigurini codice* C. 102 *membr. saec. X fol.* 69 *descripsit mihi Geroldus Meyer de Knonau. Edidit Frobenius in Alcuini opp. T. II* 520. *Epistola in cod. lemma hoc habet:* Interrogacio Karoli imperatoris.

1. Trevirensi, 809—814?

ac vigilanti cura laborare studeas in predicacione sancta et doctrina salutari; quatenus per tuam devotissimam sollerciam verbum vite eterne crescat et currat, et multiplicetur numerus populi christiani in laudem et gloriam salvatoris nostri Dei. c. 809-812

Nosse itaque per tua scripta aut per te ipsum volumus, qualiter tu et suffraganei tui doceatis et instruatis sacerdotes Dei plebem vobis commissam de baptismi sacramento. Id est: cur primo infans caticuminus efficitur, vel quid sit caticuminus. Deinde per ordinem omnia, que aguntur. De scrutinio: quid sit scrutinium. Et de simbolo: quid sit eius interpretacio secundum Latinos. De credulitate: quomodo credendum sit in Deum patrem omnipotentem et in Iesum Christum filium eius natum et passum et in Spiritum sanctum, sanctam ecclesiam catholicam[a] et cetera, que secuntur in eodem simbolo. De abrenunciacione satane et de omnibus operibus eius atque ponpis: quid sit abrenunciacio vel que opera diaboli et pompe. Cur exsufflatur vel cur exorcizatur. Cur caticuminus accipit[b] salem. Quare tangantur nares; pectus ungatur oleo. Cur scapule[c] signentur. Quare pectus et scabule linientur. Cur albis induitur vestimentis. Cur sacro chrismate[d] caput perunguitur et mistico tegitur velamine; vel corpore et sanguine dominico confirmatur.

Hec omnia subtili indagine per scripta nobis, sicut diximus, nunciare satages; vel si ita teneas et predices, aut si in hoc, quod predicas, te ipsum custodias.

Bene valete et ora pro nobis.

---

33. *Odilbertus archiepiscopus Mediolanensis Carolo I imperatori respondet, excerpta de ritu baptizandi mittens*[e].

Domino christianissimo et a Deo conservato Karolo invictissimo atque piissimo imperatori Odilbertus servus servorum Dei, sanctae vestrae Mediolanensis aecclesiae archiepiscopus et orator vester, perennem in Christo domino salutem. c. 809-812

a. cotholicam *c.* b. accepit *c.* c. spadule *c.* d. chrimate *c.* e. *Ex monasterii S. Pauli in Carinthia codice XXV membr. saec. X, fol.* 139 – 140 *in usum meum descripsit Theodorus Sickel. Ediderunt Mabillon Analecta p.* 76 (*ex cod. Augiensi*), *Pertzius Mon. Germ. LL. I* 171.

c. 809-812 Igitur inmensae omnipotentis Dei nostri misericordiae sine intermissione omnibus nobis peragendae sunt gratiae, quae vos in tam sublimissimam dignitatem collocavit imperii. Simulque provolutis genibus omnes eiusdem redemptoris nostri supplicamus clementiam: ut vitam vestram atque incolomitatem per multorum annorum curricula ad profectum omnium aecclesiarum Dei sive et fidelium populorum vobis a Deo commissorum conservare dignetur.

Quia in vestra tranquillitate salutem nostrorum omnium adesse cognoscimus atque tenemus; qui vos sollicitudinem habentes orthodoxe fidei magis pre ceteris omnibus, qui ante vos christiani imperatores in universo mundo fuerunt devotione quique divino zelo commoti; id est Constantinus, Theodosius maior, Martianus et Iustinianus. Hi omnes, ut christianum populum ab omni erroris macula liberarent, divinitus inspirati, quae Domini sacerdotes diffiniebant, illa tamen[a] principalis auctoritas confirmabat. Quorum vos meritis et scientia precellentes, David sanctum imitantes, qui se pro populi salute in typo nostri exhibuit redemptoris. Qui[b] vos, strenuus cultor, pro credulitate rectae fidei divino amore accensi de domino nostro Iesu Christo Dei omnipotentis filio per omnia et super omnia.

Qui, cum sit splendor gloriae et imago substantiae eius[1] et candor lucis aeternae[2], propter nimiam caritatem qua dilexit nos semet ipsum exinanivit[3] et — iuxta apostolicam auctoritatem vel cetera quae secuntur — exhibuit sibi gloriosam aecclesiam non habentem maculam neque[c] rugam[4]; cuius abluens peccati contagium; pretioso sanguine suo redemptioni nostrae tribuens sacramenta; et per actum mysterium post ascensionem suam, qua ad Patrem ascendit, apostolica traditione nos confirmati[d].

Qua fidei integritate[e] universis gentibus apostoli predicaverunt — ut nullis ventorum flatibus aut[f] ictibus adversantium

a. tantum *Mabillon*. b. cuius *Mabillon*. c. aut *eadem ut videtur manu superscriptum est in c.*; aut *Mabillon*. d. confirmat *Mabillon*. e. Quam – integritatem *Mab*. f. et *Mab*.

1. Hebr. 1, 3. 2. Sap. 7, 26. 3. Philipp. 2, 7. 4. Ephes. 5, 27.

conquassetur aecclesia Christi, sed in vero atque perpetuo fundamine permanendo constabilita persistat — sic et nos, confirmati sanctorum patrum spiritalibus instrumentis et corroborati, inviolata fide et inlibata de credulitate Patris et Filii et Spiritus sancti, rectam fidem credimus atque tenemus. c. 809-812

Sed quid religioso convenit principi, ut super omnes polleat adversos, nisi de bonis sit[a] semper sollicitus libenter operibus? Quod vestra sincera pietas summo aplectit[b] studio: ut neque in qualibet parte aecclesia Dei vulnerum maculis torpeat aut in ea sanies ignorantiae crescendo ebulliat; sed quod magis vestris felicissimis temporibus sacerdotum Dei corda, accensa ad sollicitudinem, evigilando vera et recta custodia perseveret[c]; et vos pro tanti vestri laboris certamine aeterna premia a Domino consequi valeatis.

Sed ne aliquem nostrum existimamus[d], qui verbis eloquii[e] atque cogitatione capi[f] possit, ut putet se omnia mysteria caelestia liquido conprehensa tenere.

Suscipientes nos itaque epistolam, a pietate vestri imperii nobis emissam; qua perlecta, redolentiam sensimus nectarei[g] suavissimi, nimio flagrante[h] odore. Multimodis[i] Deo nostro gratias referentes, qui in corda vestra inspirare dignatus est pro statu aecclesiae suae: quod, a clementia vestra commoniti, rationem verae fidei et, quaeque per ordinem gerimus atque docemus, a nobis cognosci[k] debeatis.

Itaque — etsi ad id, quod dominatio vestra flagitat, plenius a nobis ipsis nequimus responsa proponi — oportet tamen: ut, quanto pauperiores nos cognoscimus esse in nostris responsis, tanto magis in scripturis sanctis convenit fieri devotiores; ut, qui propriis sermonibus minores sumus in dicendo, sanctorum quoque testimoniis adcrescere valeamus et de eruditissimorum labore. Qui nihil in scripturis divinis obscurum reliquerunt vel clausum, quod ad veram non perducerent claritatem et — Da-

a. sed *c.*, sit *Mab.* b. amplectitur *Mab.* c. perseverent *Mab.* d. existimemus *Mab.* e. eloqui *Mab.* f. capere *Mab.* g. nectaris *Mab.* h. fragrante *Mab.* i. multimodas *corr. in* multimodis *c*, multimodas *Mab.* k. cognoscere *Mab.*

c. 809-812 vidicam clavem ut acceperunt — aperirent[a][1], nobis etiam tribuendo proficerent in salutem, et labor sanctorum nos inertes securiores et paratos faceret ad danda responsa. Haec nos vero non per prolixitatem verborum scribendi compendiose temptavimus; sed, valde subiecti per humilitatem veram pietati vestrae, constringentes breviter perscripsimus; currentes per sanctorum patrum exempla ad significandum dignissimae presentiae vestrae; quae velut mirificis floribus ex nimio rutilat ornata flagranti[b] odore, auri ac pretiosarum[c] devincens gemmarum, crescente vobis cum pietate sapientia. Et[d] adesse semper tenemus, a quo — veluti vivo fonte et ad instar fluminis — ad singulorum inriganda corda dulcedine nimia profluente, mellis et butyri emanante longe lateque decurrens telluris ariditatem per fusionem sui implet.

Unde petimus, ut dulcia nobis dona magnifici eloquii vestri tribuere[e] ... sed, sicut solis radii mundum inluminant, ita scientia nostra sanctae vestrae doctrinae dono circumfusa fulgescat. Quia, quod nobis adipiscendum pro nostra inquisitione laboriosum esse conspicimus, vos vero plenius, dispensatione Dei sancto affluente in visceribus vestris spiritu, manifestare et aperire sacramenta divina valetis.

Dominus omnipotens prolixa per tempora gloriam imperii vestri incolomem conservare dignetur. Amen[f].

---

34. *Amalarius archiepiscopus Trevirensis Carolo I imperatori de baptizandi ritu respondet. De suffraganeis suis verecunde addit*[g][2].

c. 809-812 Gloriosissimo et excellentissimo augusto a Deo coronato Karolo serenissimo vita salusque perpetua.

a. et Davidicam clavem acceperunt ut aperirent *Mab.* b. fragranti *Mab.* c. *an* pretium? d. *an* Ei? e. tribuatis *Mab.* f. *Sequuntur in cod. fol.* 141—145 *excerpta de ritu baptizandi.* g. *Ex bibliothecae pagi Tigurini cod.* C. 102 *fol.* 70 *descripsit mihi Geroldus Meyer de Knonau. Edidit Frobenius in Alcuini opp. T. II* 520—524.

1. Apocal. 3, 7: „qui habet clavem David, qui aperit". 2. Hanc epistolam Alcuino perperam attribuerunt Canisius Antiqu. lect. VI et Quercetanus Opp. Alcuini p. 1151—1162.

Domine mi, christianissime imperator. Misistis ad servulum vestrum inquisitiones, secundum vestram misericordiam de sacro baptismate per ordinem interrogantes, cur una quaeque[a] res agatur in baptisterio aut in scrutinio. Sicut in omnibus Christi exemplum sequimini, sic et in isto; quia ad hoc interrogavit Philippum, ut doceret, dicens: *Unde ememus panes, ut manducent hi?*[1] Tamen ut euangelista ait: *Ipse enim sciebat, quid esset facturus*[2]. c. 809-812

Quamquam idoneus non sim vestre interrogacioni[b] respondere, tamen inobedientem me non oportet esse, nisi omnibus sensibus et intellectu[c] meo vestris sanctis iussionibus obtemperem[d]. Ideoque, quod conicere potuimus[e], scripsimus de his rebus, quas vestra dominacio interrogavit; et quod in prumptu invenimus in dictis sanctorum patrum, illuc magis aciem[f] mentis dereximus ex his, que ammonicioni vestre congrua videbamus. Nos vero, quamquam ignari simus[g], non cessamus pro vobis et vestra misericordia, quam exercetis[h] in omnes Dei cultores, gratias Deo agere et stabilitatem adque sapientiam imprecari vestro sancto regimini.

Quarum interrogacionum prima hec consistit: Cur infans caticuminus fiat ante baptismum? De caticuminis: Scimus enim, excellentissime imperator, omnes homines sub peccati iugo teneri ab ipso articulo[i] nativitatis eius[k].......

Hec, piissime imperator, causa oboedienciae[l] posuimus; quia dignum est, vestre voluntati omnibus viribus oboedire. Tamen in omnibus his, que diximus, parati sumus a vestris inclitis doctoribus corrigi et emendari.

De nostra credulitate hec dicimus et recipimus, quod Isaias dixit: *Verbum adbreviatum*[m] *faciet Dominus super terram*[3]. Credimus deum Patrem unum vivum et verum[n]..... Hec est,

a. quaque *c.* b. interrogacione *c.* c. intellectum *c.* d. obtemporem *c.* e. poimus *c.* f. acie *c.* g. scimus *c.* h. excerseris *c.* i. asticulo *c.* k. *ipsa responsa* de catechuminis, de scrutinio, cur in fronte faciamus signum *cet. omisi.* l. oboediencia *c.* m. adbrevatum *c.* n. *cetera de hac re omisi.*

1. Ioh. 6, 5. 2. Ioh. 6, 6. 3. Rom. 9, 28.

c. 809-812 iustissime imperator, nostra credulitas, hec spes firma, hunc Deum amamus, quem ardentius amare desideramus.

Dixistis, serenissime auguste, velle vos scire, qualiter nos et nostri suffraganei doceremus populum Dei de baptismi sacramento. Hec[a], prout potuimus, prelibavimus.

Suffraganeus est nomen medie significacionis. Ideo nescimus, quale fixum ei aponere debeamus: aut presbiterorum aut abbatum aut diaconorum aut ceterorum[b] graduum inferiorum. Si forte episcoporum nomen, qui aliquando vestre civitati[1] subiecti erant, addere debemus, oro, ut non inputet dominus servo suo: quia usque in presens tempus non sum ausus attingere, que nobis iniuncta non sunt[2]. Sed paratus sum, omnium Christi servorum vestigia sequi. Et si forte presbiterorum supra dictum ordinem[c], docuimus illos et iam monuimus: ut sepe doceant[d] populum Dei, vana huius mundi derelinquere et vera celestia petere.

Ex hoc, unde me coegit vestra iussio respondere, si in hoc quod predico me ipsum custodiam, ita respondeo: *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos*[3]. Sciat, domine mi, sanctissima gubernatio vestra: nulli me predicare, ut peccet sed ut non peccet. Et tamen recolo[e] sentenciam Iacobi apostoli, ubi ait: *In multis enim offendimus omnes*[4]. Cum summus Christi loqueretur apostolus et premisit: *in multis*, subiunxit: *omnes;* ut tanto caucius se imperfecti quique in agendo vel loquendo circumspexerint, quanto certissime cognoscerent, quia[f] nec perfecti quidem[g] boni et qui Spiritus sancti gracia duce incedunt, huius vite viam sine offensione peccati alicuius transigere nullatenus possent. Adque ideo docemus sic: *Si confiteamur*[h] *peccata nostra, fidelis et iustus est, ut remittat nobis*[i] *peccata nostra*[5]; quia sine peccato in hac vita esse non possumus. Prima salutis spes est confessio, nec quisquam se

a. He *c*. b. ceterum *c*. c. *an* supra dictus ordo est? d. docean *c*. e. recole *c*. f. qui *c*. g. qui idem *c*. h. confiteamus *c*. i. a nobis *c*.

1. Trevirensi. 2. De his verbis cf. Rettberg Kirchengeschichte Deutschlands II 600. 3. Ps. 24, 15. 4. Iac. 3, 2. 5. 1 Ioh. 1, 9.

iustum putet et ante oculos Dei erigat cervicem; deinde dilectio, quia: *Caritas operit multitudinem peccatorum*[1]. c. 809-812

---

35. *Carolus I imperator Amalario episcopo Trevirensi de responso sibi super ritu baptizandi dato gratias agit. Ad sacram doctrinam urgendam hortatur. De ecclesiae Trevirensis suffraganeis se posterius statuturum esse*[a].

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Karolus sere- c. 809-812
nissimus augustus, a Deo coronatus, magnus pacificus inperator Romanum gubernans imperium, qui[b] et per misericordiam Dei rex Francorum et Langobardorum, Amalario venerabili episcopo in Domino salutem.

Scripta nobis tua sanctitate directa[2] grata suscepimus dextera. Pro quo tibi laudes et gracias referimus; maxime quia, cum ipsam perlegere in presencia nostra fecissemus, catholicam et omni laude dignam[c] invenimus. Et hoc, quod nobis obediens fuisti et nostris iussionibus accelerare curasti, graciam agimus.

Quamvis enim tuam sanctitatem in spiritalibus et christianis doctrinis sollicitam esse non ignoramus, adhuc te admonemus et exortamur: ut magis ac magis in christiana doctrina et predicacione sancta omnes, qui sub tuo regimine consistunt et ad tuam diocessim pertinent, inbuere non graveris.

De episcopis suffraganeis ad ecclesiam Treforum[3], in qua Domino annuente te presulem esse voluimus[d], sicut anterius[e] nostram ordinacionem et disposicionem atque iussionem expectasti, volumus: ut, interim quod ad nostrum veneris[f] conloquium, ita expectes.

Ceteris vero gradibus, id est presbiteris diaconibus et omni clero vel plebi tue tibi conmisse, inter tuam parrochiam con-

a. *Ex bibliothecae pagi Tigurini cod.* C 102 *membr. saec. X fol.* 70 *descripsit mihi Geroldus Meyer de Knonau. Edidit Frobenius in Alcuini opp. T. II* 524. *In codice epistolae lemma hoc habetur:* Hec epistola missa est post lectam responsionem. b. quia *c.* c. dignum *c.* d. volumus *c.* e. antenus *c.* f. veniens *c.*

1. 1 Petr. 4, 8. 2. ep. 34 supra p. 406. 3. Trevirorum.

c. 809-812 morantibus, cum omni devocione predicare et docere viam veritatis studeas.

Bene[a] vale et ora pro nobis.

---

36. *Leidradus episcopus Lugdunensis Carolo I imperatori librum de sacramento baptismatis mittit*[b].

c. 809-812 Domino christianissimo et gloriosissimo Karolo imperatori felicissimo augusto.

Praecipere nobis dignati estis, ut aut per nostra scripta aut per nos ipsos cognoscatis, qualiter nos et suffraganei nostri doceamus et instruamus sacerdotes Dei et plebem nobis commissam de baptismi sacramento et ceteris, quae circa baptismum celebrantur; deinde, si in hoc, quod praedicamus, nos ipsos custodiamus. Quae omnia sicut difficilia sunt et ardua ad cognoscendum, ita quoque perplexa et laciniosa ad innotescendum; praecipue nobis, quos et tenuitas ingenii angustat et magnitudo rei ita opprimit, ut ante ruendum sit quam levandum. Sed quia ille iussit, qui nec falli potest tergiversatione nec contemni silentio, aggrediendum est opus et iuxta facultatem virium exponendum, quod in regenerationis sacramento percepimus tenendum.

Quicquid autem secus quam decet a nobis profertur, non est causa temeritatis sed timiditatis; quia ei respondemus, ad cuius interrogationem tacere non audemus. Illi scientiam nostram offerimus, qui magis solet docere quam reprehendere; cuius reprehensio vita est saluberrima, ut magis quisque ex ea erudiatur quam confundatur; cuius eruditio ad sermonis sui consortium cunctos clementer invitat, iniuste nullum deterret.

Vestrae ergo constantissimae modestiae freti favore, in quantum adtingere de his rebus possumus, licet parum digne possimus dicere, exponimus, quod nobis iussum fuisse a vobis advertimus, maxime verbis sanctorum patrum ex diversis opusculis sumtis.

Et priusquam ad cetera veniamus, libet pauca de his, quae

a. Benene c. b. *Edidit Mabillio Analecta* (*ed. I*) *T. III* 1, (*ed. II*) *p.* 78.

ab exordio mundi ad potentiam baptismi pertinentia praefigurata sunt, ponere, et nativitatis secundae immo in Christo primae digerere sacramenta, ac deinceps de ceteris rebus tractare; maxime quia dicitis, vos velle cognoscere, qualiter doceamus et instruamus plebem et sacerdotes[a] .... c. 809-812

Ecce haec iuxta exiguitatem sensus nostri ad interrogata respondimus, breviter significantes, quomodo plebem nostram doceamus et ea, quae docemus, qualiter nos ipsi custodiamus.

Nunc autem maximas vobis referimus gratias, constantissime et gloriosissime imperator, semper felix, optime auguste, qui nos pia vestra sollicitudine tamquam dormientes excitatis et torporem mentis nostrae excutitis et ad sanctum exercitium provocatis; quasi cum propheta sanctae dicentes ecclesiae, pro cuius defensione vos dominus Iesus Christus conservare dignatur: *Excutere de pulvere, consurge; sede, Ierusalem*[1]. Ad cuius fastigium in sempiterna gloria participandum vos, utpote carissimum membrum eius, perducere dignetur, transferendo de regno ad regnum, rex regum et dominus dominantium.

---

37. *Leidradus episcopus Lugdunensis Carolo I imperatori mittit de abrenunciatione diaboli opusculum*[b].

Domino gloriosissimo et vere piissimo imperatori et in Christo victori ac triumphatori, invictissimo semper augusto Leidradus, licet indignus, divina tamen dispensatione et vestra miseratione Lugdunensis ecclesiae episcopus. c. 809-812

Christianissima et admirabilis religio vestra atque in Deum ardentissima fides, divina inspiratione adtacta et piissima sollicitudine permota, iussit nuper aliquid nos de sacramentis nostrae renovationis et regenerationis ad vestras sagacissimas inquisitiones respondere. Ad quas nos nihil condignum intelleximus, nisi quod, nec respondere facilitatis nec dissimulare facultatis nostrae esse, perspeximus. Tandem, licet ad neutrum idonei, iuxta

a. *Sequuntur ipsius de sacramento baptismatis libri capita* 12, *quae omisi.* b. *Edidit Mabilio Analecta vet.* (*ed. I*) *III* 28, (*ed. II*) *p.* 85.

1. Isai. 52, 2.

c. 809-812 exiguitatem tamen ingenioli fidei nostrae rationem confidenter vobis, iuxta quod sensimus, patefecimus, prudentissimo utique iustissimo ac piissimo dictorum iudici.

Vos autem, consueta bonitate auditis responsionibus nostris, quas nos absque reprehensione utique dicere non potuimus, iuxta benignitatem vestram, qua cunctos mortales anteitis, tamquam vobis placitas laudare dignati estis. Nec tamen inter haec negastis nobis affluentissimam eruditionem vestram, quominus indicaretis: quod in his, ad quae vos avidius audienda parabatis, nostra imperitia minime satisfecerit. Tunc demum non tam imperiali quam paterna ammonitione innotescere nobis dignati estis: minus nos dixisse de abrenunciatione diaboli et earum, quae eius sunt rerum, quam vestra pietas optabat. Intelleximus itaque post vestram benignissimam ammonitionem, quia de operibus et pompis diaboli multiplicius respondendum erat, quam de ceteris rebus; quoniam per ea cupiditates et per cupiditates scandala mundi crebrescunt et crescunt quotidie et, quod peius est, inter ecclesiae rectores et rei publicae administratores discordiae oriuntur et, quod adhuc horum est pessimum, inter doctores et auditores odia se interserunt, inimicitiae concitantur, detractiones agitantur.

Vestram itaque sapientissimam ammonitionem omni amore amplexati, valde admirati sumus profunditatem vestrae sanctae considerationis. Inter haec igitur cum, ingenioli nostri praepediente tarditate, non satis advertere potuissemus, utrum ista vestra laudabilis ammonitio responsionem a nobis vellet an tantummodo nostram nobis imperitiam cognoscendam commendare, hac ambiguitate suspensi, nullum probabilius consilium, ut nobis tamen visum est, reperire potuimus, quam ut ea, quae per vos cognovimus non legitime a nobis fuisse responsa prius, iuxta pusillitatem sensus nostri, in quantum videbatur, explicaremus; ac deinceps his litterulis serenissimae clementiae vestrae indicaremus, quae dubitatio vel potius quae necessitas nos artaverat ad scribendum ea, quae in prioribus responsionibus nostris minus fuisse per vos cognovimus. Deinde gloriosissimo conspectui vestro

destinatis si secundum iussionem vestram fecimus aut non, ecce adsunt in conspectu gloriae vestrae et ea, quae in prioribus minus fuerunt et quare nunc ea scribere et transmittere ausi immo coacti sumus. c. 809-812

Quodsi ea aliquatenus vestrae voluntati convenientia iudicatis, secundum indeficientem thesaurum bonitatis vestrae id facitis. Sin autem vana et minus utilia, sicut forsitan sunt, nos novimus et confitemur, multitudinem id promereri imperitiae nostrae, qui vestram voluntatem et tenorem servitutis nostrae minus advertere possumus. Quamquam et si advertamus, nequaquam simul idonei ad respondendum vestrae tam sublimissimae et inimitabili investigationi, tamen oramus, ut vos non lateat, quae nos causa compulerit ad scribendum de his, quae, vestra nos clementia et paterna sollicitudine ammonente, cognovimus minus fuisse in prioribus illis responsionibus.

---

38. *Theodulfus episcopus Aurelianensis Magno archiepiscopo Senonensi de ordine baptismi librum mittit*[a].

Reverentissimo atque carissimo fratri Magno episcopo[1] Theodulfus[2] salutem. c. 809-812

Praeceptum tuum, vir venerabilis Magne, peregi, etsi non sollerti efficacia, plena tamen obedientia. Praecepisti enim mihi immo per te caritas praecepit: ut quibusdam quaestionibus de ordine baptismi, a domino et glorioso imperatore Carolo tibi transmissis, breviter et cito responderem. Coartantibus itaque

a. *Edidit Sirmondus in Theodulfi opp. p.* 18, *Sirmondi opp. II* 943, *Migne Patrologiae T. CV p.* 223.

1. archiepiscopo Senonensi, 801—818. Idem Carolo misit et de mysterio baptismatis libellum (v. infra ep. 39) et de notis iuris opusculum cum disticho hoc:

Haec iuris σημεῖα libens rex accipe Carle,
Offert devotus quae tibi Magno tuus.

V. Mommsenii editionem ap. Keil Grammatici Latini IV 285. — Sirmondus in tribus quidem codicibus (Virdunensi, Divionensi, Vaticano) Theodulfi de ordine baptismi librum reperit Magno episcopo (Senonensi) inscriptum, in uno autem Corbeiensi Iohanni episcopo (II Arelatensi). 2. episcopus Aurelianensis, c. 788—821.

c. 809-812 me hinc brevitate, qua cogebar brevi sermone res magnas expedire, illinc temporis angustia, qua cito quod iusseras adimplere volebam, explevi quod iussisti.

Quod opus o utinam esset tam efficaciter expletum, quam est libenter susceptum. Quanquam ergo mihi spatiose tractandi et patrum volumina revolvendi, quibusdam occupationibus praepedientibus, facultas nulla suppeteret et me ad iussionem implendam caritas permoveret, de singulis, quae mihi occurrere potuerunt, celeri cursu scripsi et vestrae fraternitati misi, ut, si non habuerint responsa emolumentum, saltim obedientia habeat fructum.

Quaestiones interea istae, ut ego te nosse certus sum, a regali celsitudine non sunt factae necessitate discendi sed studio docendi; nec ut ipse his absolutis de nescitis valeat imbui, sed ut alii de somno seditiosi torporis ad rerum absolvendarum utilitatem valeant excitari. Quippe cui hoc semper familiare est: ut exerceat praesules ad sanctarum scripturarum indagationem et sanam sobriamque doctrinam, omnem clerum ad disciplinam, philosophos ad rerum divinarum humanarumque cognitionem, monachos ad religionem, omnes generaliter ad sanctitatem; primates ad consilium, iudices ad iustitiam, milites ad armorum experientiam; praelatos ad humilitatem, subditos ad obedientiam, omnes generaliter ad prudentiam, iustitiam, fortitudinem, temperantiam atque concordiam. His et his similibus rebus ille virorum optimus, Deo sibi propitio, sanctae ecclesiae fastigium adcumulare non cessat et admirabili in rerum ecclesiasticarum sive civilium administratione strenuus et sapientiae fonte redundat et virtutis exhibitione triumphat.

---

39. *Magnus archiepiscopus Senonensis et eius suffraganei episcopi Carolo I imperatori libellum de mysterio baptismatis mittunt*[a].

c. 809-812 Gloriosissime imperator, innotescere magnitudini vestrae praesumsimus nos servi vestri, Magnus scilicet et ceteri com-

a. *Ex ms. Coisliniano edidit Martene De antiquis ecclesiae ritibus (ed. II) T. I* 169.

pares mei licet indigni episcopi ad Senonicam dioecesim pertinentes: quia praeceptum vestrum, humiliter et libentissimo animo susceptum, iuxta quod nostra praevaluit exiguitas de mysterio baptismatis, sicut in vestra continetur epistola, ammonitionem vestram inquirere vel investigare studuimus, qualiter intelligere vel tenere debuissemus. Unde, si ausi sumus, immensae clementiae vestrae referimus laudes, eo quod nos de somno stultitiae vel insipientiae excitare dignati fuistis, sicut semper et ubique solliciti estis. Gratias namque omnipotenti Deo et vobis; inde nos et plurimi alii eruditiores et meliores esse debemus et sumus. Vestram tamen exoramus clementiam, ut nobis indulgeat vestra benignitas, quod per omnia, sicut debuimus, vobis renunciare nequivimus; sed etiam hoc, quod nobis patres per illorum reliquerunt exempla et nos ex nostra exiguitate parte intelligimus, ordine subsequamur[a]. c. 809-812

---

40. *Carolus I imperator ad Michaelem I Graecorum imperatorem legatos mittit, qui foederis tabulas ab eo signatas accipiant*[b].

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Karolus divina 813
largiente gratia imperator et augustus idemque rex Francorum vere ineunte
et Langobardorum dilecto et honorabili fratri Michaeli[1] glorioso imperatori et augusto aeternam in domino nostro Iesu Christo salutem.

Benedicimus dominum Iesum Christum verum deum nostrum et gratias illi iuxta virium possibilitatem et intellegentiae nostrae quantitatem ex toto corde referimus, qui nos ineffabili dono benignitatis suae in tantum divites efficere dignatus est, ut in diebus nostris diu quaesitam et semper desideratam pacem inter orientale atque occidentale imperium stabilire et ecclesiam suam catholicam sanctam et immaculatam, quae toto orbe diffusa est, iuxta cotidianas ipsius postulationes sicut semper regere ac pro-

a. *Ipsa responsa omisi.* b. *Ex cod. musei Brittanici Harlei.* 208 *membr. saec. X in usum meum descripsit Riew. Edidit Frobenius in Alcuini Opp. II* 561.

1. I (2 Oct. 811 — 10 Iul. 813).

813 vere ineunte tegere, ita etiam nunc idem in nostro tempore adunare atque pacificare dignatus est. Quod ideo tanquam peractum dicimus, quia, quicquid de hoc ex nostra parte faciendum fuit, fecimus, vosque similiter de vestra parte facere velle non dubitamus; fiduciam habentes in illo, qui hoc opus, quod in manibus habemus, id est pacem fieri praecepit; quia fidelis et verax est et omni bene operanti cooperator existit, qui etiam a nobis bene inchoata ad perfectionem, ut confidimus, deducturus est.

Huius perfectionis desiderio accensi, praesentes legatos nostros, Amalharium venerabilem Treverorum episcopum et Petrum religiosum abbatem venerabilis monasterii sanctorum apostolorum[1] ad tuae dilectae fraternitatis gloriosam praesentiam direximus[2], ut — iuxta quod fideles legati dilectae fraternitatis tuae Michahel venerabilis metropolita et Arsafius et Theognostus gloriosi protospatharii nobiscum fecerunt[3], suscipiendo a nobis pacti conscriptionem, tam nostra propria quam et sacerdotum et procerum nostrorum subscriptione firmatam — ita et memorati legati nostri foederis conscriptionem tuam, et sacerdotum patriciorumque ac procerum tuorum subscriptionibus roboratam, a sacrosancto altari tuae manus porrectione suscipiant; et, Deo iter illorum properante, ad nos deferant. Quia et ratio postulabat et talis fuit nostra et legatorum tuorum convenientia, ut post profectionem illorum, cum primum oportunum navigandi tempus adveniret, legatos nostros ad tuae dilectae fraternitatis gloriosam praesentiam mitteremus, qui supra dictam pacti seu foederis conscriptionem, te dante, susciperent et nobis adferrent.

Quapropter rogamus dilectam et gloriosam fraternitatem tuam: ut, si tibi illa, quam nos fecimus et tibi misimus, pacti descriptio placuerit, similem illi — Grecis litteris conscriptam et eo modo, quo superius diximus, roboratam — missis nostris memoratis dare digneris; eosque, postquam ad te venerint et a

1. Nonantulani. 2. Annales (Mon. Germ. SS. I 200) 813: „Imperator — incipiente verni temperie Amalharium Treverensem episcopum et Petrum abbatem monasterii Nonantulas propter pacem cum Michaele imperatore confirmandam Constantinopolim misit“. 3. anno 812.

te, sicut in tua caritate confidimus, benigne suscepti fuerint, absque non necessaria dilatione absolvere iubeas; ut de illorum reditu et de tuae dilectae fraternitatis rescripto, Domino opitulante, gaudeamus; et tibi largitor omnium bonorum Deus digna reconpensatione restituat, quod pacis, quam ille suos inter se habere precepit, amator et confirmator esse certasti. Bene vale. 813 vere ineunte

---

41. *Hadalhardus et Fulradus et alii Caroli imperatoris legati comitem quendam ad obedientiam et iustitiam exercendam hortantur*[a].

Diligendo nobis in Domino illo comiti Hadalhardus[1], Fulradus[2], Unrocus seu[b] Hrocculfus, missi domni imperatoris, in Domino salutem. 801—814

Non incognitum bonitati vestrae, qualiter domnus imperator in istis partibus iniunctam nobis habuit legationem suam, Radoni scilicet Fulrado et Unroco, ut nos, quantum valuissemus[c], et Dei et suam voluntatem in ipsa legatione agere decertaremus. Sed quia modo Rado ex parte infirmatus est et hac vice in ipsa legatione, secundum quod necesse est, ire non potest, placuit domno[d] imperatori, ut Adalhardum et Hrocculfum in supradicta legatione adiungeret, qualiter omnes pariter, secundum quod tum ratio permittit vel necessitas docet, sicut praedictum est, ad Dei et suam voluntatem peragendam decertando laboremus.

Nos igitur in ipsa legatione[e] positi idcirco ad vos hanc direximus epistolam, ut vobis et ex parte domni imperatoris iuberemus et ex nostra parte exhortando precaremur, ut de omni re, quantum ad ministerium vestrum pertinet, tam ex his quae ad Dei cultum quamque ex his quae ad domni nostri servitium seu ad christiani populi salvationem vel custodiam pertinent, totis viribus agere studeatis. Praeceptum est enim nobis[f] omnino et omnibus reliquis missis a domno nostro, ut

a. *Ex cod. S. Huberti Andaginensi saec. X ediderunt Martene et Durand Coll. ampl. VII* 12, *Pertz Mon. Germ. LL. I* 187. b. seu *Mart.* c. voluissemus *Mart.* d. domni *Mart.* e. *sic scripserunt Martene et Dur. pro* lectione *cod.* f. vobis *Mart.*

1. abbas Corbeiae antiquae. 2. abbas S. Quintini Veromanduensis.

801—814 medio Apreli ei veraciter renunciemus, quid in regno suo ex his, quae ipse in istis annis per missos suos fieri iussit, factum sit vel quid dimissum sit; ut facientibus gratias condignas reddat et non facientibus, secundum quod ei placet, increpationes meritas rependat. Et quid plura vobis deinde dicere possumus? Non vult omnino: nisi ut sic adimpletum ei nunciemus sicut iussit, et quid exinde dimissum sit et per cuius negligentiam dimissum sit.

Nunc autem admonemus, ut capitularia vestra relegatis et, quaeque vobis per verba commendata sunt, rocolatis, et tale exinde certamen habere studeatis, pro quo et apud Deum mercedem et apud ipsum magnum dominum nostrum condignam retributionem suscipiatis.

Primo igitur inter cetera praecipimus et admonemus: ut tam vos ipsi quamque omnes iuniores seu pagenses vestri episcopo vestro, hoc praesenti seu per missum suum mandanti, per omnia, quantum ad suum ministerium pertinet, obedientes sitis, et nullam exinde negligentiam habeatis.

Deinde et de iustitiis domni imperatoris, secundum quod vobis vel scriptum vel verbis est dictum, tale certamen habeatis, sicut vos exinde debitores esse cognoscitis.

Deinde ut iustitias ecclesiarum, viduarum, orfanorum et reliquorum omnium sine ullo malo ingenio et sine ullo iniusto pretio vel sine ulla dilatione aut non necessaria mora[a] pleniter et inreprehensibiliter et iuste ac recte per omnia faciatis, sive ad vos ipsos sive ad iuniores vestros seu ad quemcumque hominem pertinet, ut exinde et apud Deum mercedem et apud dominum nostrum bonam recipiatis retributionem.

Deinde ut quicumque vobis rebelles aut inobedientes fuerint et vobis nec secundum iustitiam auscultare voluerint, inbreviate illos, quanticumque fuerint; et aut antea, si necesse fuerit, remandate, aut nobis ipsis cum insimul fuerimus dicite, ut exinde, secundum quod dominus noster commendatum habet, faciamus.

Deinde ut hoc certissime provideatis, si aliquid est de omni

a. mora *coniecerunt Mart. et Dur. pro* ora *cod.*

illo mandato sive secundum Deum sive secundum saeculum, quod vobis domni nostri aut scribendo aut dicendo commendatum est dubitetis, ut celeriter missum vestrum bene intelligentem ad nostras personas mittatis; qualiter omnia et bene intelligatis et adiuvante Domino bene perficiatis. 801—814

Deinde observate etiam valde, ne aut vos ipsi aut aliquis, quantum vos praevidere potestis, in vestro ministerio in hoc malo ingenio deprehensus fiat, ut dicatis: *Tacete, tacete, donec illi missi transeant; et postea faciamus nobis invicem iustitias!* et per illam occasionem ipsae iustitiae aut remaneant aut certe tarde fiant. Sed magis certate, ut ante factae fiant, quam nos veniamus ad vos. Nam si tale aliquod malum ingenium inter vos factum fuerit, aut si ipsae iustitiae, quas sine nobis facere potestis, aut per negligentiam aut per malitiam tam diu retractae fuerint, donec nos veniamus, sciatis certissime, quod grandem contra vos rationem habebimus.

Deinde ut istam epistolam et saepius legatis et bene salvam faciatis, ut ipsa inter nos et vos in testimonium sit, utrum sic factum habeatis, sicut ibi scriptum est, aut non habeatis.

---

42. *Leidradus episcopus Lugdunensis Carolo I imperatori de rebus suis Lugduni gestis refert*[a].

Summo Carolo imperatori Ledradus episcopus Lugdunensis salutem. c. 813-814

Domine noster, constans et sacer imperator, supplico clementiae celsitudinis vestrae, ut hanc brevem suggestiunculam meam vultu serenissimo audiatis; quatinus, quae hic inserta sunt, piissimae prudentiae vestrae nota fieri queant, et intentio meae postulationis ab ingenua clementia vestra reminiscatur.

Olim[1] me, exiguissimum famulorum vestrorum, ad regimen ecclesiae Lugdunensis destinare voluistis, cum ego huic officio impar existerem et indignus. Sed vos, qui non attenditis homi-

a. *Ediderunt Masson in S. Agobardi opp. p.* 419, *Baluzius in S. Agobardi opp. II* 125–129.

1. circ. a. 798. V. Mabillon Annal. ord. Bened. T. II 333.

c. 813-814 num merita sed vestram solitam clementiam, egistis de me, sicut ineffabili pietati vestrae placuit, nullo existente merito meo; meque admonere dignati estis: ut ego sollicitudinis curam gererem, et ut negligentiae, quae in praedicta ecclesia perpetratae noscebantur, emendarentur et perpetrandae vitarentur. Erat enim dicta ecclesia multis in rebus destituta interius exteriusque, tam in officiis quam in aedificiis et ceteris ecclesiasticis ministeriis.

Ego humillimus servulus vester, postquam ibidem perveni, quae cum Dei adiutorio et vestro peregi, audite. Quoniam, ut inspector conscientiarum Dominus omnipotens mihi testis est, non tali intentione ea vobis patefacio quae dicturus sum, ut propter ea in rebus augeri merear; neque aliud tale in cogitatione mea composui, ut acquisitionis mihi occasio sit, nec suggero; quoniam quotidie exitum a rebus humanis suspicor propter infirmitatem meam[1], et incessanter de morte suspectus sum. Et ideo haec suggero, ut, cum benignissimis auribus vestris praesentata fuerint et clementer inspecta, si qua bene et secundum voluntatem vestram gessi, post meum discessum non deficiant aut pereant.

Denique postquam secundum iussionem vestram saepe dictam ecclesiam suscepi, iuxta vires parvitatis meae omni industria egi: ut clericos officiales potuissem[a], sicut iam Deo favente ex magna parte mihi habere videor. Et ideo officio vestrae pietatis placuit, ut ad petitionem meam mihi concederetis redditus, qui ab antiquo fuerant de Lucdunensi ecclesia. Per quam, Deo iuvante et mercede vestra annuente, in Lucdunensi ecclesia est ordo psallendi instauratus; ut iuxta vires nostras secundum ritum sacri palatii omni ex parte agi videatur, quicquid ad divinum persolvendum officium ordo exposcit. Nam

a. *an* potitus essem?

1. qua adductus Leidradus esse videtur, ut „initio imperii Ludovici" in coenobium S. Medardi Suessionense recederet (v. Ex Adonis chronico in Mon. Germ. SS. II 320). Obiisse autem Leidradum scimus die 28 Dec. 817 (v. Necrol. S. Iohannis Lugdunense, in Archiv für ältere deutsche Geschichtskunde VII 214).

habeo scholas cantorum, ex quibus plerique ita sunt eruditi, ut alios etiam erudire possint. Praeter haec vero habeo scholas lectorum, non solum qui officiorum lectionibus exercentur, sed etiam in divinorum librorum meditatione spiritalis intelligentiae fructus consequantur. Ex quibus nonnulli de libro euangeliorum sensum spiritalem iam[a] ex parte adipisci possunt. Plerique vero librum prophetarum secundum spiritalem intelligentiam adepti sunt; similiter libros Salomonis vel libros psalmorum atque etiam Iob. In libris quoque conscribendis in eadem ecclesia, in quantum potui, elaboravi. c. 813-814

Similiter vestimenta sacerdotum vel ministeria procuravi.

De restauratione etiam ecclesiarum, in quantum valui, non cessavi; ita ut eiusdem civitatis maximam ecclesiam, quae est in honorem sancti Iohannis baptistae, a novo operuerim, et macerias ex parte erexerim. Similiter ecclesiae sancti Stephani tegumentum de novo instauravi. Ecclesiam quoque sancti Nicetii de novo etiam reaedificavi; similiter ecclesiam sanctae Mariae.

Praeter monasteriorum restaurationes domus quoque episcopales: inter quas unam restauravi, quae iam pene destructa erat; quam operui. Aliam quoque domum cum solario aedificavi et duplicavi; et hanc propter vos paravi, ut, si in illis partibus vester esset adventus, in ea suscipi possetis. Claustrum quoque clericorum construxi, in quo omnes nunc sub uno conclavi manere noscuntur.

In eadem civitate alias restauravi ecclesias. Unam quidem in honorem sanctae Eulaliae, ubi fuit monasterium puellarum in honorem sancti Georgii; quam de novo operui, et ex parte macerias eius a fundamentis erexi. Alia quoque domus in honorem sancti Pauli de novo operta est. Monasterium quoque puellarum in honorem sancti Petri dedicatum — ubi corpus sancti Anemundi[1] martyris humatum est, quod ipse sanctus martyr et episcopus instituit — ego a fundamentis, tam ecclesiam quam domum, restauravi; ubi nunc sanctimoniales numero triginta duae, secundum institutionem regularem

1. ep. Lugdunensis. a. iam *scripsi pro* eam *ed.*

c. 813-814 viventes, habitare videntur etc. Monasterium regale insulae Barbarae* ita restauravi, ut tecta de novo fuerint, et aliqua de maceriis a fundamentis erecta; ubi nunc monachi secundum regularem disciplinam numero nonaginta habitare videntur**.

* *Alius inseruit haec:* situm[1] in medio Araris fluvii, quod antiquitus est dedicatum in honorem sancti Andreae apostoli, et omnium apostolorum, nunc autem in honorem sancti Martini recens videtur esse fundatum iussu domini Caroli imperatoris, qui ibidem praefecit dominum Benedictum abbatem; cum quo simul direxit ibi suos codices.

** *Alius addidit haec:* Cui etiam abbati tradidimus potestatem ligandi et solvendi, uti habuerunt praedecessores sui: scilicet Ambrosius, Maximinus, Licinius, clarissimi viri, qui ipsum locum rexerunt; quos Eucherius, Lupus atque Genesius ceterique episcopi Lucdunenses, ubi ipsi deerant aut non poterant adesse, mittebant concognituros, utrum catholica fides recte crederetur, ne fraus heretica pullularet. Quibus illis in tantum erat commissa cura, ut, si ecclesia Lucdunenis viduaretur proprio patrono, ipsi in cunctis adessent rectores et consolatores, quousque ecclesia a Domino dignissimo illustraretur pastore. Nos similiter posteris illorum hanc potestatem tradidimus. Insuper iussimus fieri decreta priscorum regum Franciae, ut, quemadmodum ipsi statuerunt monimenta emendi et augendi, locum in omnibus rebus, quas ad praesens habere videntur, vel in futuro, Deo auxiliante, acquirere poterunt, sine ulla querimonia per secula possideant.

---

43. *Petrus abbas Nonantulanus Amalarium archiepiscopum Trevirensem rogat, ut opuscula duo sibi mittat*[a].

post 814 Ian. Domino et venerabile et mihi cum summo amore nomi-

a. *Ex bibliothecae pagi Tigurini cod.* C 102 *membr. saec. X fol.* 76 *descripsit mihi Geroldus Meyer de Knonau. Edidit Frobenius in Alcuini Opp. II* 519. *In codice hoc epistolae lemma legitur:* Epistola venerabilis abbati Petri.

1. Bene vidit Baluzius (S. Agobardi opp. II p. 146) verba haec: „situm in medio — codices“ additicia esse; neque vero vidit, hoc idem evenire in iis, quae infra leguntur, verbis: „Cui etiam abbati — per secula possideant“. Nec potest dubitari, quin omnia illa a monasterii insulae Barbarae sodali quodam admixta sint.

nando Amalario presuli almo Petrus indignus abba[1] in Domino salutem. post 814 Ian.

Notum sit venerabili almitati tue, quia propiciante Deo sani sumus et sedulo in precibus existentibus pro tua tuorumque sospitate. Et humili prece[a] tuam beatitudinem deposcimus, ut pro nobis apud Deum intercessor existes.

Et obsecramus tuam amabilem et inviolabilem caritatem, ut illum expositionis codicem, quem, dictante Spiritu sancto, corde tuo in itinere maris[2] exposuisti, nobis dirigere digneris ad aumentum et statum sancte ecclesie nostre; ut, qui legerint[b] et edificati fuerint, pro te, beatissime pastor, Domino preces fundant. Iterum obsecro de illa exposicione, quam ipse[c] de fide et scrutinio seu baptisma imperante piae memoriae domno Karolo exposuisti[3], ut pariter dirigas.

Haec nostra postolacio impleta, magnam te apud Deum mercedem invenire[d] credas et pro te plures oratores, et me indignos fratresque nostros in omnibus servientes, quicquid nobis tua veneranda almitas iusserit. Et nobis de sanitate tua qui nunciare digneris.

---

44. *Amalarius episcopus Trevirensis Petro abbati Nonantulano mittit de „officio quod agitur in missa" opusculum in navigatione scriptum, de ritu baptizandi librum ad Carolum I imperatorem missum, duas Caroli epistolas, „versus marinos"*[e].

Desiderantissimo et reverentissimo ac sanctissimo, igitur merito laudando patri et fratri Petro, grandevo venerabili abbati monasterio Nonantule, Amalarius exiguus in Domino perennem salutem. post 814 Ian.

a. precem *c.* b. legeriint *c.* c. ipsa *c.* d. inveneri *c.* e. *Ex bibliothecae pagi Tigurini cod.* C 102 *membr. saec. X fol.* 68 *descripsit mihi Geroldus Meyer de Knonau. Edidit Frobenius in Alcuini Opp. II* 519.

1. Nonantulanus, 803—821. 2. Amalarium scimus una cum Petro abbate Nonantulano vere anni 813 a Carolo imperatore Constantinopolim missos esse annoque 814 paulo post imperatoris obitum rediisse; v. Annales in Mon. Germ. SS. I 200 et 201. 3. ep. 34 supra p. 406.

post 814 Ian. Nuperrime suscepi a vestra sanctitate directam[a] epistolam, plenam caritate et humilitate. In qua inter alia continebatur, ut meum — non tantum meum, sed et vestrum — quamvis parvum opusculum, quod inter equoreas cominationes cudimus, vestre celsitudini scriberem. In quo si quid dignum, si quid onestum, si quid racionale reperitur, non mee nempe[b] doctrine sed vestre merito[c] sanctis precibus deputantur. Unde oro, sanctissime pater, quicquid in eo, temeritate mea faciente ac stulta presumcione, irracionabiliter scriptum est, per vestram prudentiam[d] coreptionem habere mereatur et nos indulgenciam apud omnes doctores. Scripsi enim, quicquid mihi videbatur iustum et honestum, non eo animo, ceu[e] valuerim omnem rectitudinem presumpti operis indagare, sed ut tangerem meo incepto utros[f] industrios, qui facillime possent rei veritatem dilucidare eius, quam vehementer desiderabam.

Scripsi, ut nostis, quo illos[g] arbitrabar immitari, qui in choro stant et cantant intrante episcopo in ecclesiam, ut postea in sequenti opere demonstrabitur: que consencientia[h] esset nostro toto officio, quod agitur in missa, sive in psallendo, sive in situ, sive in qualitate, sive in quantitate cum nostris autenticis, quos omnis ecclesia colit; repputans apud me, nihil statutum esse in ecclesia neque aput anticos patres neque apud recentiores, quod racione careat. Si enim gentiles argumentantur ludos aliquos suos allegoricae promere — sicut alleatores, qui perhibent tribus tesseris suis tria tempora significari: presens preteritum et futurum, et vias eorum senario numero distingunt propter sex etates hominum — quanto magis christianam industriam ac rationem[i] sibi a Deo concessam[k] nullo modo excederet frustra aliquid statuere[l]. Non ideo exemplum de gentilibus posui[m], ut eos imitemur. Sed si illi hoc vel illud argumentantur[n] racionis, quanto magis totum, quod racionis est, christianus sequi debet, qui summae racioni Deo se sponsorem facit. Non ideo Dominus

a. directa *c.* b. nemppe *c.* c. meritos *c.* d. preudentiam *c.* e. cecu *c.* f. *fort.* viros FROBEN. g. quos illo *c.* h. conscientia *c.* i. orationem *c.* k. concessa *c.* l. fratuere *c.* m. posuit *c.* n. argumetantur *c.*

vilicum iniquitatis laudatum esse dicit[1], ut illum imitaremur; sed si ille ex villicatu iniquitatis prudenter sibi in futurum providit, quanto magis oportet christianum ex iustis censibus adquirere, qui eum recipiant in eterna tabernacula. post 814 Ian.

Rogo, pater, ut non ad puplicas aures libellus noster mittatur[a], ne intrem in dentes obtrectatorum neque cacinnis superborum per auras resultans de humilima doctrina paupertatis nostre. Quoniam non me prefero magistrum[b] de hac scriptione, sed discipulum[c], inquirentem quod diligo scire.

Adidit etiam sanctitas vestra in epistola commemorata, scedas, quas legisti missas ad domnum Karolum imperatorem a nostra parvitate de scrutinio et baptisterio[2], predicto operi innectere. Quod non distuli[d], preponens illud; quoniam antea quisquis catetizatur[e] et baptizatur[f], quam perveniet ad sacros ordines.

Addidi etiam et ipsas epistolas, quas gloriosissimus[g] imperator memorativas[h] misit nobis; in prima[3] nos excitans ad id faciendum, in secunda[4] prebens auctoritatem operi facto.

Similiterque vos precor, ut non pigeat dilectionem vestram perlegere ea, que modo addimus et ille non legit; ut, sicut[i] que ipse legit, sic et hec, que vobis leguntur, ex vestra sancta auctoritate corrigantur que corrigenda sunt, et firmentur que firmanda[k] sunt. Mihique libuit vestram epistolam[5] operi vobis specialiter directo preponere cum versibus quibusdam marinis[6]. Vos enim meum nullum latere volo.

Pertractavi, postquam corpore sequestrati sumus, aliqua inquirere: de nocturnalibus officiis et de aliis, que in die aguntur; et de cena Domini et parasceue et sabbato sancto. Ad quod si vestre oraciones[l] me perduxerint, credo meis motibus adesse et adfuturam fore misericordiam Domini. Valete in Christo.

a. mitatur *c.* b. magi nostrum *c.* c. dscipulum *c.* d. distulli *c.* e. catetiz..r.tur *c.* f. baptizaur *c.* g. gloriosimus *c.* h. memoraturas *c.* i. *sequitur* ex ua; *cf. infra* ex vestra. k. firmenda *c.* l. oracionis *c.*

1. Luc. 16, 8: „Et laudavit dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset“. 2. V. ep. 34 supra p. 406. 3. ep. 32 supra p. 402. 4. ep. 35 supra p. 409. 5. ep. 43 supra p. 422. 6. V. infra cap. 45.

45. *Amalarii episcopi Trevirensis de legatione Constantinopolitana versus*[a] [1].

814 Amalarius venerabili abbati Petro[b].

13 Quid, pater, angustos repedas quid in equora[c] calles?
Namque quieta tenes. Forsanque paras[d] renovare
Succos tu nostros iterum, vel frangere dente
Crustas et tostas[e] micas, volitare per auras.
Agius inter frondentes[f] lauros habitans[2], frons
Maxima et[g] ipse, vocat fratres ad fercula[h] pacis;
Disiunxit labens Arton[3], quos turbidus[i] auster
Iuncxit. Quo properare petis sic, abba meus, quo?
  Ventorum dominusque[k] vetat sine pergere fratre.
Quid mirum, si Gregorius iaceat lacrimansque,
Si non est mirum, Christi chorum trepidare.
  Aequoreas tangens dominus partes, lacrimabant
Discipuli. Sed[l] Gregorius non pertulit undas[m];
Vespere iam properante rogat cessare procellas,
Quas dicit senior maiores surgere Eoo[n].
Abba iubet monachum vultus attollere sursum,
Sumere de mensa fratrum saltim exiguumque.
Gregorius dixit: *Hinc non surgam, nisi fixa*
Hec puppis maneat[o]*; neque haeç tabulata*[p] *relinquo.*
Nocte vigil frater[q] non dormitans; neque cessant

a. *Ex bibliothecae pagi Tigurini codice* C. 102 *membr. saec. X fol.* 77 *descripsit mihi Geroldus Meyer de Knonau. Edidit Frobenius in Alcuini opp. T. II* 525. b. Petri *c.* c. qui tempora *c. In promptu est enim, quam facile* quitempora *pro* quitinequora *scribi potuerit.* d. parus *c.* e. totas *c.* f. frodentes *c.* g. maxima et *scripsi pro* maxime *c.* h. a frēcula *c.* i. turpid *c.* k. dominus qui *c.* l. si *c.* m. undans *c.* n. *sic scripsit M. Haupt pro:* Quas dicit senior maiore senior surgere ero *c.* o. meneat *c.* p. has tabulas *c.* q. frt *c.*

1. Herimannus Augiensis (Mon. Germ. SS. V 102) huius carminis ad annum 813 memoriam affert hoc modo: „Karolus imperator Amalharium Treverensem archiepiscopum et Petrum Nonantulanum abbatem Constantinopolim misit, quorum odoporicum scriptum habetur“. — Emendanti mihi hos versus gratiosissime consuluit Mauritius Haupt. 2. Sanctus Silvester, coenobii Nonantulani praeses. 3. Arctos.

Salsa vada undarum iugiter turbare[a] procelle, 813
Et ratis — alta, profunda petens — nimium cito saltat.
Triste caput, sensus mestus patitur[b] male. Tandem[c]
Cum victis tenebris rutilans miratur Eous,
Sat metuenda truces agitabant flamina limphas.
Nos cursus[d] revocant[e] ad Durasinia[f][1] castra.
Forsan delectat castrum fratres Eginense,
Et palmas[2] agitare[g] satis per tempora longa;
Puncta[3] ubi Wippo manum[h] plorat rapuisse alienam[i].
Singultu nimio pulsabat sepe quietem
Hic nostram pro! quod sat mesta caterva iacebat.
Ac memor esto sacerdotis, quem sidera tollunt;
Pro famulo, quem finis equi[4] retinetque sepultum,
Funde preces, venerande pater, cum fratribus una.
Partes Constantinopolis[k] properemus; et ante
Tempora laxemus gelida intraque[l] Attica rura.
Postquam Constantinopolim lustravimus[m] urbem,
Bisque quater decem hac noctes possedimus ambo;
Continuo statuunt vigiles, qui limina claudunt:
Ne monachus forsan per opacam vaderet urbem[n],
Sed sancti pocius cursus psallat Benedicti;
Aut fors, ut pociusque forent ignota nefanda
Illius nobis urbis. Que sepe beabat
Totque viros, tantos famulos per secla beatos;
Quam legimus tenuisse caput regni omnis Eoi.
Tunc sero rediens basileus Leo[5] mandat et ipse:
Ut veniant fratres[o] ad summa palacia[p] regis.
Hic loquitur[q], hic: *Sit*[r] *Karoli* orat *vita per aevum*

a. iugitur turbas *c.* b. paitur patitur *c.* c. candem *c.* d. cursum *c.* e. revocant *scripsit M. Haupt pro* revocat it *c.* f. dura fima *c.* g. agitare *scripsit M. Haupt pro* agere *c.* h. manu *c.* i. aliena *c.* k. Constantinopolim *c.* l. utrique *c.* m. lustrabimus *c.* n. opacam — urbem *scripsit M. Haupt pro* opacae — urbis. o. frās *c.* p. balacia *c.* q. Hi eloquitur *c.* r. sit *coniecit M. Haupt pro* de *c.*

1. Dyrrachina. 2. remos. 3. res pusillas. 4. M. Haupt non dubitat, quin his verbis „finis equi" loci cuiusdam vocabulum significetur. 5. Leo V imperator, 813 Iul. 11 — 820.

813 *Ac natorum*[a] *eius;* sacri simul ordinis omnis
Est populi memorans Francorum voce benigna.
A quo laxatis[b] pelagi profunda trahebant[c]
Aequoreus cursusque ratem, cum ingens[d] fera venit.
Quis ventorum avidas pennas tot dicere suffert?
Et non miretur tantum crepitancia lora?
Terribilem hinc sonitum fluctus redduntque marini[e],
Inde trucesque[f] ratem quaciunt et viscera[g] vires
Ventris. His maiorque[h] metus cum est mortis amare,
Vates[i] sum tibi, sancte pater: *Non*[k] *effugies tu*
Hinc, nisi perfundaris aquis, nimbis sacieris[l].
Effugias Mauros, metuas Sclavos rigidosque[m].
Tu cumula tela, ut Maurum iugules metuendum,
Quem nobis monstrant, protinus[n] quem flamina[o] tollunt;
Tende arcum, donec percurramus mare cursu
Seu[p] procul atra Sclavorum litora linquere pellant[q].
814 Post vernum, sero licet, Italiamque virentem
Nos pervadimus hanc cursim rapidoque volatu,
Silvestri ad dignam ecclesiam sancti[1] properantes.
Obvia iam[r] stat sancta cohors[s] fratrum simul omnis
Flebilis; aegregius pastor lacrimans lacrimantes
Suscipit; orbati gaudent de sospite[t] patre.
Gaudia perfundunt lacrimis[u], quia leta caterva
Germanis monachis, patribus dant basia blanda.
Obtamus, letus maneas cum fratribus almis;
Inter quos fratris memorare[v] tuique marini
Tu dignare, pater, non exiliens modo tristis.
Frater egoque tuus, quoniam nunc[w] tristia[x] carpo,
Triste[y] polii[z] fratri; Karoli quia morte fatigor.

a. notorum *c.* b. laxati *c.* c. trahebant *scripsit M. Haupt pro* trahebat *c.* d. ignens *c.* e. marinis *c.* f. crucesque *c.* g. viscere *c.* h. maior qui *c.* i. Vatis *c.* k. Nos *c.* l. facierit *c.* m. regidosque *c.* n. protus *c.* o. flammina *c.* p. Sta *c.* q. linque repellnat *c.* r. obvia iam *scripsit M. Haupt pro* obviam. s. chors *c.* t. des sospite *c.* u. lacrimas *c.* v. memorale *c.* w. non *c.* x. triticia *c.* y. Driste *c.* z. polum *c.*

1. ecclesiam S. Silvestri Nonantulanam.

Nos utrosque Deus iungat pariter sine fine 814
Cum Karolo, condam rege, et cum fratribus almis.

---

46. *Dungalus Theodradae, Caroli I imperatoris filiae, monachae factae gratulatur*[a].

In nomine (Patris et Filii et Spiritus sancti). Dominae clarissimae regiique generositate sanguinis nobilissimae et excellentiori morum dignitate decoratissimae Theodradae[b] Dungalus presbiter[c] licet indignus aeternam in Deo salvatore salutem. post 814 Ian.

Saepe volui, domina carissima, salutatorias ad vos dirigere litteras. Sed quia veritus sum, praesumptionis ac temeritatis noxam apud vestrae censuram almitatis incurrere, utpote quod ego, peregrinus et vobis adhuc vix forsitan cognitus, ausus sim scripta vestrae audacter ingerere beatitudini, repressi paululum manum a stilo haesitansque ad tempus distuli. Sed cum recordatus sim domini mei, vestri genitoris, beatae memoriae Karoli — quem non solum vero ac sincero amore dilexi et nunc maxime diligo, sed et suam propter eum cunctam prolem parentesque et propinquos eisdem fraternae visceribus caritatis amplector, quorum memoriam in orationibus cotidianam facio, prout oportet — revocans animum hacque fretus fiducia, istas vobis direxi litterulas; continentes vestrae optionem stabilis ac sempiternae salutis gratulationemque vestrae optimae electioni, qua, contempto habitu seculari, sacrum Christi velamen induere voluistis[1], audaci consilio sed probato et laudabili, fluxa et caduca spernere, certa aeternaque requirere, abrenuntiare diabolo et seculo[d] et pompae et operibus eius, et sequi Christum eiusque vestigiis privatim ac domestice inhaerere. *Perfecta caritas foras mittit timorem*[2]. *Maria bonam partem elegit, quae non auferetur ab ea*[3] *neque in hoc seculo neque in futuro*[4]. Nullum

a. *Ex musei Britannici cod. Harl.* 208 *membr. saec. X fol.* 116*v. descripsit Willelmus Wattenbach.* b. Theodradae *in margine addidit eadem manus.* c. pr̄ *c.* d. et seculo *superscripta sunt.*

1. Theodradam, Caroli et Fastradae filiam, parthenoni Argentogilensi (prope Parisios) abbatissam praefuisse scimus. V. Mabillon Annal. ord. Bened. II 348. 2. 1 Ioh. 4, 18. 3. Luc. 10, 42. 4. Matth. 12, 32.

post 814 Ian. autem munus, nulla oblatio tantum amabilis et acceptabilis est Deo, quantum si se ipsum sibi homo devote ac voluntarie offerat. Unde hoc maxime et praecipue hortatur sanctus Paulus immo Christus in Paulo, dicens: *Obsecro itaque vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam vivam, sanctam, Deo placentem, rationabile sit obsequium vestrum*[1].

Unde sollicita et intenta mente assidue vobis et nobis pro vobis orandus est Deus, ut, qui bene incipiendi vobis donavit voluntatem, bene etiam perseverandi et consummandi tribuat facultatem. *Qui enim perseveraverit*[2] et reliqua. Post etiam bonum et legitimum certamen[3] et post inclitam de diabolo[a] antiquo humani generis hoste et fragili carne spiritui rebellante victoriam, optamus, vos a Deo perpetuam adquirere palmam et mercedem illam ineffabilem obtinere, quam nec oculus vidit[4] et reliqua.

Haec te caesareo generatam semine karta,
Moribus et specie ornatam, Theodrada, salutat.

---

47. *Dungalus ab episcopo quodam subsidium petit*[b].

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Domino sancto patrique in Christo benignissimo atque piissimo pontifici ill. Dungalus devotus et spontaneus vester famulus stabilem ac perpetuam in domino Iesu salutem.

Vestra copiosissima benignitate et luculentissima fecundissimaque humanitate constrictus detineor, addictus vestro assiduo famulatui debitor continuus. Ad hoc enim vestrae exercitium culturae Deo tendit incrementum dante: ut, quod seminando temporaliter seritis, in perpetuum fructificando metatis, et quod minimis tenuissimisque tribuitis, maximus ditissimusque auctor hoc accepisse fateatur. Qui iuxta suam affluentissimae inexhaustaeque felicitatis ubertatem non differat accepta providis retribuere feneratoribus.

a. diaboli *c.* b. *Ex musei Britannici cod. Harl.* 208 *membr. saec. X fol.* 113 *descripsit Willelmus Wattenbach.*

1. Rom. 12, 1. 2. Matth. 10, 22. 3. Cf. 2 Tim. 2, 5. 4. 1 Cor. 2, 9.

Inde ego, unus de his minimis per quos vobis Deo efficiente multiplicabitur liberalis commercium negotii, consuetam a vobis opem repeto; ut, inde necessitatem habens, temporaliter reficiatur, et vos in perpetuum. Hinc enim merces vestra indeficiens apud Deum et sine fine manebit, si bonum semel incoeptum infatigabiliter et sine lassitudine exerceatis. Hac ego fiducia fretus, anniversarius vobis petitor existo; ut — si mihi non tribuatis, eo quod amicus vester sim, utpote obliviscentes exiguum in multis et magnis occupati — propter inportunitatem meam detis, quicquid mihi est necessarium.

Multis ergo annis agrum Dei hoc cultu colatis legitimo et ecclesiam eius moribus exemplisque ornetis et feracem sementem expectabili reditu seratis, cuius oportune centuplicata fruge in perpetuum vescamini et, sine fastidio semper refecti, saturemini. Custodiat vos Dominus, ut pupillam oculi, et sub umbra suarum protegat alarum[1].

48. *Dungalus abbatem quendam hortatur, ut a rege stipem sibi exigat*[a].

Domino honoratissimo dilectissimoque in Christo abbati ego Dungalus vester fidelis famulus et voluntarius orator perpetuam in Domino salvatore salutem.

Memor nostri iam dudum peracti inter nos foederis, quo mutuam alternamque orationem semper pro invicem habituros esse promisimus, ea confidentia fungens, audeo privatim familiariterque de meis conferre vobiscum necessitatibus. Sperans, per vos et ex vobis Deo auxiliante veraciter aeternum et spiritale habere adiutorium, corporale autem et temporale habiturum non dubito. Qui enim, quod maius et sublimius est, suo amico libenter tribuit, si de eo, quod minus et inferius est, rogetur, hoc posse putandus[b]. Bene ergo confidens de vestrae benignae et fraternae caritatis adiutorio et in praesenti et in

a. *Ex musei Britannici cod. Harl.* 208 *membr. saec. X fol.* 113*v. descripsit Willelmus Wattenbach.* b. petendus *c.*

1. Ps. 16, 8.

futuro, ideo rogo vos suppliciter: ut suggeratis domino regi, ut in aliquo me consolari et adiuvare dignetur in sua elemosyna. Quia hoc mihi in hoc tempore multum necesse est; qui antea, postquam veni in istam terram, non fui sic redactus et coangustiatus, sicut modo sum.

---

49. *Dungalus Adamum abbatem rogat, ut sibi ad regem ituro subveniat, propterea quod equus suus claudus ac debilis factus sit. Saxonem quendam commendat*[a].

Domino veneratissimo devotoque, amplexante affectu carissimo ac dilectissimo abbati Adam ego Dungalus vester spontaneus ac fidelis famulus perpetuam in Christo Iesu salutem.

Vestra beneficia, quae larga et numerosa antea mihi praebuistis, inplicitis et insolubilibus nexibus inretiant et catenant me in vestro servitio, ut non possim nec debeam inde excedere vel elabi. Hoc ergo, in quo debitor iure teneor, voluntate adsequor; et licet non valeam adimplere sicut debeo, voluntas tamen non deest adimplendi, quae apud internum aliquando inspectorem pro effectu reputatur obsequii. Et quantum recreatos et adiutos egenos et minimos sua mediocritas et exiguitas non sinit restituere condigna merentibus, tantum debitor est pro eis retribuere, qui, se in ipsis consolari et refici, non dedignatur fateri. Haec ergo, domine benignissime et misericordissime, provido et sollerti animo sollicite intenteque cogitantes, multa Deo teste semina aridis et hiantibus sulcis, hoc est indigentum personis committitis; quae oportuno tempore, Domino incrementum dante, contra ignavorum agricularum spem cumulato et multiplicato centies fructu, metetis. Unde in perpetuum refecti et glorificati ditabimini.

Nunc ergo, domine mi, instat mihi vestro famulo, Deo adiuvante, iter ad palatium, ut reddam ibi et innotescam domino regi rationem illius servitii, quod usque modo exercui. Sed vires mihi ad hoc non suppetunt; frangitur conatus volentis,

a. *Ex musei Britannici cod. Harl.* 208 *membr. sec. X fol.* 118 r. *descripsit Willelmus Wattenbach.*

debilitante inopia. Meus enim caballus, qui mihi aptus et conveniens fuit, quem usque modo sum usitatus, quem mihi bonae memoriae dominus abbas Sichelmus in sua donavit elemosyna, nervis hoc est cordis rigentibus et contrahentibus stringitur et claudicat[a], ut eo uti non possim. Si autem vobis facile et placitum videretur, valde mihi necesse esset adiuvari in hac re ex vestra parte; ut inde vobis mercedes et praemia apud Deum in perpetuum cumulentur et crescant. Unde in angustia et in necessitate posito miserando subveniatis, ut summa pro imis, aeterna pro transitoriis, caelestia pro terrenis, fixa et stabilia pro labentibus et nutantibus multiplici faenore et felici commercio adquiratis.

Nos ergo pauperes et peregrini oneri forsitan et fastidio vobis videamur esse propter nostram multitudinem et inportunitatem et clamositatem; sed tamen vos, quos Deus sustentatores nostros constituit, quantum patienter sustinueritis, sicut scriptum est: *Ab inope non auferas oculos tuos propter iram*[1], quantumque libenter propter Deum susceperitis, tantum vera et indeficientia vobis bona succrescent.

Ecce etiam iste Saxo ill., inops alienigena, ad vos similiter recurrit, postulans elemosynam; quia ipse tantundem[b] vel iam amplius in angustia et in indigentia est positus, nec a quoquam sperat adiutorium aut consolationem praeter vos, antequam perveniat ad suum seniorem dominum regem.

Multis ergo annis diversi et varii ordines ecclesiae per vos in praesenti seculo confortentur et vigeant; et vos per illos in futuro apud Deum sine fine gloriosissime et beatissime valeatis.

---

50. *Sacerdos coenobii S. Dionysii Parisiensis sacerdoti cuidam respondet*[c].

Domino sancto omnique veneratione venerando nec non parte in omni sublimiter divulgato ill. excellentissimo sacerdoti

a. claudicatur c. b. tandundem c. c. *Ex musei Britannici cod. Harl.* 208 *membr. saec. X fol.* 114*v. descripsit Willelmus Wattenbach.*

1. Eccli. 4, 5.

ill. sacerdos, quamvis indignus, in domino Iesu aeternam salutem.

Sagacissima vestra cognoscat prudentia, quod epistola vestra in manus usque pervenit nostras. Quam accipientes et relegentes vestramque sanitatem cognoscentes, valde gratulati sumus. Etenim rationem nostram cognoscere voluistis, de qua nunc inmensas vobis retulimus gratias. De adventu vero vestro, qua non venistis, absit ut irasci debeam. Nam scriptum est: *Ira enim viri iustitiam non operatur*[1]. Causa enim nostra, auxiliante Domino vestrisque sacris intercurrentibus orationibus, iuxta possibilitatem nostram bene se[a] habet. Dè cetero vestra cognoscat almitas: quandocunque vobis visitandi causa cineres beatorum martirum Dionisii Rustici et Eleutherii[2] venire placuerit, me paratum in servitio vestro prumtumque invenietis. De hac causa vero, pro qua mihi aliquid[b], non solum hoc sed etiam illud, si vita comis fuerit, mittere curabo[c]; caritatem plenam in vestro benigno amore cum omnibus fratribus libenter facere studebo. Obsecro, ut memoriam mei in sacris orationibus facere non pigeatis.

Currite litterule, perfectam ferte salutem
Presbitero claro moribus et merito.

---

51. *Dungalus abbati cuidam argentum mittit, unde mensulam et calicem et patenam confici iubeat. Hortatur, ne pauperibus peregrinisque desit*[d].

Domino in Christo venerabili dilectissimoque abbati ill. Dungalus exiguus famulus perpetem in Domino salvatore salutem.

Vestra ergo, domine carissime, prosperitate cognità laetati et vestrae incolomitate vitae comperta consolati, optamus, vos semper in Domino verae prosperitatis stabilitate gaudere; ut non, in huius formidando saeculi pelago navigantes, Schylleae

a. sed *c.* b. *sic.* c. currabo *c.* d. *Ex musei Britannici cod. Harl.* 208 *membr. saec. X fol.* 115 *descripsit Willelmus Wattenbach.*

1. Iac. 1, 20. 2. quorum corpora in ecclesia coenobii S. Dionysii Parisiensis servabantur.

vos pulchritudinis fallacia decipiat nec Serenarum loetiferi cantus oblectent, sed casto velut ille providus Itachus aspectu obduratis auribus inlaesi, divino agitante spiraminis flatu, ad supernae portum patriae devicto[a] hostilis Ilio mundi superatisque victores Frigibus perveniatis. Ubi, bellicorum praesentis vitae successuum anxia incertaque trepidatione excepti ac de inprovisis periculosisque Caribdibus liberati, perpetua perfrui pace gaudeatis. Haec ergo tibi, domine dilectissime, evenire optamus et assiduis in commemorationibus carissimorum nostrorum precibus rogamus.

Nunc autem, quod superest. Misi aliquid de argento per ill. vestrum servientem. Et volo rogare, si vobis facile est, ut iubeatis uni bono et perito de vestris fabricare illud, et facere inde ministerium[1] calicem et patenam; et ut hoc diligenter a vobis sit commendatum et iussum, quasi ad vestrum proprium opus debuisset operari. Et ut hoc sciat ille faber, quod hoc fabricatum vobis ipsis debet iterum reddere et monstrare, ut iudicetis et probetis illud. Sed sic hoc rogo, si vobis grave non est; sin autem, non rogo.

Confidens ergo, domine dilectissime, de vestra pietate et benignitate, ausus sum vobis commemorare et suggerere de illo opere misericordiae et elemosynarum, quod olim ego praesens vos cum mira mentis alacritate et humilitate exercere vidi; ut non aliquando in vestro monasterio et in reliquis vestrae potestatis locis tepescat et refrigescat, nec in illis occasiones quaedam inhumanitatis et inmisericordiae, quas non mandavit Deus, excogitentur contra pauperes et peregrinos supervenientes. Dominus ergo meus et deus meus Iesus Christus scit, quia pro vera animae et vitae dilectione haec dicb, ne vos neglegentiae aut culpae alterius reatum subeatis. Scio enim, quia, si inde aliquid factum est, vos ignoratis et nescitis. Bene valete semper in Domino, domine reverentissime atque dulcissime pater.

a. devictu c.

1. mensulam iuxta altare, in qua reponuntur vasa ad sacrificium idonea. DUCANGE.

52. *Dungalus abbati cuidam errorem suum excusat; rogatque eum, ut sibi prospiciat*[a].

Domino reverentissimo animique inlustribus coruscanti vigoribus abbati ill. Dungalus aeternam in Deo salutem.

Modo vobis, domine inclite, fateor: me mihi ipsi errando impedisse et, quod debui rogare, ignorando vetasse; estimans, dominum imperatorem statim post suum placitum ad Aquis palatium reversurum. Morosum mihi visum est, responsionem ab eo expectare. Propter hoc imperite et incaute prohibui hoc, quod benigno et provido de me animo proposuistis, ammonere et domino regi suggerere. Inde nunc paenitentia ductus, rogo suppliciter vestram invincibilem inmutabilemque clementiam: ut, quod ante pio et sincero corde praedestinastis agere, hoc mea non praepediat errabunda inprovisaque ignorantia. Sed in vestra misericordia et elemosyna curam piam et paternam habeatis de vestro voluntario et fideli famulo, prout vobis rectum placitumque videatur; ut laus inde vobis apud homines cumuletur et merces crescat apud Deum. Tantum ut, sicut mihi primum dixistis, vester missus aut vestra epistola certum et indubium me faciat de eo, quod agere debeam; et sic cum vestro bono et integro auxilio laetus et paratus iter arripiam Custodiam.

His tibi versiculis, abbas venerande, gemellis
Veras ac validas opto salutis opes.

a. *Ex musei Britannici cod. Harl.* 208 *membr. saec. X fol.* 117 *descripsit Willelmus Wattenbach.*

EINHARTI EPISTOLAE.

Collectionum epistolicarum medio aevo factarum duplex potissimum ratio est. Altera in veris atque propriis versatur epistolarum libris, qui eo consilio constituebantur, ut historica monumenta ad posteros manerent. Idque evenit in iis, quas haec bibliotheca in se continet, epistolis S. Bonifatii et Lulli, Codicis Carolini, Leonis III, Gregorii VII, Wibaldi; nec latet cuiquam, quanta materia ex talibus scriptis ad temporum praeteritorum perceptionem efficiatur. Anceps autem et impeditior ratio est earum epistolarum, quibus conducendis non id agebant, ut rerum gestarum investigatio facilior fieret, sed unde tirones exempla scribendi caperent. Numerantur enim inter haec opera et prorsus conficti libri et qui vera falsis mixta exhibent et qui sinceris quidem litteris sed cum tanta historiae incuria contexti sunt, ut pro nominibus hominum et locorum vel perpetuo vel plerumque nihil nisi .N. *sive* ill. *scriberetur.*

Ex hoc novissimo genere sunt, quae iam prodeunt litterae; quas qui connexuit, quamvis nimium multa nomina extinxerit, non tamen eo processit, ut omnia eiusmodi rerum cognoscendarum vestigia dissiparentur. Exploratissimum est enim, et in universo ad Einhartum (de cuius vita inferius dicam) spectare istas epistolas, et ubicunque librarius singulares litteras has: e. *et* e. p. *posuerit, intelligendum esse:* Einhartus *et* Einhartus peccator[1]. *Sed quoniam sine ulla dubitatione aliorum quoque*

1. Cf. Prologum translationis SS. Marcellini et Petri ap. Teulet Ein-

hominum epistolas in opusculum illatas esse videmus[1], *idcirco, quae penitus auctorum nominibus vacant, eas Einharto addicere non licet, nisi ex aliis indiciis ista litterarum origo aut omnino appareat aut certe veri simillima videatur.*

Exstant Einharti epistolae in uno codice membranaceo saec. IX, qui fortasse iam medio saeculo nono, propter Northmannorum incursus ex coenobio S. Bavonis Gandensi fugientibus monachis[2], *Laudunum pervenit; ubi repertus anno 1636 Andreae Duchesne praesto fuit, principem sexaginta duarum tantum epistolarum editionem („ex vetusto codice ms. Laudunensi") facienti in Historiae Francorum SS. T. II 695—711*[3]. *Servabatur etiam anno 1827*[4] *Lauduni, unde post paulo in bibliothecam tum regiam hodie imperialem Parisiensem translatus est, signatusque primo* Supplem. lat. n. 334, *deinde* lat. 11379. *Ibi Alexander Teulet ex eo hausit anno 1840 novam suam eamque plenam epistolarum editionem in Einhardi opp. T. II 1—174, ibidemque mense Augusto anni 1866 codicem in rem meam converti.*

Est vero codex multis locis et laceratus et obscuratus omninoque diversis ex libris librorumque reliquiis constitutus. Et in foliis tredecim (fol. 3—15) leguntur septuaginta epistolae Einhartanae[5] *cum hac inscriptione:* LIBELLUS EPISTOLARUM *cumque clausula hac:* EXPLICIT DEO GRATIAS AMHN; *quas quidem omnes exaravit una manus saec. IX, hic illic notis Tironianis*[6] *saepiusque Anglosaxonico verbi „autem" compendio*[7] *usa. Alius deperditi codicis est folium 20, ubi omnis epistola 14 atque initium epistolae 7 reperiuntur tam emendate scripta, ut, qui interiit liber, quam nobilis fuerit, ex hoc eius fragmento acerbe sentiamus.*

hardi opp. II 176: „Veris veri Dei cultoribus et Iesu Christi domini nostri sanctorumque eius non fictis amatoribus Einhardus peccator".

1. V. epp. 3, 5, 26, 32, 33, 40, 70, 71. 2. V. Annales Gandenses 844 et 853, Mon. Germ. SS. I 187. 3. Editionem hanc repetierunt anno 1714 Iohannes Weinckens (Eginhartus quondam Caroli Magni cancellarius, Francofurti p. 83—99) et anno 1749 Martinus Bouquet (Recueil des historiens T. VI 369—385). 4. V. Archiv der Gesellschaft für ältere deutsche Geschichtskunde VII 12. 5. omnes praeter ep. 14. 6. V. ep. 24, 68, 69. 7. isto: ꝧ et: ꝧ.

Semotis igitur iis, quae nihil ad rem attinentes in codice insunt, epistolis epistolarumque formulis, litterarum Einhartanarum septuaginta unarum verba quidem ex membranis petii, digestionem vero, quoad facultas tulit, temporum cursui accommodavi. Ordinis autem a librariis traditi, quem priores editores (Duchesne et Teulet) secuti sunt, ordinisque in hac mea editione adhibiti diversitatem ostendi et in singularum epistolarum lemmatibus ad hunc modum: (DT 26) (D 60, T 69) cet. et in duabus quae sequuntur seriebus:

Numeri		Numeri		Numeri		Numeri		Numeri	
Duchesniani	nostri	Duchesniani	nostri	Duchesniani	nostri	Duchesniani	nostri	Duchesniani	nostri
1	20	14	39	26	1	38	59	50	51
2	22	15	40	27	2	39	5	51	52
3	6	16	41	28	35	40	8	52	21
4	36	17	42	29	15	41	9	53	60
5	53	18	43	30	56	42	10	54	61
6	17	19	26	31	4	43	11	55	63
7	37	20	32	32	3	44	13	56	24
8	38	21	33	33	57	45	12	57	25
9	30	22	18	34	7	46	46	58	67
10	23	23	27	35	16	47	50	59	69
11	31	24	28	36	58	48	34	60	70
12	54	25	44	37	45	49	49	61	71
13	55								

Numeri		Numeri		Numeri		Numeri		Numeri	
Teuletani	nostri	Teuletani	nostri	Teuletani	nostri	Teuletani	nostri	Teuletani	nostri
1	20	16	41	30	56	44	13	58	61
2	22	17	42	31	4	45	12	59	62
3	6	18	43	32	3	46	46	60	63
4	36	19	26	33	57	47	50	61	24
5	53	20	32	34	7	48	34	62	64
6	17	21	33	35	16	49	49	63	25
7	37	22	18	36	58	50	47	64	48
8	38	23	27	37	45	51	51	65	66
9	30	24	28	38	59	52	52	66	67
10	23	25	44	39	5	53	19	67	68
11	31	26	1	40	8	54	21	68	69
12	54	27	2	41	9	55	60	69	70
13	55	28	35	42	10	56	29	70	71
14	39	29	15	43	11	57	65	71	14
15	40								

Berolini Idibus Maiis 1867.

1. *Einhartus quendam rogat, videat ne Frumoldus, ab adeunda aula morbo impeditus, beneficio privetur.* (DT 26)

814? E(inhartus) U. sempiternam salutem[a].

Frumoldus filius .N. comitis, cuius N.[b] sororem habet[b], magis infirmitate quam senectute confectus — nam continuo ac gravi pedum[c] dolore vexatur — habet beneficium non grande in Burgundia[d] in pago Genawense, ubi[e] pater eius comes fuit. Et timet illud perdere, nisi vestra benignitas illi opituletur; eo quod propter[f] infirmitatem, qua premitur, ad palatium venire non potest. Idcirco precatur, ut in ista[g] necessitate domnum imperatorem rogare dignemini, ut permittat se habere beneficium, quod avus eius illi concessit et pater habere permisit, quo usque, viribus receptis, ad eius praesentiam venerit ac se sollemni more commendaverit[h]. Bene vale, igulorum amantissime, sic optat[i] igulus tuus vetulus et infirmus.

---

2. *Einhartus comitem quendam rogat, curet, ut quidam vassus dominicus beneficium suum retineat, donec sanus factus ad aulam accedat.* (DT 27)

814? Magnifico et honorabili atque inlustri viro .N. glorioso comiti E(inhartus) sempiternam in Domino salutem.

N. vassus dominicus, frater uxoris .N. comitis, morbo pedum et senectute gravis, volebat venire ad domnum imperatorem[1]; sed non potuit propter infirmitatem suam. Cum primum potuerit, veniet ad servitium eius. Interim postulat, ut sibi liceat beneficium suum habere, quod ei domnus Karolus imperator dedit in Burgundia in pago Genawensse, usque dum ille ad praesentiam eius venerit ac se in manus eius commendaverit. Michi quoque rectum[k] et utile videtur, ut ita fiat, sicut ipse desiderat; quia vir bonus ac prudens est et bone famae inter

a. E. U. S. S. *c.* b. N. sororem habet *evanuerunt in c.* c. gravi pedum *evanuerunt in c.* d. Burgandia *c.* e. enawense ubi *evanuerunt in c.* f. itu-letur — propter *evanuerunt.* g. tur ut in ista *evanuerunt.* h. commendaverat *c.* i. optet *c.* k. reotum *c. ubi posterior manus vocem correxit in* ratum.

1. Ludovicum I.

vicinos suos. Et vos bene faciatis, si eum in hac re adiuvare dignemini. Opto, ut semper bene valeatis in Domino. 814?

---

3. *Bernharius episcopus Wormatiensis et abbas Weissenburgensis gravi morbo implicitus Einhartum rogat, ut et Deum pro se precetur et de suis in episcopatu et in abbatia successoribus curet. Munera mittit.* (DT 32)

Karissimo meo E(inharto) B(ernharius)[1] iam in extremo positus, tuus[a] tamen tuorumque donec superest flatus Deo teste fidelis. 825?

Commendo, dilectissime mi, tuae caritati animam e corpore, subdito peccatis, egressam, ut eam in tuo[b] tuorumque fidelium consortio adscribi digneris; quatenus sanctarum studiis orationum piorumque precibus fratrum misera adiuvata[c] anima locum quoddam refrigerii accipere mereatur.

His itaque propter nimiam magnamque angustiam carnis vel spiritus breviter praelibatis, deprecor, dilectissime mi[d], ut summam pro amore Dei ac meae[e] vilitatis amicitia[f] ecclesiarum meae parvitati commissarum adhibeas curam; ne post obitum meum lupi locum sanctitatis[2] invadant rapaces gregemque humillimum dispergant, sed potius eis talis concedatur rector, qui Deum amare noverit vel timere et his, qui subditi sunt, misericorditer[g] subvenire.

Fratres vero nostri tuique fidelissimi ex monasterio .N.[3] Folquicum[h 4], inter eos proximum mihi, sibi praeesse optaverunt,

a. tuos *c.* b. tuos *c.* c. adiuuate *c.* d. enī *c.* e. mea *c.* f. amititiā *c.* g. mediocriter *c.* h. f̄rquidā *c.*

1. ep. Wormatiensis et abbas Weissenburgensis. Huius mortem titulus supremus ap. Schannat Hist. Worm. I 313 ad d. 20 Mart. 823 refert. Sed ex tabulis ap. Zeuss Traditiones Wizenburgenses p. 350 et ex diplomate d. d. 31 Oct. 826 ap. Schannat Hist. Worm. II p. 4 (Sickel Acta Ludowici n. 246) intelligimus, Bernharium obiisse a. 826; et die quidem 20 Mart., ut docet Necrol. Weissenburgense: „12 Kal. Apr. Bernharius episcopus obiit“. 2. ecclesiam Wormatiensem. 3. Weissenburgensi. 4. Pro „f̄rquidā“ codicis scribendum duxi „folquicū“; quem quidem scimus post Bernharium fuisse et episcopum Wormatiensem et abbatem Weissenburgensem.

825? iuvenem quidem aetate sed moribus ut puto senem. Cuius progeniem bene nosti: filius .N., frater N., et multorum nobilium proximus. Quem Wormaciam direxerunt et, adhuc vivente[a] me, dum .N.[1] me visitare dignatus est, praesentem commendaverunt. Qui[2] valde et cum multis lacrimis mihi vel propinquis meis, adstante .N. comite, promisit ...... s quaeque[b]; N. precibus conpulsus annuit, quod, si apud Deum factum sit, ipsum loco meo aptasset[c]. Unde memento, dulcissime, ut hoc non differatur; sed ut fiat, maxime adhibe certamen.

Mitto pallium unum, quem rogo fratribus ad Sanctum Servatium[3] dare iubeas; ut mei mentionem faciant.

Tuae caritati mulum meum dare praecepi.

Imma, soror dilectissima[4], his esto adiutrix; tibique animam commendo. Iam plura loqui angustia non permittit; attamen animam meam iterum precibus vestris commendo.

---

4. *Einhartus Bernharium episcopum Wormatiensem aegrotantem consolatur.* (DT 31)

825? Domino sancto et merito venerabili[d] N. episcopo[5] E(inhartus) sempiternam in Domino salutem.

Quamvis me multum contristet, quod te, amantissime domine, per litteras in hoc molestissimo corporis vestri labore[e] positum audio; tamen non minimam capio[f] consolationem, quod hunc laborem tibi[g] proficere et ad purgationem anime pertinere non ignoro. Credo enim, quod ideo te divina misericordia

a. viuentē *c.* b. q̄q. *c.* c. aptasset *scripsi pro* optassent *c.* d. veñ *c.* e. laboris *c.* f. capie *c.* g. tibi *evanuit c.*

1. quem Ludovicum I imperatorem fuisse censeam. Nec improbabile est, Ludovicum medio anno 825 Wormatiae fuisse; v. annales Einharto ascripti (Mon. Germ. SS. I 213) 825: „Imperator — in Vosegum ad Rumerici montem venandi gratia profectus — peracta venatione Aquasgrani rediens, generalem populi sui conventum mense Augusto habuit". 2. imperator, ut mihi quidem videtur. 3. Traiecti ad Mosam. 4. Hinc apparet, Immam Einharti uxorem fuisse sororem Bernharii episcopi Wormatiensis; cuius omnem hanc familiarissimam epistolam propinquae cum Einharto affinitati praeclare convenire nemo neget. 5. Bernhario episcopo Wormatiensi. V. supra ep. 3 p. 441.

tam diu in hoc morbo corporali macerari permittat, quod te, 825?
hoc corpore migrantem (a peccatis mun)datum recipiat. De orationibus vero pro te faciendis certam facio caritatem tuam, quod, in quantum mihi Deus vires et possibilitatem concedere dignatus[a] fuerit, per eos, quos auditionem[b] .... aestimare possum, certare curabo; quemadmodum et te erga meam pusillanimitatem fiduciam habere cognosco. De recuperanda corporis salute licet nunquam sit desperandum, quia potens est Deus de creatura sua facere quicquid voluerit, tamen melius est uni cuique nostrum ad certa se praeparare, quam propter incerta[c], quod necessarium est, velut meliora sperando[d], neglegere. Opto, ut semper bene valeas in Domino.

---

5. *Ludovicus I imperator Emeritanos cohortatur, ut Abdiraman II regi Cordubae repugnare pergant. Auxilium offert.* (DT 39)

In nomine domini dei et salvatoris nostri Iesu Christi. 828-829?
N. divina ordinante providentia imperator augustus omnibus primatibus et cuncto populo Emeritano in Domino salutem.

Audivimus tribulationem vestram et multimodas angustias, quas patimini per crudelitatem regis Abdiraman[e][1], qui vos per nimiam cupiditatem rerum vestrarum, quas[f] vobis auferre conatus est, sepissime violenter oppressit. Sicut et patrem eius Abolaz[2] fecisse comperimus; qui iniustis superpositionibus censum, cuius debitores non eratis, sibi vos solvere[g] cogebat et propter hoc de amicis inimicos et de obedientibus sibi contrarios atque inobedientes effecerat[h]; quia et libertatem vobis tollere et iniustis censibus ac tributis vos honerare[i] atque humiliare molitus est. Sed, ut audivimus, vos semper sicut viri fortes iniurias ab iniquis regibus vobis inlatas fortiter reppulistis[k] et crudelitati atque aviditati[l] eorum viriliter restitistis. Quod et vos modo facere, multorum relatione didicimus[m].

a. dignatus sum fuerit *c.* b. auditionē *c.* c. incerto *c.* d. speranda *c.* e. abdiranā c. f. quas *evanuit.* g. vos solvere *scripsi pro* uoluere *c.* h. efferat *c.* i. honorare *c.* k. reppulisti *c.* l. aviditate *c.* m. diditimus *c.*

1. II regis Cordubae, 822—852. 2. regem Cordubae, 796—822.

828-829? Quapropter complacuit nobis, ad vos has litteras dirigere vosque consolari atque exhortari[a]: ut in ea, qua cepistis, libertatis vestre defensione contra crudelissimum[b] regem perseveretis, et furori atque sevitiae illius, (ut) hactenus fecistis, cedere non dignemini. Et quia idem rex certissimus adversarius et inimicus tam noster quam et vester est, communi consilio contra sevitiam[c] eius dimicemus.

Volumus enim cum Dei omnipotentis adiutorio proxima estate exercitum nostrum ad marcam nostram mittere, ut ibi praeparatus sedeat et exspectet, donec vos mandetis, quando promovere debeat; si ita vobis bonum visum fuerit, ut propter vos adiuvandos eundem exercitum contra communes[d] inimicos nostros, qui in marca nostra resident, dirigamus ad hoc, ut, si Abdiraman[e] vel exercitus eius contra vos venire voluerit, isti per nostrum exercitum inpediantur, ut illi et exercitui eius in adiutorium contra vos venire non valeant.

Nam certos vos facimus: quod, si ab illo vos avertere et ad nos convertere volueritis, antiqua libertate vestra[f] plenissime et sine ulla diminutione vobis uti concedimus[g]; et absque censu vel tributo[h] inmunes vos esse permittimus; et non aliam legem, nisi[i] qua ipsi vivere volueritis, vos tenere iubemus; nec aliter erga vos agere[k] volumus, nisi ut vos amicos et socios in defensione regni nostri honorifice habeamus. Optamus, vos in Domino semper bene valere.

---

6. *Einhartus Amalhario presbytero Mettensi scribit de obeunda legatione imperatoria.* (DT 3)

828—829 Reverentissimo Christi famulo Amalhario[1] E(inhartus) p(eccator).

a. eahortari *c.* b. crudolissimum *c.* c. servitiam *c.* d. commures *c.* e. abiramā *c.* f. urām *c.* g. concedimus *evanuit in cod.* h. censum vel tributum *c.* i. legem nisi *evanuerunt.* k. ager *evanuit.*

1. presbytero Mettensi, qui in prologo libri de ordine antiphonarii (ap. Migne Patrolog. T. CV p. 1243) de legatione sua haec retulit: „Nam quando fui missus Romam a sancto et christianissimo imperatore Ludovico ad sanctum et reverendissimum papam Gregorium (IV, 827—844)“ ....

Nescio, quis praevenit adventum pueri vestri — qui mihi 828—829
litteras vestras attulit — et effecit, ut tibi mandaretur, quatinus proximo palmarum die ad imperatorem venisses. Sed postquam istas[a] litteras vestras accepi et imperatorem[b] de his, quae voluisti, interrogavi, praecepit mihi vobis scribere: ut sanctum pasche diem domi celebrassetis[c], et ceterum comitatum vestrum post vos venire iuberetis, eo modo ut, quando ille ad vos in palatio venisset, mandatis acceptis et ratione legationis vestrae vobis insinuata, sine mora iter vestrum adgredi valeatis. Opto, ut semper bene valeatis in Domino.

---

7. *Einhartus (ut videtur) Lotharium I imperatorem admonet, ne ad invitum patrem Ludovicum I imperatorem accedat.*

(DT 34)

Vivat[d] domnus meus piissimus augustus in perpetuum. 830 ineunte

Quantam curam et solicitudinem erga magnitudinem vestram mea pusillitas gerat, non facile verbis explicare valeo. Quoniam aeque vos atque piissimum dominum meum, patrem vestrum, semper dilexi; et aequaliter ambos salvos esse volui, postquam
vos in societatem nominis et regni consensu totius populi sui 817
adsumsit meaeque[e] parvitati praecepit, ut vestri curam gererem ac vos de moribus corrigendis et honestis atque utilibus sectandis sedulo commonerem. Sed licet in his meam operam minus quam debuit utilem vobis sitis experti, tamen voluntas fidelis[f] non defuit nec adhuc quidem deest. Quae me tacere non permittit[g]; quin potius cogit, ut vos de vestra salute[h] commoneam et in quibus periculum vestrum cavere debeatis breviter aperiam.

Pervenisse ad parvitatis meae notitiam, magnitudo vestra[h] cognoscat: quod quidam homines, sua potius quam vestra[i] commoda querentes, mansuetudinem vestram sollicitent vobisque persuadere conentur: ut, postposito paterno consilio et oboedientia

a. istas *evanuit.* b. imperm *c.* c. celebrasetis *c.* d. *Initium epistolae huius* „Vivat — sua potius quam vestra" *iterum legitur* (2) *in cod. fol.* 20 *v.* e. meaque *c,* meaeque *c* 2. f. fidelu *c,* fidelis *c* 2. g. permittat *c,* permittit *c* 2. h. salute — magnitudo vestra *om. c.* i. urām *c,* urā *c* 2. *Hic desinit huius epistolae fragmentum in c* 2.

830 ineunte debita derelicta, locum vobis ad regendum atque custodiendum a piissimo genitore vestro commissum[1] dimittatis, et ad illum ipso invito et neque volente neque iubente veniatis, et apud eum, quamvis illi non placeat, permaneatis. Quo quid perversius vel indecentius[a] excogitari potest? Videte, qualis sit et quantum mali habeat ista persuasio. In primis siquidem, ut meae pusillitati videtur, hortatur vos: ut Dei praeceptum, quo parentibus honor exhiberi iubetur, parvi pendatis, et longevitatem, que pro remuneratione conservati mandati promittitur, pro nihilo habeatis; deinde, ut, abiecta oboedientia, inoboedientiam pro illa adsumatis, et contra eum, sub quo subiectionem humiliter vos agere debueratis, per elationem contumaciter erigatis; tum, ut[b] per contemptum et inoboedientiam, caritate[c] depulsa, discordia, quae nunquam inter vos vel nominari[d] debuit, in tantum excrescat, ut, inter quos amor esse debuit, odium enascatur. Quod ne eveniat[e], summopere cavendum est. Credo enim, prudentiam vestram minime[f] latere, quanta abominatio[g] sit[h] aput Deum filius contumax et parentibus inobediens; cum eum Deus, sicut in deuteronomio legere potestis, per Moysen ab omni populo lapidari praecepit[2]. Quapropter admonendum censui ne[3] pietatem[i] vestram: ut per prudentiam a Deo vobis concessam caveatis periculum vestrum; neque arbitremini, hanc divinam sententiam posse[k] a quolibet contempni[l], licet in veteri lege conscripta sit. Est enim una de multis, quas maiores ac doctores[m] nostr .... cum[n] videlicet patres tam praesentibus quam priscis temporibus, tam christianis quam Iudeis observandas esse censuerunt. Amo vos, Deus scit, et ideo tam fiducialiter ammoneo. Nec vos inutilitatem[o] personae ammonentis sed salubritatem consilii considerare debetis. Opt̄.

a. indecontius *c.* b. tit *c. pro* ut. c. caritatē *c.* d. nominat *c.* e. veniat *c.* f. minimus *c.* g. abiornatio *c.* h. sit *evanuit in c.* i. ne pietatem *scripsi pro* neptitatem *c.* k. possit *c.* l. contempti *c.* m. toctores *c.* n. n̄r̄ .... cū *c. an* nostrum omnium? o. utilitatem *c.* *Cf. supra:* Sed licet in his meam operam minus quam debuit utilem vobis sitis experti.

1. Italiam. 2. Deut. 21, 21. 3. nae!

8. *Einhartus Iudithae Ludovici I imperatoris uxori scribit, se propter valetudinem ad eam non venisse. Petit concedat, ut ad S. Bavonem se conferat.* (DT 40)

Cognoscere dignetur piissima domina nostra, quod ego servus 830 Mart. Apr.
vester, postquam de Aquis exivi, tantis corporis incommodis affectus sum, ut de Traiecto vix decimo die pervenire possem ad Valentianas. Ibi me tam magnus renium simul ac splenis[a] dolor invasit, ut ne unum quidem miliarium in integro die valeam equitando conficere[1].

Quapropter supplico pietati vestre, ut mihi liceat cum gratia vestra navigando ire ad Sanctum .N.[2] ibique iacere, quo usque mihi Deus omnipotens vires ad iter faciendum dare dignabitur. Nam cum primum[b] equitare potuero, vel ad vos vel ad domnum imperatorem[3] venire festinabo; utrum vobis placuerit, ut faciam. Nunc autem[c] umiliter deprecor pietatem vestram, ut me aput misericordissimum dominum meum, cum ad illum veneritis, excusare dignemini de eo, quod ad vos non veni. Deus testis est: quod de infirmitate mea[d] nullam falsitatem vobis scripsi; et non solum hoc sed etiam, quod multo graviora sunt alia quedam incommoda, que patior in memet ipso; de quibus nisi cum fidelissimo nullam possum habere locutionem.

Hoc tamen scitote, quod maiorem vobis coram Deo mercedem in praesenti adquirere non potestis, quam si effeceritis, ut mihi liceat ad servitium sanctorum Christi martyrum[4], cum primum valuero, festinare. Possum enim illuc in quindecim diebus de Sancto .N. navigando pervenire.

---

9. *Einhartus quendam rogat, ut se apud Ludovicum I imperatorem excuset, quod ob aegrotationem obviam ei non venerit. Litteras poscit.* (DT 41)

Si me inbecillitas corporis non inpediret, non has litteras 830 Apr.

a. plenis *c.* b. Nam cum primum est equitare *c.* c. ḣr *c.* d. meae *c.*

1. Itaque Valentianis scripta haec epistola est. 2. ad Sanctum Bavonem Gandensem. 3. Ludovicum I. 4. Marcellini et Petri.

830 Apr. mitterem, sed potius ipse venirem et in his, quae[a] aput vos aguntur, simul vobiscum essem. Nunc autem[b] in magnis angustiis positus, oro benignitatem vestram, ut aput piissimum dominum et imperatorem nostrum pro me intercedere dignemini.

Nam iussit me[c] regina[1], quando de Aquis egressa est, qui simul cum ea ire non poteram, post se ad Compendium venire. Cuius praeceptis obtemperans, cum magna difficultate vix in decem diebus veni ad Valentianas. Inde, qui iam equitare non valui, usque ad Sanctum .N.[2] navigavi.

Nam et nimia ventris solutio et renium dolor sic in me alternando sibi succedunt, ut nulla dies fuerit, postquam de Aquis[d] promovi, quin[e] hac vel illa infirmitate[f] laborarem. Sunt pariter hec et alia, que mihi ex illo morbo, in quo anno praeterito[3] iacui[g], contigerant: dextri videlicet femoris[h] continuus torpor ac splenis pene intolerabilis dolor. His passionibus affectus, valde tristem ac pene omni iucunditate carentem duco vitam; in eo maxime, quod timeo, me aliubi[i] quam velim et aliud[k] agentem, quam sanctis Christi martyribus servientem, esse moriturum.

Quapropter adiuro vos et obtestor per beatos Christi martires Mar(cellinum) et Petrum: ut pro mea parvitate aput piissimum imperatorem[4] intercedere dignemini, (ne) mihi succensere[l] velit pro eo, quod illi, sicut hii qui potuerunt, in occursum[m] non venissem. Venissem[n] utique, si potuissem[o]; et veniam, cum primum potuero; et, sive absens sive praesens, fidelis ei permanebo.

Precor igitur karitatem vestram: ut, tam de[p] actis quam agendis aput vos rebus per litteras vestras me, quanto celerius potueritis, certum facere dignemini. Opto, ut semper bene valeatis in Domino.

a. quē *c.* b. ḣ *c.* c. mei *c.* d. Aqui *c.* e. qui in *c.* f. illā firrmitatem *c.* g. lacui *c.* h. fomoris *c.* i. aluıb: *c.* k. aliut *c.* l. suscensere *c.* m. hoc cursum *c.* n. Venissem *addidi.* o. potu *non distincte* legitur. p. di *c.*

1. Iudith. 2. ad S. Bavonem Gandensem; unde haec epistola missa est. 3. a. 829. 4. Ludovicum I.

Omnia, que nunc in hoc regno geruntur, revelantibus Christi martyribus ante biennium, futura praedicta[a] sunt[1]. 830 Apr.

---

10. *Einhartus a Ludovico I imperatore petit, ut sibi domum reverti liceat.* (DT 42)

Magno domino servus modicus. 830 Apr.

Memorem esse[b] dominum meum piissimum, quomodo mihi[c] licentiam dedistis: ut, quando domina mea[2] ad vos pergeret, tunc ego ad beatorum Christi martyrum servitium faciendum[d] proficiscerer. Sic facere volui.

Sed domina mea iussit, me post se ad[e] Conpendium venire. Et ego, iussis eius obediens, cum primum caballos meos habere potui, post illam ad Conpendium pergere coepi. In qua profectione, splenis simul ac renium dolore correptus[f], in tantum affectus sum, ut vix in decem diebus de Traiecto ad Valentianas[g] venissem[h]. Ibi cum me iam equitare non posse sentirem[i], venia nacta[k] ad Sanctum .N.[3] navigandi ......[l].

Atque ibi nunc in magnis angustiis ac doloribus positus, queso atque oro: ut pietas vestra mihi licentiam dare dignetur pergendi ad locum, in quo piorum patronorum vestrorum[m][4] sacrata corpora requiescunt. Possum enim illuc navigio in quindecim diebus de Sancto .H. venire. Magnam vobis coram Deo mercedem comparare potestis, si me ad servitium sanctorum suorum ire permittitis; si tamen illo vivus pervenire potuero. Credo, quod illi sancti martyres pro vobis aput Deum intercedere debeant[n], si eorum servitium vestro servitio[o] anteponere volueritis. Nam ego in nullo alio loco regni vestri maiorem profectum vobis facere possum quam ibi; si me ad hoc adiuvare volueritis.

a. praedicti *c.* b. puto *vel quid simile excidisse patet.* c. mihi *evanuit.* d. fauendum *c.* e. ad *non certe legitur.* f. *non legitur nisi* dolo ... orr ... s in *c.* g. Valentias *c.* h. ueniss *evanuit.* i. sentire in *c.* k. nave *c.* l. *evanuerunt sex fere litterae.* m. patrū nrm̄ urorum *c.* n. elebeant *c.* o. ure servatio *c.*

1. Cf. Hist. translationis SS. Marcellini et Petri c. 39 ap. Teulet Einharti opp. II 260. 2. Iudith. 3. ad S. Bavonem Gandensem. 4. Marcellini et Petri.

11. *Einhartus episcopum quendam rogat, curet, ut sibi ad Lotharium imperatorem venire liceat. Eidem diligenter commendari vult.* (DT 43)

830 c. Mai. Domino sancto et merito venerabili .N. reverentissimo episcopo E(inhartus) p(eccator).

Omnipotenti deo et domino nostro Iesu Christo, quantas valeo, gratias agere non cesso, quia gloriosissimum et a Deo conservatum semper conservandum dominum meum Hl(otarium) augustum salvum et incolomem, ac te mihi karissimum una cum illo, de Italia venisse cognovi. Et opto atque oro, ut ille me cito permittat illo venire, ubi vestra corporali praesentia perfrui merear.

Tamen interim parvitatem meam tue karitati ac per te illius pietati commendo. Ac deprecor, ut ex nullius persuasione sinistri aliquid de mea pusillitate suspicari dignemini. Testor Deum et sanctos martyres Marcellinum ac Petrum, quod amorem et devotionem, qua erga vos affectum[a] me esse scio, verbis explicare non valeo. Et ideo fiducialiter peto, ut, cum venero, tales vos erga me invenire merear, qualiter me de vobis meritum esse non dubito. Opto, sanctitatem vestram, nostrae imbecillitatis memorem, in Christo semper bene valere.

---

12. *Einhartus G. comiti, qui domum redeundi licentiam sibi impetraverit, gratias agit. Petit, ut sibi adsit apud utrumque imperatorem. Pictorem quendam commendat.* (DT 45)

830 c. Mai. Dilectissimo fratri G. glorioso comiti atque optimati E(inhartus) sempiternam i(n) D(omino) s(alutem).

Semper benivolam erga me sensi dilectionem vestram, sed nunquam plus quam modo, quando mihi licentiam inpetrastis pergendi ad servitium sanctorum Marcellini et Petri. Qui ob hoc factum apud Deum intercessuri sunt[b]. Et ideo benignitati vestrae, quantas valeo, gratias ago.

Et obnixe deprecor, ut secundum bonam consuetudinem vestram pro me semper esse dignemini tam apud dominum

a. affectam *c.* b. intercessuris *c. pro* intercessuri *ŝ.*

imperatorem quam aput filios eius; maximeque aput domnum 830
Hl(otarium) iuvenem augustum, in cuius pietate licet inmeritus c. Mai.
magnam[a] habeo fidutiam.

Ceterum rogo vos, ut pro[b] N. pictore, devoto iuniore vestro, mercedem habere velitis. Et eum adiuvare et apud[c] domnum imperatorem pro illo intercedere dignemini, si congruum locum videritis; ne per cuiuscumque[d] invidiam beneficium suum amittat, quod dominis suis bene serviendo adquisivit. Mihi non est necesse vobis nominare, qui sint illi, quos in hac causa timeat; quoniam eque[e] mihi ac vobis noti sunt. Tantum rogo, ut, in quantum potestis, eum adiuvare dignemini. Opto[f], ut semper bene valeatis in Domino[f].

---

13. *Einhartus ex E. quaerit, ubi conventus generalis habendus sit numque Lotharius I imperator in Italiam sit reversurus.* (DT 44)

Domino sancto ac merito venerabili[g] E. E(inhartus) sempi- 830
ternam salutem[h]. medio anno

Quamvis perplura sint, de quibus[i] cognoscendis mihi cura esse potest, duo tamen sunt, quorum me in praesenti maior curiositas tenet. Unum, ubi et quando generalis ille conventus habendus sit; alterum, si domnus Hl(otarius) in Italiam[k] reverti aut cum patre manere debeat. De his duobus certum me facere benignitas tua[l] non gravetur. Nam horum notitia plus quam ceterarum rerum, que apud vos aguntur, indigeo; quoniam ex his pendet, quid ego facere debeam, si divina pietas mihi favere dignabitur, ut aliquid utilitatis facere valeam. Opto, ut te, amicorum meorum amantissime, bene valentem cito videre merear[m].

a. magnū *c.* b. ut pro *evanuerunt in cod.* c. et apud *evanuit.* d. uiuscumque *evanuit.* e. equa *c.* f. o. u. s. p. b. u. i. d. *c.* g. venerabilis *c.* h. S. S. *c.* (*pro* sempiternam salutem). i. quibus *evanuit.* k. in Italia *c.* l. *nihil iam legitur nisi* b . . . . a (*pro* benignitas tua). m. mear *c.*

---

14. *Einhartus Ludovicum I imperatorem rogat, ut ecclesiam SS. Marcellini et Petri bonis augeat sibique rerum publicarum vacationem concedat.* (T 71)

830? Quamvis certissime credam, piissimum dominum meum semper memorem esse patronorum suorum beatissimorum Christi martyrum M(arcellini) et P(etri), qui occulto Dei iudicio, Roma relicta, ad exaltationem et protectionem regni vestri in Franciam venerunt et pro qua nescio causa apud me peccatorem hospitari dignati sunt, mihi tamen magna incumbit necessitas, ut vos de causis ad eorum honorem pertinentibus crebro commoneam; ne forte periculum ac detrimentum animae meae incurram, si de illa ammonitione neglegentior quam oportet extitero. Et licet illi sint misericordissimi, qui etiam percussori suo pepercerunt, regem tamen eorum dominum nostrum Iesum Christum, pro cuius amore mori non dubitaverunt, offendere timeo, si in exhibendis eorum cultui congruis honoribus me segniter agentem invenerit.

Proinde, piissime domine, excellentiam vestram humiliter ammoneo et peto, ut recordari dignemini de illa commutatione loci, in quo veneranda martyrum corpora requiescunt, quae cum Otgario episcopo[1] facta est; et eum[2] illis proprium efficiatis, pro quo liberando proprium vestrum Sancto Martino[3] tradidistis.

Item ammonere praesumo misericordiam vestram de illis meis petitionibus, quibus tunc, quando imminentis[a] viciniam mortis exhorrui[4], vobis suggessi: ut aliquid de nostris[b] beneficiis ad sustentationem eorum, qui iuxta sacratissima sanctorum (martyrum corpo)ra Deo deservituri sunt, eisdem mitissimis patronis vestris dare dignaremini; qualiter tunc vestris benignissimis promissionibus spem mihi fecistis, quod desiderio meo fraudari non deberem, et non solum in hac causa sed etiam in eo, ut his, quos ad servitium vestrum enutrivi, misericordiam vestram inpendere et eos de ipsis beneficiis adiuvare deberetis.

a. imminentis *non distincte legitur.* b. nostris *non clare legitur.*

1. archiepiscopo Moguntino, 826—847. 2. locum. 3. Moguntino. 4. anno 829. V. ep. 9 supra p. 448 n. 3.

Certissime confido, quod in hoc et Deum et sanctos eius pro- 830?
mereri debeatis, si me voti mei compotem in hac causa efficere dignamini.

Item rogo, ut cogitare atque pensare dignemini, quae merces vos apud Deum maneat et laus coram saeculo vobis adcrescat, si per vos et in diebus vestris locus requietionis sanctorum martyrum tam in aedificiis quam in aliis necessariis rebus fuerit auctus ornatus et excultus; ut etiam exstructio eius nomini vestro adscribatur, simulque et vestra et martyrum memoria ore omnium populorum perpetua mentione celebretur.

Ad extremum rogo et obnixe deprecor magnam mansuetudinem vestram, ut super me miserum et peccatorem, iam senem et valde infirmum, misericorditer ac pie respicere dignemini, et a curis saecularibus absolutum ac liberum fieri faciatis; meque permittatis, in pace et tranquillitate iuxta sepulchra beatorum Christi martyrum, patronorum videlicet vestrorum, sub defensione vestra in eorundem sanctorum obsequio et dei ac domini nostri Iesu Christi servitio consistere; ut me illa inevitabilis atque ultima dies, quae huic aetati in qua modo constitutus sum succedere solet, non transitoriis ac supervacuis curis occupatum sed potius orationi ac lectioni vacantem atque in divinae legis meditatione cogitationes meas exercentem inveniat.

---

15. *Einhartus sacerdoti cuidam Eburonem commendat. De commutatione rerum publicarum addit.* (DT 29)

Domino sancto et merito venerabili[a] .N. summi Dei sacerdoti 830?
E(inhartus) p(eccator).

Venientem ad nos Eburonem propinquum et fidelem vestrum[b] gratanti[c] animo suscepimus; estimantes, eum diutius aput nos esse mansurum. Sed quia ille ad vos redire festinat, noluimus illum sine litteris nostris dimittere, ne, si vacuis[d] manibus rediret, ad[e] nos venisse non putaretur. De his tamen causis, unde se certi aliquid ...... allaturum existimavit, nihil vobis

a. veñ *c.* b. urãm *c.* c. gratantio *c.* d. euacuis *c.* e. a.. *c.*

830? certi significare aut per illum indi(care) possum. Quoniam[a] mutatio[b] rerum, quae nuper in hoc regno facta est, in tantum nos (con)turbavit, ut penitus ignoremus, quid agere debeamus; nisi ut secundum verba Iosaphat oculos nostros ad Dominum dirigamus[1], et iuxta verba Filonis imploretur (divin)um, quando humanum cessat auxilium. Ipsum autem latorem praesentium Eburonem, quamvis vobis[c] propinquus sit karissimus[d], vestrae electioni commendamus. Confidimus[e] enim in Deo, licet nunc fieri non posset, quod eum iterum, opitulante divina clementia, letum et hilarem oportuno tempore ad vos remittere debemus. Optamus, ut sanctitatem vestram, bene valentem et nostri memorem, divina gratia semper et ubique custodiat.

---

16. *Einhartus abbatem quendam rogat, ut Eburonem episcopo et abbati cuidam commendet.* (DT 35)

830? Domino sancto et merito venerabili[f] .N. reverentissimo abbati N. p(eccator).

Amicorum meorum revelatione didici, .N. — abbatem an episcopum nominare debeam ignoro; quis ille sit, vos optime nostis — quod in rebus ad suum profectum pertinentibus vestro salubri et prudentissimo soleat uti consilio. Quapropter visum est mihi vestram sanctitatem precari, ut aput memoratum virum pro nepote ipsius Eburone, qui nunc Metis[g] moratur[h], loqui eumque[i] rogare dignemini, ut eum spe quam illi fecerat non fraudaret, sed potius in promissa ei erga se benignitate[k] permanere vellet. In eo videlicet, ut in paupertatem constitutum[l] de facultatibus suis adiuvare dignetur; ut propter penuriam et indigentiam rerum necessariarum[m] necessitas illi non eveniat illum locum amittendi, in quo eum ipse constituit. Quod profecto eveniet, nisi ab[n] eo, ne eveniat, fuerit ante pro(visum. Proc)li-

a. quā *c.* b. mutuo *c.* c. nobis *c.* d. karissimum *c.* e. consudimus *c.* f. uen̄ *c.* g. metā *c.* h. moratū *c.* i. eūquē *c.* k. benignitatē *c.* l. constitutā *corr. in* constitutū *c.* m. necessarium *c.* n. hab *c.*

1. 2 Paralip. 20, 12: „Sed cum ignoremus, quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te“.

viter autem[a] provideri poterit, si in promissis suis, quibus eum ad sibi consentiendum (induxit[b]), permanere voluerit. Opto, sanctitatem vestram, nostrae pusillitatis memorem semper in Christo, bene valere in Domino. 830?

17. *Einhartus ab Egilolfo et Hunberto petit, ut Gerberto beneficium, a Wolfgario episcopo Wirzeburgensi datum, concedant, donec novus episcopus creetur.* (DT 6)

Dilectissimis in Christo fratribus et devotis Christi famulis Egilolfo et Hunberto[1] eternam in Domino salutem. 832 post Nov. 12

Scio, vos non latere, quod bone memoriae Wolfgarius episcopus[2] me petente beneficiavit homini nostro Gerberto in pago Dubargawe in loco, qui dicitur Asgbah, de ratione sancti Cyliani mansos 3 et mancipia 12. Sed quia hoc diutius manere non potuit nisi dum ille in corpore vixit, precor benignitatem vestram: ut memoratum Gerbertum illud[c] beneficium habere permittatis, sicut modo habuit, usque dum in hac sede episcopus fuerit ordinatus; et inter me et illum convenerit, quid de ipso beneficio fieri debeat in futurum. Opto, ut semper bene valeatis[d] in Domino.

18. *Einhartus A. missum dominicum monet, ne homines suos, qui iussu imperatoris in custodia maritima fuerint, heribannum solvere cogat.* (DT 22)

Dilecto fratri et amico A. misso dominico E(inhartus) sempiternam in Domino salutem. 832?

Putabam, tibi bene cognitum[e] esse, quod homines nostri, quos in istis partibus habemus, secundum ordinationem et iussionem[f] domni imperatoris ad custodiam maritimam fuerunt, non solum eo tempore quando ille ....am[3] profectus est sed etiam quando Aurelianos perrexit. Et ideo non videtur mihi

a. ľ *c.* b. induxit *addidi.* c. illud de *c.* d. ualetis *c.* e. cognitum *evanuit.* f. et iussion *evanuit.*

1. paulo post ep. Wirzeburgensi (832—842). 2. Wirzeburgensis, qui obiit die 12 Nov. 832. 3. an „in Baioariam"?

832? iustum esse, ut heribannum solvere debeant, qui non aliubi fuerunt, nisi ubi ipse imperator praecepit. Et ideo precor dilectionem tuam, ut nobis spacium inde dones, donec domnus imperator venerit. Et nos illum ammonebimus de iussione sua; et ille tunc praeceperit, qualiter illi placuerit. Opto, ut semper bene valeatis in Domino.

---

19. *Quidam a Ludovico II rege Germanico petit, beneficium quoddam a se haberi patiatur, donec Lotharius I imperator sibi permiserit, ut in eius ditionem cedat.* (T 53)

833? .... (do)mini mei gloriosissimi regis, ne contra me indignemini, quod neque .... (neque post)ea ad vestram[a] veni praesentiam. Non enim hoc feci propter iniuriam vestram, vel[b] de (contumacia. Sed in)firmus eram et febribus laborabam, sicut adhuc facio. Et vix (potui ad praesenti)am domini Hl(otharii) fratris vestri pervenire et, accepta ab eo licentia[c] .... (redi)re, quando et ille a vobis ambobus absolutus est. Quod autem[d] me .... (non o)b aliud feci, nisi quod, divisione regni inter vos facta[e], qualis (esset ignorabam. Fuer)at enim fama, quod illa porcio orientalium plagarum[f] Francorum .... (ubi) parvum beneficium habeo, ad regnum domni Hl(otharii) pertinere(t) .... precor clementiam vestram, ut me permittatis habere et uti ipsum (beneficium, donec) a domno Hl(othario) licentiam accepero ad vos veniendi et in vestras (manus me com)mendandi; si hoc ullatenus impetrare potuero. Fidelis enim vo(bis ero et parat)us ad vestrum[g] venire servitium, si Deus mihi vitam et sanitatem conce(dere digna)bitur.

a. vestram *addidi.* b. uae[l] *c.* c. licentiā *c.* d. ħ *c.* e. facti *c.* f. plagum *c.* g. urām *c.*

20. *Einhartus Ansgisum abbatem Fontanellensem rogat, ut cuidam beneficium a sese datum ad tempus concedat.* (DT 1)

Dilectissimo in Christo fratri Ansgiso venerabili[1] sempiternam in Domino salutem. 823—833

Obsecro dilectionem tuam, ut non graviter sed potius misericorditer et amicabiliter accipere digneris, quod apud te pro necessitate[a] .... quondam hominis nostri, nunc autem hominis domni Lotharii[b], intercedo: ut eum beneficium, quod ego illi dedi[2], sub qualicumque censu tibi placuerit, habere permittas; usque dum nos illi de altero beneficio ex largitate dominorum nostrorum aliquam consolationem Domino adiuvante facere potuerimus. Habebitis me magis promtum atque devotum ad vestram voluntatem atque utilitatem perficiendam, si meas petitiones in hac causa adimplere dignamini. Opto, semper bene valeatis in Domino.

---

21. *Einhartus N. presbytero et N. vicedomino mandat de eulogiis Lothario I et eius uxori Hirmingardae offerendis.* (D 52, T 54)

(In Christi nomin)e. E(inhartus) abbas .N. presbitero et .N. vicedomino fidelibus[c] nostris in Domino salutem. 821—834

(Notum sit vobis), quia volumus, ut eulogias[d] praeparari faciatis secundum consuetudinem, sicut solet homo ad opus dominicum[e] facere, tam ad opus domni Hl(otharii) quam et H(irmingardae) coniugis eius. Et quando ille de Audriaca villa ad Conpendium reversus fuerit, tunc volumus ut ibi fiant praesentatae[f]. Et postea volumus ut per brevem nobis indicetis, qualiter illas vel ab illa fuissent receptas[g]. Bene valete.

a. *sequitur lacuna exigua.* b. *sequitur iterum* apud te. c. fidelis *c.* d. eulolias *c.* e. dominici *c.* f. p̄sentatas *c.* g. *sic.*

1. abbati Flaviacensi inde ab a. 807, deinde abbati Fontanellensi 823—833; cuius capitularia collecta v. Mon. Germ. LL. II 256 squ. 2. Einhartus enim ante Ansgisum coenobio Fontanellensi „per septem ferme annos" (816—823) praefuerat. V. Gesta abbat. Fontanell. Mon. Germ. SS. II 294.

22. *Einhartus Gozberto abbati S. Galli Bebonem commendat.* (DT 2)

816—836 Religioso Christi famulo Gozberto venerabili abbati[1] E(inhartus) p(eccator).

Precor, ut sanctitas vestra cognoscere dignetur de causa hominis istius, nomine Bebonis: quod ego beneficium illi dedi de monasterio sancti Chodowaldi propter hoc, quia[a] mihi bene serviebat; sed postquam eum domno Hlothario commendavi, impetravi a domno imperatore[2], ut ei confirmationem faceret de eodem beneficio ad dies vite suae. Propter hoc rogo et obsecro dilectionem vestram, ne illi permittatis aliquod impedimentum fieri de ipso beneficio, donec nos Domino volente vobiscum loquamur. Haec ideo vobis mando, quia[b] cognosco quorumdam hominum pravam voluntatem et infinitam cupiditatem, qui[c] de proximorum damnis nullam habent curam, in eo quod suae avidissime cupiditati satisfacere valeant. Opto, ut semper valeatis in Domino[d].

---

23. *Einhartus Hetti archiepiscopo Trevirensi reliquias sanctorum mittit. Addit, eius rei, de qua certior fieri voluerit, ignarum se esse.* (DT 10)

836? Domino sancto et merito venerabili Hetti reverendo[e] archiepiscopo[3] E(inhartus) p(eccator).

Sicut ex litteris sanctitatis vestre vos velle cognovimus, ita sine dilatione facere curavimus, mittendo videlicet vobis reliquias, quas vos habere velle ad dedicationem nove basilicae vestrae[4] scripsistis. Et quidem libenter id fecimus. Quia[f] talem fidutiam in vobis habemus, ut quecumque particula de sacris beatorum martyrum[5] cineribus ad vos pervenerit, talis ei honor exhibeatur,

a. qui *c.* b. q *c.* c. quae *c.* d. *verba haec* in domino *evanuerunt.* e. reueř *c.* f. q *c.*

1. S. Galli, 816—836. 2. Ludovico I. 3. Trevirensi, c. 814—847. 4. Maxime verisimile est, hanc basilicam eandem esse atque ecclesiam S. Castoris Confluentinam ab Hetti conditam dieque 12 Nov. 836 consecratam; de qua v. quae Thegani vitae Hludowici imp. addita sunt in Mon. Germ. SS. II 603. 5. Marcellini et Petri.

qualem totis eorum corporibus exhibere debueramus, nisi desidia 836?
et neglegentia a debito[a] illis honore retardaret. Quod autem per nos cognoscere voluistis, minime vos de his certiores reddere valemus. Quia[b] pene nihil inde ad nostram notitiam solet[c] pervenire; neque nos de his magnopere curiosi sumus[d], de quorum cognitione nullam utilitatem et parvam percipimus voluptatem. Optamus, sanctitatem vestram, nostrae inbecillitatis memorem, in Christo semper bene valere, sanctissime et reverentissime pater.

---

24. *Quidam Ludovico I imperatori de infausto cometae omine scribit*[e]. (D 56, T 61)

Novo et insolito siderum ortu[f] infausta quedam et tristia[g] 837
potius quam laeta[h] vel prospera miseris ventura significari mor- post Iun.
talibus, pene omnibus veterum aestimavit auctoritas. Sola sacri euangelii scriptura[1] salutarem nove stellae apparitionem fuisse testatur; quam Caldeorum vidisse sapientes et, recentem aeterni regis ortum de illius clarissimo fulgore conitientes, munera, tante maiestati convenientia, venerabiliter optulisse narrantur.

Sed eius stellae, quae nuper apparuit[2], horrida et parum laeta facies ab omnibus, qui eam se vidisse testati sunt, fuisse ac minaciter flagrasse nunciatur. Quae, ut reor, congrua meritis nostris praesagia fecit et cladem, qua digni sumus, venturam indicavit. Quid enim interest, utrum homine[i] vel (ange)lo[k] vel stella nuntiante imminens ira generi praedicetur umano? Hoc tan(tum est) necessarium, ut intellegatur, supervacuam non fuisse sideris (illius apparitionem), sed ammonuisse mortales: ut, poenitendo et Domini miseri(cordiam imprecando) futurum certent declinare periculum. Sic in predi(catione Ione prophete[3] subver)sio civitatis, quae per illum fuerat praenuntiata, hominibus

a. dibito *c.* b. q *c.* c. sc̄i et *c.* d. curiosissimus *c.* e. *Lemma:* Incipit epistula. f. ostii *c.* g. tristitia *c.* h. liceta *c.* i. hominem *c.* k. ...l̄o *c.*

1. Matth. 2, 2 squ. 2. die 11 Apr. 837. V. Annal. Fuld. 837 (Mon. Germ. SS. I 361) et Vita Hludowici imp. (ibid. II 642). 3. Ion. 3, 2 sq.

837 post Iun. (a via mala et ab iniquitate[1]) conversis divina miseratione dilata est. Fecitque Deus, (quod se facturum esse per Iere)miam prophetam promisit, cum eum in domum figuli (descendere ibique) iuxta operantem artificem sua verba iussit audire[2]. Quod et (nobis misericordem Deum) facere velle confidimus, si[a] similiter ut illi ex toto (corde veram penitentiam) agere non neglegemus.

Et o utinam clades illa, (quam) nuper (clas)sis Nordmannica partibus regni huius intulisse[3] dicitur, (tam) horrendi (sid)eris apparitionem expiare potuisset. Sed vere(or, ne quid no)vi oriundum (inde lugen)dum sit, quod tam ferali ostento significatum est, ... is gravem et a(ma)ram ultionem in semet ipsis ac suis omnibus experti fu.................... veniens validitate[b] tempestas tam vehementer incub(uit).

.... dominus meus piissimus imperpetuum et ꝙV. ū.

25. *Einhartus N. comiti scribit de conventu propter res Bavaricas habendo*[4]. (D 57, T 63)

839? Magnifico et honorabili atque inlustri viro .N. glorioso comiti E(inhartus) aeternam in Domino salutem.

Domnus imperator[5] mandavit per Dagolfum venatorem: .N. comes faceret convenire ad unum locum illos comites, qui sunt[c] in Austria, id est Hattonem et Popponem et Gebehardum et caeteros socios eorum, ut inter se considerarent, quid agendum esset, si aliquid novi de partibus Baioariae fuisset exortum. Tunc visum est illis bene esse, ut et tu et Atto in eodem placito fuissetis. Ideo rogant vos, ut consideretis atque illis mandetis, in quali loco videatur aptissimum[d] esse, ubi illis conloquamini[e]. N. videtur ut hoc bene esse possit.

a. si *addidi.* b. validita *c.* c. s *c.* d. aptissimus *c.* e. conloquamini *scripsi pro* conloquium nam *c.*

1. V. Ion. 3, 8. 2. Ier. 18, 2 sq. 3. die 17 Iunii 837. 4. Haec epistola anno 839 scripta esse videtur Dümmlero, Geschichte des ostfränkischen Reichs I 131 n. 68. 5. Ludovicus I.

26. *Ludovicus I imperator G. comiti mandat, ut praecepta ab H. misso suo delata diligenter curet.* (DT 19)

In nomine domini Dei et salvatoris nostri Iesu Christi. 814—839
H(ludovicus) divina ordinante providentia imperator augustus G. comiti.

Notum sit tibi, quia[a] volumus: ut, quando haec epistola nostra ad te venerit, statim sine ulla dilatione prepares te ad hoc, ut 15 Kal. Ianuarii id est 6[1] diebus ante nativitatem[b] Domini obviam misso nostro H. venias in villa nostra, quae dicitur Heilambrunno. Et quicquid ille tibi de verbo nostro simul cum aliis comitibus et fidelibus nostris ad faciendum iniunxerit, sic facere studeas et taliter exinde agas, qualiter in tua fidelitate bonam habemus fiduciam. Bene vale[c].

---

27. *Einhartus vicedomno mandat, ut sibi Aquisgranum venturo res ad victum necessarias paret.* (DT 23)

In Christi[d] nomine. Abbas E(inhartus) vicedomno et fideli ante 840
nostro salutem.

Notum sit[e], quia volumus: ut homines aliquos mittas ad Aquis, qui mansiones nostras emendent atque restaurent; et ea, quae nobis ibi necessaria sunt ad habendum[f], id est farinam bracem vinum formatem[2] et cetera, secundum consuetudinem tempore oportuno illuc venire facias. Boves vero, qui occidendi sunt, volumus ut facias ad Ludinacam venire et ibi occidere. Unum ex his volumus ut dari facias Hruotlouge; et illa minutalia atque interanea[g], quae ad nostrum opus servari non possunt, volumus ut dentur ad illam familiam quae ibidem est. Nos vero, Domino adiuvante si vita comes fuerit, volumus circa missam sancti Martini[3] ad palatium venire. Et ideo volumus, ut haec omnia iunioribus ecclesiae[h] nota facias, eisque ex verbo nostro praecipias, ut similiter de expensa nostra faciant, sicut te facere praecipimus. Bene vale.

a. q *c.* b. nt̄ *c.* c. b. u. *c.* d. xp̄o *c.* e. tibi *excidisse videtur.* f. hebendum *c.; an* edendum? g. iteranta *c.* h. .e. *c.*

1. immo 8. 2. caseum. 3. circ. 11 Nov.

---

28. *Einhartus cuidam mandat, ut ceram sibi mittat.* (DT 24)

ante 840 In Christi nomine. E(inhartus) dictus[a] abbas[b] N. in Domino salutem.

Notum tibi facimus, quia[c] cęra indigemus ad servitium nostrum. Et hoc in istis locis recuperare non possumus, quia[d] parvus proventus mellis fuit per hos duos annos in istis regionibus. Ideo volumus, ut tractes atque consideres cum .N., qualiter, si fieri potest, unam soumatam nobis venire faciatis simul cum vasallis nostris, qui ad nos de istis partibus post missam sancti Bavonis[1] revertuntur. Bene vale et ora[e] pro nobis.

---

29. *Einhartus R. rescribit, se nuntio quam membranae committere responsionem maluisse.* (T 56)

ante 840 Aug. 23 Karissimo filio R. E(inhartus) aeternam in Domino salutem. Is, quem ad me misisti, 10 Kalendas Septembres venit. Et quoniam de fide illius nihil[f] te dubitare scripsisti, (nullatenu)s, que ad te perferri volui, eidem comittere dubita(vi. Potius) enim fideli homini quam karte credendum iudico. Nam .... (mem)branam, si se ferenti elabitur, omne quod continet s..... .... at[g] nuntius fidelis nec tortus[h] sibi commissum prodit .... si adesses, dicere volui, huic fideli tuo familiariter .... in omnibus esse cognovi, praecipue quod nihil[f] ex his .... iniunxistis, aut dissimulavit aut[i] distulit. Opto, ut bene (valeas in Domino).

---

30. *Einhartus Geboinum comitem palatii rogat, ut Ludovici I imperatoris adeundi facultatem Davidi cuidam faciat.* (DT 9)

814—840 Dilectissimo fratri Geboino glorioso[k] comiti palatii E(inhartus) in Domino salutem.

Rogo dilectionem tuam[l], ut hunc pagensem nostrum nomine David, necessitates suas tibi referre volentem, exaudire

a. d̄ *c.* b. ab̄ *c.* c. q *c.* d. q *c.* e. ore *corr. in* ora *c.* f. nihhil *c.* g. ad *c.* h. tortur *c.* i. au *c.* k. glor̄ *c.* l. tuam *addidi.*

1. post 1 Oct.

digneris; et, si causam eius rationabilem esse cognoveris, locum 814—840
ei facias ad domnum imperatorem[1] se reclamare. Est enim idem homo domni Hlutharii; et ideo, non tantum propter petitionem meam, sed propter honorem et amorem senioris sui debes illum adiuvare. Opto, ut te sanum et incolomem cito videre merear.

---

31. *Einhartus Hruotberto comiti de Alahfridi hominis sui causa scribit.* (DT 11)

Magnifico et honorabili atque inlustri viro Hruotberto glo- 814—840
rioso comiti aeternam in Domino salutem.

Rogo benignitatem vestram, ut mihi mandare dignemini, quid vobis placeat, ut modo fieri debeat de causa Alahfridi hominis nostri: utrum ex toto dimittenda sit, an ille adhuc sperare debeat ad suam iustitiam per vestrum adiutorium pervenire mereatur? Nam ego totam causam, et qualiter a vobis apud[a] veraces homines inquisita est simul cum Adalhardo et Gebuino comitibus palatii, domno imperatori indicavi[b]. Et ille respondit mihi, mirum sibi videri, cur illa causa iam finita[c] non fuisset. Ideo precor dilectionem vestram, ut nunc[d] mihi mandare dignemini, quid praedictus homo noster de ipsa sua causa facere debeat. Opto, ut semper bene valeatis in Domino.

---

32. *Ludovicus I imperator H. fideli suo mandat, paret filium, qui Turones ad sese aut ad uxorem suam mittatur.* (DT 20)

In nomine domini dei et salvatoris nostri Iesu Christi. 814—840
H(ludovicus) divina[e] ordinante providentia imperator augustus H. fideli nostro.

Notum sit tibi, quod volumus: ut unum de filiis tuis vasallis nostris, quem tu noveris quod hoc melius facere possit, praeparatum esse iubeas, ut, quando R. comes et H. missus noster per illum nobis aliquid mandare voluerint, sine mora vel tarditate ad Turones pergere possit; quia ibi aut nos ipsos aut

a. apud *addidi.* b. indicavit *c.* c. situta *c.* d. nō *c.* e. divina *om. c.*

1. Ludovicum I.

814—840 dilectam[a] coniugem nostram Domino volente inventurus est. Vide, ut nullam exinde habeas neglegentiam, si gratiam nostram velis habere. Opto, ut semper bene valeas in Domino.

---

33. *Ludovicus I imperator T. fideli suo mandat, se expediat, ut Turones ad sese aut ad uxorem suam mittatur.* (DT 21)

814—840 In nomine domini dei et salvatoris nostri Iesu Christi. Hl(udovicus) divina ordinante providentia imperator augustus T. fideli nostro.

Notum sit tibi, quia[b] volumus: ut ad hoc te praepares, ut, quandocumque Hr̄t[c] comes et H. missus noster per te nobis aliquid mandare voluerint, statim sine mora vel aliqua tarditate cum ipso mandato ad Turonos pergere possis; quia ibi aut nos ipsos aut dilectam coniugem nostram Domino volente inventurus es. Vide, ut nullam exinde habeas neglegentiam, si gratiam nostram velis habere.

---

34. *Einhartus episcopo cuidam presbyterum quendam, qui beneficium Bavaricum amiserit, commendat.* (DT 48)

814—840 Domino sancto et merito venerabili[d] N. reverentissimo E(inhartus) p(eccator).

Iste presbiter nomine .N. rogavit me plurimum, ut pro illo aput vos intercederem, ut erga illum misericorditer agere dignaremini. Qui, sicut ipse asserit, in magna paupertate constitutus est, et nunc maxime, quando ipsum parvum beneficiolum, quod habuit in Baioaria, ablatum est ab illo et alteri datum. Et nunc nescit, quid agere vel qualiter seniori suo servire debeat, nisi per vestram intercessionem domnus Hl.[1] ei aliquod[e] solacium ad vitam praesentem sustentandam dare dignabitur. Opto, ut, mei memor, semper bene valeas in Domino et parvitatem meam piissimo imperatori[2] commendare digneris.

---

a. delectā *c.* b. q *c.* c. ĥrt *c.* d. veñ *c.* e. aliquid *c.*

1. sive Hlotharius, sive Hludovicus. 2. Ludovico I.

35. *Einhartus comitem quendam rogat, moveat imperatorem, ne iuvenis quidam beneficium Germanicum perdat.* (DT 28)

Magnifico et honorabili atque inlustri .N. glorioso comiti E(inhartus) aeternam in Domino salutem. 817—840

Rogo benignitatem vestram, ut hunc iuvenem .N. aput domnum imperatorem adiuvare dignemini, ut beneficium, quod ipse et frater suus habent, non perdant. Habent enim in pago Turnacense mansos 15 et ultra Renum mansos 5. Ipse vult cum beneficio, quod in Turnacense[a] est, servire domno imperatori; et ut frater suus cum illo, quod ultra Renum est, se ad .N.[1] commendet; et tamen communiter illud beneficium totum habeant. Sed ille non vult ei ad hoc consentire, nisi domnus imperator illi praecipiat. Nam, nisi hoc factum fuerit, perdunt illud beneficium, quod ultra Renum habent. Ideo precatur bonitatem vestram, ut inde domnum imperatorem rogare dignemini, ut fratrem eius sic facere iubeat. Et ipse paratus est facere firmitatem, qualem domno imperatori placuerit, quod beneficium suum communiter cum fratre suo habere[b] vult semper. Opto, ut semper bene valeatis in Domino.

---

36. *Einhartus Otgario archiepiscopo Moguntino mittit Werdricum monachum Fuldensem, propinquum suum, quem diaconum faciat.* (DT 4)

Domino sancto et merito venerabili[c] Otgario reverendo archiepiscopo[2] E(inhartus) p(eccator). 826—840

Frater iste nomine Werdricus de congregatione sancti Bonifacii est; et conversatur apud nos per licentiam abbatis sui[3], pro eo quod noster propinquus est. Quem ideo nunc ad vos mittimus, ut eum ad diaconatus officium ordinare iubeatis, si videritis hoc[d] canonicę fieri posse per talem rationem, quae continetur in epistola abbatis eius, quam nuper ad me, cum eum de eadem[e]

a. Turnacensa *c.* b. *sequitur* non *in c.* c. uenr̄ *c.* d. si uider...... *c.* e. eodem *c.*

1. Ludovicum II Germanicum regem. 2. Moguntino, 826—847. 3. Rabani abbatis Fuldensis, 822—842; postea archiepiscopi Moguntini.

826—840 causa consulerem atque rogarem, direxit. Quam etiam vobis per eundem fratrem ad legendum misi; in qua, ut arbitror, statim intellegere potestis, utrum illa consecratio modo fieri possit an in aliud tempus differenda sit. Oro et opto, ut sanctitatem vestram, sibi devote servientem, superna gratia semper et ubique custodiat, sanctissime ac reverentissime pater.

---

37. *Einhartus Popponem comitem rogat, ut duobus ferarum praedonibus parcat.* (DT 7)

828—840 Magnifico et honorabili atque inlustri viro Popponi gratioso[a] comiti[b] E(inhartus) in Domino salutem[c].

Duo pauperes[d] homines confugerunt ad limina beatorum Christi martyrum Marcellini et Petri, fatentes, se culpabiles esse. Qui in praesentia vestra convicti fuerunt de quodam furtu, quod commiserunt furando feramina in dominica foraste; cuius partem conpositionis iam solverunt, et adhuc solvere debent. Sed, ut asserunt, non habent unde solvere propter paupertatem suam. Proinde precamur benignitatem vestram, ut eis propter amorem Christi martyrum ad quos confugerunt, in quantum possibile est, parcere dignemini, ne penitus pereant per huiusmodi culpam, sed potius sentiant sibi apud vos profuisse, quod ad sanctorum martyrum sepulchra confugerunt. Opto, ut semper bene valeatis in Domino.

---

38. *Einhartus Otgarium archiepiscopum Moguntinum rogat, ut Hruadradum presbyterum Romam ire sinat eique retardationem ignoscat.* (DT 8)

828—840 Domino sancto et merito venerabili[e] Otgario[f] reverendo archiepiscopo[g].

Presbiter quidam nomine Hruodradus venit ad me dicens: se esse de fisco vestro Manniaco, et accepisse licentiam a corepiscopo vestro et ceteris fratribus Romam pergendi, et hoc in mense Martio; sed post, cum venisset ad Mogontiacum, non po-

a. grāt *c.* b. comt *c.* c. e. i. d. s. *c.* d. pauperes *non clare legitur.* e. veñ r *c.* f. .g.r.o. *c.* g. reueñ ren. episcopo *c.*

tuisse invenire homines, cum quibus illud iter peragere potuisset. 828—840
Ac propter hoc divertit ad quemdam pagensem nostrum, qui ei cognitus fuerat, nomine Hildebertus; et mansit apud eum, donec inveniret homines Romam euntes. Quos se nunc inventos habere dicit; et rogavit me, ut apud vos impetrarem ei licentiam illud iter peragendi. Vult enim, sicut ipse asserit, illud iter, quam celerrime potuerit, peragere et ad locum suum reverti. Propter hoc precor sanctitatem vestram: ut ei, sicut ipse rogat, licentiam donare dignemini; et ut illi non noceat, quod tam diu inter vias moratus est, quia, multis inpedimentis accidentibus, invitus fecit quod emendare non potuit. Optamus, sanctitatem vestram, nostrae inbecillitatis memorem, semper in Christo bene valere, sanctissime ac reverentissime pater.

---

39. *Einhartus Gerwardo, ut in palatium Aquense veniat hortanti, respondet. Monet, ut sibi de revelatione quadam rescribat.* (DT 14)

Dilectissimo fratri Gerwardo[1] E(inhartus) sempiternam in Domino salutem. 828—840

Dubium mihi est, utrum de te sentire debeam, quod aut litteras meas non intellexisses aut de periculo meo non curasses. Sed facilius in eum sensum adducor, ut arbitrer, propter aliquas occupationes scripta mea a te parum diligenter lecta et intellecta fuisse, quam ut credam, caritatem tuam comminati mihi periculi curam non habuisse.

Hortaris enim immo consilium das, ut, omissis[a] martirum excubiis, quibus indesinenter adesse et interesse iussus sum, palatium petam; cum mihi septem dierum absentia poenalis futura denuntiata sit. Quae non solum in mora in palatio facienda sed ne in itinere quidem[b], quod ad palatium pergendum est, caveri potest; praesertim a me, qui tam propter viae difficultatem quam corporis inbecillam valitudinem raro celerius

a. omisis *c.* b. quidem *addidi.*

1. Translatio SS. Marcellini et Petri cap. 67 (Einhardi opp. II 324): „Gerwardus, palatii bibliothecarius, cui tunc temporis etiam palatinorum operum ac structurarum a rege cura commissa erat".

828—840 quam septem dierum spatio de Aquis ad martyrum limina potui pervenire. Sed iam nunc rogo atque obnixe deprecor, ut scriptum, quod tibi misi, iterum relegere atque intellegere mihique, sicut te iam dudum per litteras meas rogavi, quid tibi de illa revelatione atque mandatis, quibus obstrictus sum, videatur, rescribere non graveris[a]. Non deerunt perlatores, si hoc, quod scripseris, Bonotto vicedomino nostro mittere volueris. Opto, ut semper bene valeas in Domino[b], karissime atque amantissime frater et domine.

---

40. *Boma Blidthrutem rogat, concedat Weniloni servo, ut, quam duxerit liberam, uxorem habeat.* (DT 15)

828—840 Dilectissimae sorori Blidthrut Boma[c] amica et bene cupiens tua aeternam in Domino salutem.

Quidam servus vester de Makesbah nomine[d] Wenilo quandam liberam feminam accepit sibi in coniugium; et modo, timendo iram vestram simul et domini sui Albuuini, confugit ad limina sanctorum Marcellini et Petri. Pro quo rogo caritatem tuam, ut mea vice apud illum intercedere digneris, quatenus ei liceat cum sua et tua gratia feminam illam, quam accepit, habere. Opto, ut semper bene valeatis.

---

41. *Einhartus ab Hattone comite petit, ignoscat Hunnoni, quod eo ignorante servam eius uxorem duxerit.* (DT 16)

De venia.

828—840 Dilectissimo amico nostro Hattoni glorioso comiti E(inhartus) eternam in Domino salutem.

Quidam homo vester nomine Hunno venit ad limina sanctorum Marcellini et Petri, veniam postulans pro eo, quod conservam suam ancillam vestram sibi in coniugium sociasset sine vestra iussione. Propter hoc precamur benignitatem vestram, ut a vobis indulgentiam de hoc facto percipere mereatur, si

a. graveres *c.* b. Opt. u. s. b. i. d. *c.* c. boma *c.; pro quo* Imma *legendum esse coniecit Pertzius, Mon. Germ. SS. II* 429 *n.* 48. d. .N. *c.*

delictum eius venia dignum fuerit inventum. Opto, ut semper bene valeatis in Domino. 828—840

42. *Einhartus Hrabanum abbatem Fuldensem rogat, ut Gundhartum militia immunem esse patiatur.* (DT 17)

Reverentissimo Christi famulo Hrabano venerabili[a] abbati[1] E(inhartus) p(eccator). 828—840

Quidam homo vester nomine Gundhartus rogavit, nos pro se apud vestram sanctitatem intercedere: ut sine offensione vestra immo cum gratia vestra sibi liceat iter exercitale, quod praesenti tempore agendum est, omittere ac domi remanere; asserens, se ad hanc remansionem magna cogi necessitate, pro eo quod faidosus sit; et cum inimicis suis et his, qui vite eius insidiantur, hoc iter agere non audeat, praesertim cum illo comite, cum quo ire iubetur; quem sibi dicit esse inimicissimum. Ideo rogat, ut eum in tantum periculum vestrae iussionis auctoritas non inpellat; sibi curae esse seque providere, ut cum exactore heribanni, si venerit et eum compellaverit, sine vestro labore se pacificet. Non vos rogarem de hac causa, nisi angustias eius atque pericula comperta haberem. Opto, ut semper bene valeatis.

43. *Einhartus Marchradum vicedomnum rogat, ut in Williramni et Otberti fratrem, qui socium suum occiderit, clementem se praebeat.* (DT 18)

De venia.

Dilecto amico nostro Marchrado glorioso vicedomno E(inhartus) aeternam in Domino salutem. 828—840

Duo servi Sancti Martyni de villa Hedabahc nomine Williramnus et Otbertus confugerunt ad limina beatorum Christi martyrum Marcellini et Petri, pro eo quod frater eorum quendam socium suum occidisset; rogantes, ut eis liceat solvere illum weregeldum pro fratre suo, et ut ei membra perdonentur[b]. Proinde rogamus dilectionem tuam, ut, in quantum possibile est,

1. Fuldensi 822—842. a. uen̄ *c.* b. ꝑdonentur *c.*

828—840 ei parcere digneris propter amorem Dei et sanctorum eius, ad quorum limina confugerunt. Opto, ut semper bene valeas in Domino.

44. *Einhartus episcopum quendam pro homicida quodam deprecatur.* (DT 25)

De venia.

828—840 Domino sancto et merito venerabili .N. reverendo E(inhartus) p(eccator).

Quidam servus Sanctae Mariae nomine .N., ad vestrae sanctitatis pertinens potestatem, venit ad limina beatorum Christi martyrum Marcellini et Petri, veniam petens pro scelere, quod commisit interficiendo socium suum propter scandalum, quod inter eos fuit exortum. Proinde precamur sanctitatem vestram, ut ob reverentiam eorundem martyrum, ad quorum limina confugit[a], ei parcere dignemini; ut, indulta membrorum integritate verberumque pena, liceat illi solutione pecuniae componere atque emendare, quod[b] mala voluntate commisit. Optamus, sanctitatem vestram semper in Christo bene valere, sanctissime ac reverentissime pater.

45. *Einhartus vicedominum Frideslariensem de negligentia reprehendit.* (DT 37)

828—840 In Christi nomine E(inhartus) N. vicedomino.

Miramur valde, propter quod[c] omnia sic remanere potuissent, sicut remanserunt, que tibi facienda commisimus[d]. Nam, sicut audivimus, de illa annona sive ad farinam[e] sive ad bracem faciendam, quam ad Mulinheim mittere debuisti, nihil misisti; nec aliud aliquid nisi triginta porcos, et illos ipsos non bonos sed mediocres, et tres modios de legumine; de cetero nihil[f]. Et non solum hoc, sed etiam illud[g], quod in toto hiberno isto nec te nec missum tuum aliquem videre potuimus, qui nobis aliquid de istis partibus adnuntiaret. Quodsi maiorem utili-

a. confugiit *c.* b. non *excidisse videtur.* c. quod quod *c.* d. commissimus *c.* e. ferinam *c.* f. nihhil *c.* g. illut *c.*

tatem[a] de Frideslare habere non possumus, nisi quantum tu nos inde habere ......, nescimus, cur illud beneficium habere debemus. Nunc ergo, si tibi de gratia nostra ulla cura sit, rogamus, ut neglegentiam tuam emendare studeas et nos cito certos efficias, quid de te sperare debemus. 828—840

---

46. *Einhartus abbati cuidam scribit de emendo plumbo, quo basilica SS. Marcellini et Petri tegatur.* (DT 46)

Summa veneratione dignissimo .N. reverentissimo abbati E(inhartus) p(eccator). 828—840

Sicut me petitionis meae memorem esse sic te promissionis tuae oblitum[b] esse non arbitror; licet multa et varia rerum inpedimenta postea accidissent, que illud colloquium nostrum non solum ad tempus sopire sed etiam oblivioni perpetue tradere potuissent. Illud dico colloquium, quando, in palatio[c] simul positi, de tecto basilice beatorum Christi martyrum Marcellini et Petri, quam ego nunc licet cum magna difficultate construere molior, locuti sumus et constitit inter nos de plumbo emendo contra precium quinquaginta librarum. Sed quamvis opus basilicae nondum ad hoc perductum sit, ut tegendi necessitas me rei[d] admonere compellat, tamen propter incertum vite mortalis terminum semper videtur esse festinandum, ut bonum quodque[e] nobis inchoatum Domino auxiliante perficiatur. Proinde precor benignitatem tuam, ut me de eodem plumbo emendo per litteras tuas digneris facere certiorem; ut scire[f] valeam, si aliquid inde adhuc inchoatum sit et, si nondum inchoatum est, quando[g] inchoari et Domino adiuvante perfici id ipsum negotium debeat. Idcirco deprecor tuam[h] magnam karitatem, ut me de ac re per litteras tuas certiorem facere non graveris. Opto, ut, mei memor, semper bene valeas in Domino.

a. ......tem *c.* b. oblitu *c.* c. palatium *c.* d. me rei *scripsi pro* meae *cod.* e. quodque *scripsi pro* quod *c.* f. sire *c.* g. est quando *evanuerunt.* h. tuam *non certe legitur.*

47. *Einhartus cuidam advocatum suum commendat.* (T 50)

828—840 Magnifico et honorabili atque inlustri viro .N. glorioso .... in Domino salutem.

Qui in vestra amicicia multum confidimus, ... rogare non dubitamus de iustitiis beatorum Christi (martyrum Marcellini) et Petri, quae in vestro monasterio idem de quibusdam man................ que praesens advocatus noster .N. coram vobis quesivit .... posse adquirere, si vestrum adiutorium habuerit. Proinde .... benignitatem vestram, ut eum non solum in hac causa sed etiam .... adiuvare dignemini, ut per hoc memoratos Christi .... patronos atque intercessores habere mereamini.

---

48. *Einhartus monachis SS. Marcellini et Petri, se recte valere, significat praeceptaque addit.* (T 64)

828—840 In nomine Dei summi. .N. peccator dilectis fratribus in cenobio beatorum Christi martyrum Marcellini et Petri consistentibus perpetuam in Domino salutem.

Notum sit (fraternita)ti vestrae, nos Domino auxiliante sanos et incolomes esse; id idem de vobis .... (cupi)entes. Ceterum ammonemus fraternitatem vestram, ut nostri memoriam ....s, quibus cotidie servire noscimini, ut promisistis. .... nobis pius Dominus per intercessionem eorum sanos vos repperire .... Vos igitur, dilectissimi, paterna[a] sollicitudine ortamur ....s vestrae et qualiter vos Domino sanctisque illius commendastis, ... semper sollicite caveatis, ne antiquus ostis vos fal............ ....e seducere possit; ut iugiter intenti[b] laudibus divinis et ....edientia cum frequentatione ecclesiarum Dei, et in invicem .... onera portantes, facilius hic feliciter Christo et sanctis martiribus .... suffragantibus, aeternum regnum possitis obtinere. His

a. paternā *c.* b. intenti *scripsit Teulet pro* inti *c.*

.... sunt, secundum apostolum dico, cum omni honore et diligen(tia) .... sacerdotes Christi, iunioribus formam salutis in vestris exem(plis) .... es, qui venturi sunt, cum benivolentia in invicem .... ad paschalia gaudia leti perducere, divina gratia .... vestrum, sicut vobis deposui, servare studete; et praeposito .... et diligentiam inpendere satagite; quatenus ut honor .... urum esse valeat, et profectus animarum vestrarum[a] de die in diem in.......... (aux)iliante proficere valeat. Valeat et vigeat sancta fraternitas vestra, ... mus, amantissimi fratres. 828—840

Ista vero epistola nostra coram omnibus fratribus ..... issime legatur atque sibi oboediatur.

---

49. *Einhartus quendam rogat, ut duos familiares suos Lothario I et Ludovico I imperatoribus commendet.* (DT 49)

Dilectissimo fratri ac fidissimo amico .N. glorioso optimati E(inhartus) aeternam in Domino salutem. 830—840

Quia[b] fidem vestram tam bene probatam habeo, ut nullatenus dubitare possim, quin in omnibus meis meorumque necessitatibus[c] ad vestrae caritatis auxilium confugiam, idcirco et nunc presentes pagenses[d] et familiares meos A..... et Theothoum cum eis litteris ad vos direxi; precans, ut eos more solito .... suscipere et in necessitatibus eorum, quas vobis insinuaverint, apud .... augustum[1] et piissimum patrem eius[2] adiuvare dignemini, sic ut illis .... sicut et ego magnam habeant fidutiam. Opto, ut semper bene (valeatis in Domino, ami)corum optime atque karissime.

---

50. *Einhartus quendam hortatur, ut litteras ad se mittat. Addit de epistola ad Folconem abbatem Fontanellensem perferenda.* (DT 47)

........[e] statu rerum palatinarum nihil mihi scribere[f] 833—840

a. urām *c.* b. q *c.* c. adnecessitatibus *c.* d. pagens *c.* e. *Octo fere litterae evanuerunt, in his vero* ..... Qu. *legi videntur.* f. socribere *c.*

1. Lotharium I imp. 2. Ludŏvicum I imp.

833—840 peto, quia nihil ex is[1], quae (illic[a]) aguntur, audire delectat. De te et ceteris amicis meis — si, te excepto, ullus remansit — magna est mihi cura cognoscere, ubi sitis et quid agatis. Ideo karitati tuae has litteras mittere curavi, ut te commonefacerem, scribere mihi de his, que aguntur erga te; id est: quali uteris valitudine, et ubi vel quando evenire possit, ut vita comite ad invicem nos videamus. Sepe enim te videre ac tecum loqui desideravi, sed numquam ardentius quam modo. Quia numquam mihi maior incubuit necessitas, ut de agenda[b] vita cum amico conferrem atque tractarem; quod cum nemine libentius facio quam tecum, quod in nullius fide maiorem habeo fiduciam.

Misi[c] per hunc puerum litteras[d] ad .N. abbatem[2]. Quem, rogo, si ire potuerit, ut per aliquem tuorum usque ad illum deduci facias; aut si forte propter lassitudinem iumentorum ut evenire[e] solet longius ire non poterit, precor: ut litteras[f], quas Folconi mitto[g], accipias et ei per aliquem dirigas; eumque preceris[h], ut mihi respondeat atque responsum, quod ei dare placuerit, tibi remittat; et tu ad me, cum primum idoneum perlatorem inveneris, ipsum responsum facias pervenire. Opto, te, amicorum amantissime, semper in Christo bene valere et mei memorem esse.

---

51. *Einhartus a Ludovico II rege Germanico petit, praecipiat episcopis quibusdam, ut in construenda basilica SS. Marcellini et Petri se adiuvent.* (D 50, T 51)

833—840 Dominus meus, piissimus genitor vester, iussit .N. .... de monasterio .N., ut nobis adiutores et coope(ratores essent) in constructione basilicae[i] beatorum Christi martyrum Marcellini et (Petri patronorum) vestrorum. Sed illi, ut mihi videtur[k], nihil de illo opere fac(turi sunt), nisi iussio clementiae

a. illic *in lacuna posuit Teulet.* b. aganda *c.* c. misi *evanuit.* d. interas *c.* e. evenire *scripsit Teulet pro* venire *c.* f. ut litt *evanuit.* g. mitto eo *c.* h. p̄ceres *c.* i. basilicae *om. c.* k. violetur *c.*

1. his. 2. Folconem abbatem Fontanellensem, 833—845.

vestrae ad eos veniat, ut eis denuo (praecipiat), ut secundum dissposítionem domini et genitoris vestri nos adiuvent (in opere) praedicto. Quapropter, ut vobis causam memorati operis notam (facerem[a]), has meae[b] parvitatis supplicatorias litteras vestrae[c] magnitudini mittere curavi. Per quas rogo et umiliter peto: ut propter amorem et honorem Christi martyrum patronorum vestrorum curam habere dignemini de constructione basilice illorum, ut per vestrum adiutorium ut[d] hoc perficiatur; et detis nobis ad memoratos episcopos sacram iussionem vestram per litteras gloriosissimę auctoritatis vestre; quas autem[e] temnere non audeant. Et inde vobis coram Deo merces adcrescat; et beati martyres pro vobis intercedant, ut regnum vestrum semper augeatur atque firmetur et tutum[f] ac defensum maneat ab insidiis atque infestatione[g] malignorum spirituum et malivolorum hominum. Opto et oro, ut bene valeat dominus meus rex et vivat in eternum. 833—840

52. *Einhartus Ludovico II regi Germanico quendam amicum suum commendat.* (D 51, T 52)

Pro quodam[h] amico et familiare meo .N. videlicet fidele vestro pietati vestrae supplicare volo, ut eum suscipere dignemini et, quando in vestras manus se commendaverit, aliquam consolationem ei faciatis de beneficiis, que hic in nostra vicinia absoluta et aper(ta) esse noscuntur. Est enim homo nobilis et bone[i] fidei, bene quoque doctus ad ser(viendum uti)lius in qualicumque negotio, quod ei fuerit iniunctum. Servivit enim avo .... (fide)liter et strenue; sic et vobis facere paratus est, si Deus illi vitam et sani(tatem) .... (v)oluerit. Nam adhuc valde infirmus est, et ideo non potest ad vestram (praesentiam venire; sed veni)et, cum primum potuerit. Proinde precor pietatem vestram, ut me, si reper(itis, doceatis, quid) illi de vestrae[k] bonitatis parte promittere possim; ut in bona spe (vivat, donec ad vestram) venerit praesentiam. 833—840

a. facerem *deletum est.* b. me *c.* c. uras *c.* d. *an* etiam? e. aut *c.* f. totum *c.* g. infestinatione *c.* h. quidam *c.* i. bene *c.* k. vestra *c.*

53. *Einhartus Iacobo episcopo concedit, ut Otmarum clericum teneat et ordinet.* (DT 5)

De ordinatione.

ante d. 14 Mart. 840 Venerabili in Christo Iacobo reverentissimo episcopo E(inhartus) p(eccator).

Iste clericus nomine Otmarus detulit mihi litteras sanctitatis vestrae, in quibus me rogastis, ut eidem clerico licentiam darem vobiscum manendi; qui in hac regione et natus et nutritus est. Et ego, qualitatem cause considerans, decrevi adsensum prebere petitioni vestrae; eo videlicet modo: ut idem clericus cum suis fratribus et matre, sicut rogastis, licentiam habeant vobiscum manendi; et censum suum annis singulis persolvant ad Sanctum Servatum[1], sicut eis a fratribus nostris constitutum est. De ordinatione vero eiusdem clerici in vestra sit potestate, ut inde faciatis, quicquid vobis optimum esse videbitur; quia vos et mores et conversationem illius cognoscitis, et scitis, utrum ad aliquem ordinem[a] sacrum suscipiendum idoneus sit. Opto, sanctitatem vestram, nostri memorem, semper in Christo bene valere.

---

54. *Einhartus Liuthardo presbytero et Eremberto vicedomino mandat, adiuvent Willibaldum presbyterum in exigendo censu hominum coenobiorum S. Bavonis Gandensis et Blandiniensis.* (DT 12)

ante d. 14 Mart. 840 In Christi[b] nomine. E(inhartus)[c] abbas Liuthardo presbitero et Eremberto vicedomino fidelibus nostris in Domino salutem.

Notum sit vobis, quod nos Willibaldo presbitero, fideli ut credimus nostro, iniunctum habemus, ut censum nostrum recipiat ab hominibus nostris tam apud Sanctum Bavonem[2] quam in Blandinio monasterio. Propter hoc mittimus illum ad vos, quia[d] volumus, ut vos illum ad hoc adiuvetis, ut eundem censum et pleniter et in bono argento recipiat; et cum receptus fuerit, ut

a. ordinationem *c.* b. xp̄o *c.* c. .ē. *c.* d. ꝙ *c.*

1. Traiecti ad Mosam. 2. Gandensem.

ei adiutorium faciatis, ut eum ad nos perferre valeat. Opto, semper bene valeatis in Domino. ante d. 14 Mart. 840

---

55. *Einhartus Popponi comiti scribit de matrimonio, de dispensa, de Iopila.* (DT 13)

Magnifico et honorabili atque inlustri viro Popponi glorioso comiti E(inhartus) sempiternam[a] in Domino salutem. ante d. 14 Mart. 840

Dictum est mihi, quod me rogasses, ut de tribus capitulis te certum facerem. Quod utique mihi ad faciendum de uno illorum difficile est, id est, femina, quam tu melius quam ego nosti, si a te sine culpa in coniugium possit adsumi. Nam de dispensa, quam in Aquis accepistis, nullam volo aliam retributionem nisi amiciciam tuam. De Iopila vero, quando insimul fuerimus locuti, iuxta quod tunc inter nos convenerit, facere paratus sum; et ideo tibi modo plura per litteras meas indicare non possum. Opto, ut semper bene valeas in Domino.

---

56. *Einhartus (ut videtur) Vussinum admonet, ut Rabani praecepta et mores sequatur. Mandat de indagandis obscuris Vitruvii locis.* (DT 30)

Karissimo filio Vussin in Domino salutem. ante d. 14 Mart. 840

Vereor namque, fili, et valde metuo: quod, relicto ovili, nec tui nec mei memor esse debeas. Quia iuventus inmatura, nisi frenis disciplinae[b] coercita, haud[c] facile per iustitiae incedit vias. Quam ob rem, mi nate, stude probos aemulari mores et, quem[1] te semper sequi ortabar[d], ne ullo pacto offensum habere velis; sed professione tua memor, quantum ipse annuerit, cui te totum comisisti, eius mandatis insiste discendis. His et doctus et in opere eorum assuetus, nullo vitalis scientiae commodo carebis. Sicut te praesens monui, in studio discendi te exerce[e]; et quicquid ex ipso lucidissimo et abundantissimo magni ora-

a. semp. i. d. s. *c.* b. dissiplinae *c.* c. haus *c.* d. ortaber *c.* e. exeree *c.*

1. Hunc Rabanum fuisse, (abbatem Fuldensem 822—842, archiepiscopum Moguntinum 847—856), vidit Mabilio, Ann. ord. S. Bened. T. II 427 (L. 28, c. 48).

ante d. 14 Mart. 840 toris[a] ingenio assequi nobilis scientiae potueris, nihil intactum relinque. Maxime autem probos mores illius, quibus excellit[b], imitari memento.

Quoniam gramatica et rethorica ceteraque liberalium artium studia vana sunt et valde nociva servis Dei, nisi per gratiam divinam bonis moribus subesse noscantur; quia scientia inflat, caritas vero aedificat[1]. Melius mihi quidem[c] est, ut demortuum videre contingat quam inflatum et scatentem vitiis. Non enim salvator a se miraculorum facta sed mansuetudinem et cordis humilitatem .... praecepit. Quid plura? Saepe haec et alia huiusmodi a me audisti. Utinam aliquando contingat istis[d] delectari, quibus munditia cordis corporisque per Dei auxilium assequitur.

Misi[e] igitur tibi verba et nomina obscura ex libris Vitruvi, quae ad praesens occurrere poterant, ut eorum notitiam ibidem perquireres. Et credo, quod eorum maxima pars tibi demonstrari possit in capsella, quam domnus E(igil)[2] columnis eburneis ad instar antiquorum operum fabricavit[3]. Et propter illud, quod Vitruvius[4] nominat scenographia, interroga, quid sit, quod Virgilius[f] in III Georgicorum libro[g] scenam vocat; dicit enim:

Ad delubra iuvat, caesosque videre iuvencos,
Vel scena[h] ut versis discedat frontibus, utque
Purpurea[i] intexti[k] tollant aulea Britanni[5].

Vale.

a. oratores *c.* b. excellet *c.* c. qualē *c.* d. iste *c.* e. nisi *c.* f. uirl̄ *c.* g. libros *c.* h. sena *c.* i. purpuraea *c.* k. inteati *c.*

1. 1 Corinth. 8, 1. 2. abbas Fuldensis, 818—822. 3. de Eigile cf. eius vita (ap. Mabillon Acta SS. ord. Bened. saec. IV T. I 238): „Pater monasterii ecclesiam parvam aedificavit rotundam, ubi defuncta corpora fratrum sepulturae tradita requiescunt; — cuius etiam aedificii structura subtus terram, ubi pervium circuit antrum, ab una columna lapidea in medio posita — exsurgit; supra vero octonis subrigitur columnis, atque in summitate operis lapide concluditur uno“. Catal. abbat. Fuldensium (ap. Dronke Traditiones Fuld. p. 163, Boehmer Font. III 162): „Eigil — tumulum (S. Bonifatii) statuens auro argentoque paravit; — ecclesiam in cymiterio rotundam mira arte typice composuit“. 4. De architectura I 2, 2: „Item scenographia est frontis et laterum abscedentium adumbratio, ad circinique centrum omnium linearum responsus“. 5. Virg. Georg. III 23—25.

57. *Einhartus imperatoris missis, suos indulgentia tractantibus, gratias agit.* (DT 33)

Dilectis in Christo fratribus et amicis .N. comiti N. iudici gloriosis[a] missis domni imperatoris E(inhartus) in Domino salutem. ante d. 14 Mart. 840

Homines nostri, qui de istis partibus ad nos veniunt, solent nobis narrare de bona voluntate et de benignitate vestra erga nos, in eo quod homines nostros servatis et eis parcitis[b], in qualicumque loco illis parcere potestis, tam in heribannis quam in aliis causis ad vestrum missaticum pertinentibus. Unde vobis, ut dignum est, magnas agimus gratias; Deumque rogamus et sanctos eius, ut vobis non solum hic in praesenti vita sed etiam in futura congruam factis vestris mercedem retribuere dignetur. Promittimus etiam vobis, quod et nostram parvitatem ad voluntatem vestram faciendam paratam habere debeatis. Bene valete.

58. *Einhartus quendam rogat, ut de emendis porcis comiti cuidam faveat.* (DT 36)

Dilecto fratri et amico karissimo .N. E(inhartus) aeternam in Domino salutem. ante d. 14 Mart. 840

N. comes rogavit me, ut te precarer de illis porcis, quos tu in eius ministerium ad pascendum misisti, ut ei liceret eosdem porcos sibi retinere, usque crassiores et meliores fierent et ille eos iusto pretio ad opus dominicum comparasset. Ille enim, sciens nostram amiciciam, putavit me hoc aput te impetrare potuisse. Et ego, in tua dilectione confidens, peto, ut voluntatem eius in hac causa adimplere non graveris. Opto, ut semper bene valeas in Domino.

59. *Einhartus cuidam mandat, ut lateres faciendos semenque quoddam terrae ingerendum curet.* (DT 38)

Dilecto fratri .N. E(inhartus) in Domino salutem. ante d. 14 Mart. 840

Volumus, ut Egmunelo de verbo nostro praecipias[c], ut faciat

a. gloriosi *c.* b. paratis *c.* c. praecipiat *c.*

ante d. 14 Mart. 840 nobis lateres quadratos, habentes in omnem partem duos pedes manuales et quattuor digitos in crassitudinem, numero 60; et alios minores similiter quadratos, habentes in omnem partem unum semissem et quattuor digitos et in crassitudine digitos 3, numero 200. Misimus[a] tibi per hunc hominem de semine lapitii[1], quod volumus ut in largo loco seminari facias; qui solet in magnam herbam excrescere. Bene valete[b].

---

60. *Einhartus fidelem quendam suum hortatur, ut filiam manumisso cuidam nuptum collocet.* (D 53, T 55)

ante d. 14 Mart. 840 In Christi nomine. E(inhartus) abbas ill.[c] fideli nostro salutem.

Tu nosti, quia[d], iuxta quod potuimus, voluntatem tuam adinplere curavimus, in eo quod filiam tuam tibi reddere facimus. Et ideo rogamus te, ut propter honorem et amorem sancti .N. et nostrum nobis consentias[e] ad hoc, ut, si illum hominem ad libertatem venire faciamus, eundem[f] filiam tuam permittas in coniugium accipere. Quia melius nobis videtur esse, ut iterum illi homini, si liber factus fuerit, coniungatur[g] quam ut ab ominibus[2] repudietur[h]. Bene valete.

---

61. *Einhartus quendam fidelem suum rogat, concedat, ut filia sua cuidam ipsius vasallo nubat.* (D 54, T 58)

ante d. 14 Mart. 840 In Christi nomine. E(inhartus) humilis abbas ill. fideli[i] atque dile(cto aeternam) in Christo salutem.

Memorem te esse non dubito, qualiter tat.......... commisisti. Et quoniam ita se haberet tua propria decrevit voluntas, mea utique deinceps est: ut, ubicumque oportunum fuerit, tibi tuisque condignum suffragium, in quantum nosse et posse accesserit[k], omnibus modis inpendam. Ergo notum sit dilectioni vestre, quoniam ill. vasallus noster nec non et filia tua amore

a. missimus *c.* b. b. n. u. l. t. *c.* c. illo *c.* d. q *c.* e. conscentias *c.* f. eandem *c.* g. coniugatur *c.* h. repudiatur *c.* i. *sic scripsi pro* E. abb. ill. humilis abb. fideli *cod.* k. ancesserit *c.*

1. an: laserpicii? 2. hominibus.

coniugii alter alterum adipisci, Domino favente et vestra voluntate, cupiunt. Quam ob rem ad vos mittere decrevi, innotescentes: quod tam matri et fratri quam et omnibus propinquis, si vobis placet ut fiat, congruum esse videtur. Insuper etiam ego non solum ut confirmetur volo, sed etiam[a] honorifice, prout civilius[b] esse poterit, si mihi ad perficiendum potestatem dederitis, tam in beneficiis quam in aliis rebus condigne supplere cupio. Insuper idem ipse praefatus vasallus dotem dabit, auget munera. Tantummodo huic rei superest, ut aut vos ipsi ad hoc opus perficiendum per praesens venire non differatis aut, ut a nobis perficiatur, licentiam concedatis. Scimus enim, quid per praesens Domino favente explere possumus; sed quid futura pariat dies, ignoramus. . . . . est. Non cesset manus tua, non cesset pes tuus, sed quodcumque . . . . operare. His ita omissis, rogamus: ut tam per hunc missum . . . . . (quam per litt)eras vestras nos de hac re certos reddere studete ac fe. . . . . Bene valete. ante d. 14 Mart. 840

---

62. *Einhartus episcopo cuidam vasallum quendam suum commendat.* (T 59)

. . . . . stione.

Domino sancto et merito venerabili[c] .N. summi Dei sacerdoti E(inhartus) p(eccator). ante d. 14 Mart. 840

Vasallus . . . . heo, propinquus meus, est et fuit per aliquantum tempus . . . . Sed quia nunc desiderat sub uno dominatu dies suos du(cere) . . . . tati meae, quod in tam familiari loco esse elegis . . . . (com)mendatorias litteras ei dare decrevi; ut per meam . . . . (fac)iliorem accessum ad vestram sanctitatem haberet et apud . . . . mihi propinquum adsevero. Precor igitur, ut eum . . . . um vestrum nutrire[d] dignemini. Puto, quod non in . . . . torem habere debeatis. Opto[e], ut semper bene valeatis in Domino[e].

a. etiam *scripsi pro* ut *c.* b. ciuius *c.* c. ueñ *c.* d. nutriere *c.* e. o. t. u. s. p. b. n. u. l. at. d. *c.*

63. *Einhartus episcopum quendam rogat, ut clericum suum diaconum ordinet.* (D 55, T 60)

...a..tione precando.

ante d. 14 Mart. 840 *Δ*.......... E(inhartus) p(eccator).

Propter paucitatem ministrorum altaris (cogit no)s necessitas supplicare sanctitati vestrae, ut hunc clericum nostrum (nomine) .N. ad gradum diaconatus ordinare dignemini. Est enim non solum etate sed etiam eruditione ad hoc idoneus. Et ideo misimus illum ad vestrae benignitatis praesentiam, ut eum a vobis iterum, ad praedictum gradum consecratum, recipere mereamur. Opto, vos in Christo semper bene valere.

---

64. *Einhartus quendam rogat, ut N. homini suo parcat.* (T 62)

ante d. 14 Mart. 840 Dilecto et in Christo venerabili fratri .N. E(inhartus) sempiternam (in Domino salutem).

.... N. hominis nostri parati sunt porcos tuos. Sic enim vobis di...eh.... .N. iam ex multo tempore devote atque fideliter nobis servi(vit). Ideo (rogam)us karitatem tuam, ut, in quantum fieri possit, ei parcere digneris in illa conpositione, quam tibi per legem debet; ut eum ad nostrum servitium utilem habere possimus et tu nos ad tuam voluntatem fatiendam paratiores ac promptiores per iustit(iam) semper habere valeas. Opto, ut semper bene valeas.

---

65. *Quidam cuidam respondet.* (T 57)

Domino et filio venerando ac diligendo .N. .... (bene cupiens) vestra, sempiternam in Domino salutem.

Postquam fidelis .... ad nos venit et mihi litteras vestras reddidit, q .... cognoscere potui, libenter facere certavi. Vestrum .... siderare, ut ea, que inter vos agere disponitis, no(n solum) .... (sed) etiam honesta ex utraque parte inveniantur, et .... reprehensio, qui ob multorum profectum id, quod agere .... pronunciatus. Quod ita demum fieri

posse video, si su .... fiat; quia, sicut vos optime nostis, iuxta Salomonem (omnia tempus) habent[1] et ea rectae fiunt, que in suo tempore fiunt. (Opto, vos) in Christo bene valere, fili carissime.

---

66. *Quidam regem vel imperatorem quendam de psalmis cantandis hortatur.* (T 65)

Pietati splendidi senioris persona tenuis offerre praesumit preces orationis. Sunt etenim psalteria cantanda[a] cum ceteris oratiunculis post purificationem Mariae semper virginis, quatenus rex inmortalis vobis tribuat salutem vite praesentis et faciat vos per evum in gloria caelesti[b] gaudere suis cum sanctis.

Dextra[2] clavigerum[3], salo[c][4] ne mergeretur, erexit[5],
Quae piaetate Dei vitam per secula regnat.

---

67. *Quidam episcopo cuidam de suo erga eum studio scribunt eumque pietatis admonent.* (D 58, T 66)

Optutibus prestantissimi antistitis humillimi clientuli vestri apices precipue servitutis dirigere satagunt; intimantes, devotionem iuxta modulum eorum possibilitatis[d] pronam fieri, si almitas vestrae celsitudinis mandare non dedignaverit. In omni obsequio vestro vestrorumque et deinceps, sive iuxta clementiam presentiae vestrae positi seu ubicumque versare videntur, libenter professi sunt, vestris mellifluis optemperare mandatis. Nunc vero, quamvis nullis exigentibus meritis, tamen alloquio vestrae promissionis[e] confisi, monere non titubant piaetatem vestrae caritatis. Valeat beatitudo vestra.

---

68. *Quidam comitem quendam rogat, ut clericos quosdam provenda quadam uti sinat.* (T 67)

In nomine domini nostri Iesu Christi. N. divina favente

a. cantanda *scripsit Teulet pro* tanta *c.* b. caelestis *c.* c. salo *corr. in* sola *cod.* d. possibilitatis *corr. in* possibilitati *c.* e. promisionis *c.*

1. Eccle. 3, 1. 2. Christi manus. 3. S. Petrum. 4. mari. 5. V. Matth. 14, 30. 31.

gratia .... familiari comiti sempiternam in Domino sospitatis salu(tem).

.... rependimus gratias vestrae dilectionis, quoniam devoti..................... que utilitatis compendium redolere conperti sumus. Qu.............. benevolam famuli tui intentionem amminiculante cle..................... .... fore devotis. Quapropter petimus per hos apices ....nis, quatenus circa nostros famulantes eandem gratiam b..... ob...re.n..betis. Hii sunt vero, qui in vestro monasterio nu.................. quorum proprium hereditatis inter res Sancti Bavo(nis) .... nos visitare conati sunt et in nostro obsequio ....nt. Ideo deposcimus, ut provendam, quam antecesso(res) .... actenus pro beneficiis vestris detinent, in posterum .... apud vos fiet, ut liceat praefatis clericis nostris B.................. et Gozziloςδ usibus provende perfrui et, quando licent.................. amicosque visere cupiunt, in omnibus, quibus indi.................. protectione muniti; ne quis audeat malivolam contr(a) .... sententiam. Agat inde taliter dilectio vestra, sicuti op............... Valeat caritas vestra in Domino.

---

69. *Quidam capellanum imperatricis hortantur, ut promissum solvat.* (D 59, T 68)

Honorando atque sublimato et spiritu sapientiae repleto .... magistro atque praecipuo[a] capellano domne imperatricis .... et et [illegible], vestri fideles clientuli, per hanc scedam parvitatis nostrae corone beatitudinis vestrae optamus salutem perennem.

Recordetur bonitas vestra de causa, quam quondam locuti fuimus; ut, sicut nos exortastis et largiter[b] promisistis, ita feliciter implere procuretis apud illum, quem vos scitis. Et inquirite, utrum nos ad illum an parte in alia tendere debeamus; et nobis per fidelem gerulum aut per vestras apices cito reman-

a. praecipue *c.* b. largite *c.*

dare dignemini. Pro confidentia enim magna, quam in vobis habemus, tam audacter vobis scripsimus necessitatem nostram. De vestra vero sospitate nobis intimare dignemini; quia vestra sanitas nostra est letitia, et vestra letitia nostrum est gaudium. Hoc optamus, hoc desideramus, hoc cupimus audire, ut fiat multis feliciter annis. Valete nunc et semper, vir gloriosissime[a], in Christo Iesu et in omnibus sanctis eius. Amen.

---

70. *V. et Gl. rogant M., ut, quod de capella villae Lensis sibi pollicitus sit, efficiat.* (D 60, T 69)

Inlustris dignitatis virum adque nobilissime sublimitatis dominum M. V. et Gl. fidelissimi (ac de)votissimi vestraeque in omnibus excellentiae paratissimi famuli fideli et obtabili aggredimur servitio.

Maximas et, si fieri posset, ultra vires nostras (dig)nitatis vestrae celsitudini referimus grates, quod, nostrae petitioni assensum (praeb)entes, ad effectum perduxistis de capella in villa Lensi constituta. Tamen missus vester R̄., qui nos exinde vestire venit, id ipsum sicut iussistis[b] fecisset, nisi homines W. fratris vestri hoc contradixissent. Attamen ipse locus valde va(status) est, ita ut nullum omnino tegumen tectorum inibi remanserit, quod (non vend)itum alienatum vastatumque sit; excepta basilica, quae etiam ex parte (corruit). Nos autem causa vestrae mercedis hoc fixum in animo habuimus, ut, q(uaecumque) praesenti anno adquirere possemus, ad restaurationem eiusdem lo(ci basilicae) expenderemus. Quod et facere cupimus, si ita permanse(rint) .... statuit atque decrevit. Vester itaque missus de laboribus .... (la)boratis nihil ibi invenit, quia omnia vastata erant, exc(epta tantum domi)nicata decima, quam ex vestro verbo salvari praecepit; que utrum ..... (de)beat an non, a nobis penitus ignoratur. Haec ideo vestrae subl(imitati expos)uimus, ut vestra celsitudo cogitet et statuat, quomodo .... (p)ossit; et ne periculum alicuius proveniat, si domus Deo di(cata) .... gatur

a. gloriosisime *c*. b. iusistis *c*.

et adnulletur. Quicquid ergo vestrae excellentiae ex(inde libuer)it, per vestrum missum nostrae modicitati insinuare dignetur. Vestram sublimitatem diutino tempore Christus protegat pariterque ad vitam eternam perducat. Amen.

---

71. *W. et, G. se N. viro nobilissimo de ministerio quodam nondum praestito excusant.* (D 61, T 70)

Previo insigni atque egregiae nobilitatis viro .N. W. et G., vestrae sublimitati per omnia devoti et dediti, fidele[a] in omnibus obsequium atque servitium optamus.

Quoniam sublimitas vestra[b] nostrae modicitati aliquod servitium iniungere voluit, quia idem[c] ad effectum nondum venit, causam vestrae celsitudini innotescimus. Clericus fratris vestri .A., quem[d] vestro iussu conservitio ipsius A. suscepimus, indiculum, quem nostrae parvitati misistis[e], secum abstulit; ut excusationem[f] vestro fratri ex nostra parte faceret, quod pro vestro servitio opus eiusdem inperfectum remaneret. Et in ipso indiculo mensurae, quas nobis transmisistis, pariter ablate sunt; quae a nobis actenus nullo modo reperiri possunt. Quapropter ipsas mensuras nobis transmittite; et quantum valemus, de vestro servitio elaborare curabimus. Valere in Domino vestram sublimitatem, iugiter exoptamus[g].

a. fideli *c.* b. *om. c.* c. id *c.* d. quae *c.* e. missistis *c.*
f. excussationem *c.* g. *sequitur in cod.* EXPLICIT DEO GRATIAS AMEN.

EINHARTI VITA CAROLI MAGNI.

Ex aula Caroli Magni, ubi fuit quasi collegium cum alienigenarum tum domesticorum virorum sapientia doctrinaque florentium, cultoribus historiarum maxime occurrit Einhartus. Atque si probe sentimus, repentinam tum honestissimarum artium copiam ipso Carolo impellente se extulisse, Germanico ingenio perpetuae laudi est, quod, idoneam vitae imperatoriae imaginem scriptis mandare, ex tota aulicorum doctorum varietate gratus piusque Germanus sui muneris esse duxit.

Einhartus enim, egregie nobilium[1] *parentum et Einharti quidem atque Engilfritae ut videtur filius*[2]*, in Franciae orientalis pago Moenum inferiorem amplectente, qui Moingeuui dicebatur, circiter anno 770 natus est. Puerum ad monasterium* c. 770 *haud longe positum Fuldense in disciplinam miserunt*[3]*, cum clarissimum hunc locum aut etiam Sturmus († 779) regeret aut iam Baugulfus abbas (779—802) regere coepisset. Ibi sic maturescebat generosa mens Einharti, ut ad veterum scriptorum*

1. V. Walafridi prologus infra: „ob nobilitatis quod in eo munus erat insigne"; et tituli sepulcralis a Rhabano scripti (infra) versus hic: „Conditus ecce iacet tumulo vir nobilis isto". 2. Einharti patri quoque nomen Einharto fuisse, suspicari licet ex tituli sepulcralis a Rhabano scripti versu hoc: „Einhardus nomen cui genitor dederat". Eoque verisimilius est, parentes eius fuisse Einhartum et Engilfritam, quorum traditio, coenobio Fuldensi facta ab ipsoque Einharto nostro litteris mandata, habetur infra p. 488 n. 2. 3. V. Walafridi prologus: „in Fuldensi coenobio sub pedagogio sancti Bonifacii martiris prima puerilis nutriture rudimenta suscepit".

litteras bene perceptas opinione maiorem miraculorum fidem adiungeret, utque et civilibus et ecclesiasticis rebus gerendis accommodatus, etsi publica negotia pro tempore obierit, tamen potiorem felicitatem in rationibus sacerdotalibus et monachicis sitam esse censeret.

Educabatur autem Fuldae, quibus temporibus homines incredibili quadam aemulatione monasteria fovere omnique bonorum genere, velut agris silvis aedificiis mancipiis pecudibus, locupletare non cessabant; quarum donationum infinitam multitudinem non sine admiratione ex iis potissimum litteris cognoscimus, quae in „codicibus traditionum" vel „codicibus diplomaticis" reperiri solent. Hoc e genere exstat Fuldensis coenobii liber[1], *in quo nonnulla adolescentis Einharti vestigia animadvertuntur. Namque continet tabulas sex manu illius sub Baugulfo abbate conscriptas, ut earum clausulae fidem faciunt his verbis:* Ego Einhart scripsi. *Ex his unam, qua* Einhart et coniux eius Engilfrit *munus quoddam monasterio detulerunt, non mediocriter notatione dignam ducimus, propterea quod est maxime verisimile, largitionem parentum filii manu litteris consignatam esse*[2]. *Aliis tabulis duabus ad temporis, quo Fuldae didicit Einhartus, cognitionem accuratissima materia affertur; nam earum altera est die*

1. Codex diplomaticus Fuldensis ed. Dronke, Cassel 1850. 2. Haec tabula (ap. Dronke Cod. dipl. Fuld. p. 103 n. 185) sic scripta est: „In Christi nomine. Ego Einhart et coniux mea Engilfrit donamus atque tradimus ad Sanctum Bonifatium, ubi vir venerabilis Paugolf abbas cum turba plurima monachorum monasterio preesse videtur, hoc est quod donamus, quicquid in Urithorpfe proprietatis habemus, exceptis vero haftunnis et uno mancipio. Quicquid aliud est quod habeo, hoc trado ea ratione, ut, dum ego advivo, habeam illud; similiter et coniux mea, si illa supervixerit, utatur illico; post obitum vero nostrum amborum vos et successores vestri res memoratas ulterius perenniter possideatis stipulatione subnixa. Actum die VIII Idus Iunias. Ego Einhart scripsi". De eadem tabula cf. Dronke Traditiones et antiquitates Fuldenses p. 23: „Descriptiones eorum, qui de Salegewe et Weringowe proprietates suas Sancto Bonifacio in Fuldensi monasterio contulerunt: ... 14. Einhart et uxor eius Engilfrit tradiderunt Sancto Bonifacio bona sua in Urdorf cum terris, agris, pratis, silvis, domibus et familiis". Cf. etiam supra p. 487 n. 2.

19 Aprilis 788[1] *facta, altera die 12 Septembris 791*[2]. *Et qui-* 788
dem hae litterae iam praecipitante eius in coenobio mansione 791
videntur scriptae esse[3].

Iam dudum enim Carolus rex, qui non minus litterarum placida tractatione quam fero bellorum tumultu delectabatur, magnis ingeniis insignique eruditione homines ad se trahere coeperat. Quo factum est, ut Baugulfus abbas Einhartum, iuvenem praestantem et nobilitate et sollertia, ex monasterii umbraculis traduceret[4] *ad splendidum regis palatium, in locum lubricum* 791—796
et periculosum; ubi ex militibus fortunatis et doctrinae principibus et feminis formosis conflata erat societas volubilis, ieiunandi[5] *et amandi*[6] *aeque perita, ad risum propensa et ad invidiam*[7].

Sed Einhartus in novo curriculo suo prospere versatus est. Etenim non modo eximiam Caroli filiorumque eius gratiam amicitiamque sibi collegit[8], *sed talis etiam fiducia*[9] *atque rerum bene*

1. Traditio Mattonis et Megingozi ap. Dronke Cod. dipl. p. 53 n. 87: „Actum in monasterio Fulda die 13 Kal. Maias, anno 20 regnante Karlo rege Francorum et Langobardorum et patricio Romanorum. Ego Einhart rogatus scripsi". 2. Traditio Hiltrihi ap. Dronke Cod. dipl. p. 60 n. 100: „Actum in monasterio Fulda pridie Iduum Septembrium, anno 23 regnante Karlo rege Francorum. Ego Einhart scripsi". Cf. Traditio Folcuuini ibid. p. 61 n. 102: „Actum in monasterio Fuldae, anno 23 regnante Karlo gloriosissimo rege Francorum. Ego Einhart scripsi". Traditio Gundheri ibid. p. 103 n. 183: „Actum in monasterio Fulda sub die 3 Kal. Martias. Ego Einhart scripsi. Traditio Hartgeri ibid. n. 184: „Actum in monasterio Fulda 6 Idus Martias. Ego Einhart scripsi". 3. Etenim iam anno 796 Einhartum scimus in Caroli aula fuisse. V. infra p. 492 Theodulfi versus. 4. V. Walafridi prologus infra: „Indeque ... a Baugolfo abbate in palacium Karoli translatus est"; et spatio quidem annorum 791—796, v. supra n. 2 et 3. 5. Quam saepe Carolus ieiunia instituerit, notum est; cf. Epistolae Carolinae 6, 21, 28 supra p. 349, 379, 392. 6. De intemperantia aulae Carolinae v. Paschasii Radberti vita Adalhardi cap. 33 (Mon. Germ. SS. II 527) et infra Vitae Caroli cap. 19. Ipsum impeiatorem in purgatorio propter libidinem poenas accipientem vidit Wettinus in visione c. 8 ap. Mabillon Act. SS. ord. Ben. saec. IV P. I 267 sq. 7. V. Walafridi prologus infra. 8. V. Einharti praefatio: „perpetua cum ipso ac liberis eius amicitia". 9. V. Walafridi prologus: „ut — pene nullus haberetur, cui rex — plura familiaritatis secreta committeret".

gerendarum spes in eo collocabatur, ut, cum variis negotiis ci-
806 *vilibus implicaretur*[1], *praesertim anno 806, legatus Romam missus, imperatoris de regno dividendo testamentum a Leone III*
813 *papa confirmatum reportaret*[2]. *Quin etiam anno 813 persuasisse Carolo fertur, ut Ludovicum filium imperii socium sibi adiungeret*[3].

Fuit autem apud Carolum proprie gratiosus ob artificem manum; qua quidem fiebat, ut Beseleel[4] *appellaretur, nomine illius opificis, quem ut legimus in vetere testamento*[5] *„Dominus implevit spiritu Dei ad excogitandum, quidquid fabrefieri potest ex auro et argento et aere, marmore et gemmis et diversitate lignorum“*[6]. *Quare Einhartus in „maiestatis regiae ministrorum“*

1. Translatio SS. Marcellini et Petri cap. 1: „cum adhuc in palatio positus ac negotiis secularibus occupatus ... meditarer“. Qui Einhartus autem in libello captivorum Saxonum (Mon. Germ. LL. I 90) Fridamundum et Macrinum habuisse legitur, hunc eundem ac nostrum Einhartum fuisse non constat. 2. V. Annales Einharto adscripti (Mon. Germ. SS. I 193) 806: „De hac partitione et testamentum factum — et constitutiones pacis conservandae causa factae; atque haec omnia litteris mandata sunt et Leoni papae, ut his sua manu subscriberet, per Einhardum missa. Quibus pontifex lectis et adsensum praebuit et propria manu subscripsit.“ 3. V. Ermoldi Nigelli Carmin. L. II 31 sq., Mon. Germ. SS. II 479. 4. Sic vocabatur Einhartus et ab Alcuino (ep. 85 v. infra p. 491 n. 7) et a Walafrido, v. infra. 5. Exod. 31, 2 sq.; 35, 30 sq. 6. Ex quo abunde intelligitur, cuiusmodi artifex fuerit Einhartus qualiaque opera fecerit (de quibus v. p. 491 n. 6). Sunt autem, qui eum architectum fuisse arbitrentur. Sed nomen Beseleel eius rei argumentum non est, propterea quod ipse Beseleel non fuit architectus. Neque Einharti epistola 56 (supra p. 477) rem testatur, in qua de „verbis et nominibus obscuris ex libris Vitruvi“ Fuldenses consuli vult scriptor. Nam licet ab ipso Einharto ista epistola esse videatur (non enim prorsus certa res est), eum, qui de obscuris quibusdam Vitruvii rebus doceri cupierit, architectum fuisse, quis pro concesso et probato sumat? Et cui Latine scienti videatur ideo architectus Einhartus fuisse, quod de sui coenobii ecclesia in ep. 46 (supra p. 471) scripserit haec: „basilice beatorum Christi martyrum Marcellini et Petri, quam ego nunc licet cum magna difficultate construere molior“? Quibus ex omnibus accipi potest, quam parum argumenti sit, Einhartum non architectum modo fuisse, sed etiam „pontem Moguntiacensem, palatia Ingelheimense et Aquense, basilicam Aquensem etsi non inchoasse, perfecisse tamen videri“ Pertzio (v. Mon. Germ. SS. II 427); cum praesertim

numerum ascitus[1], *impensis Caroli munifice alebatur*[2]. *Atque ipsa artificis officina Aquisgrani erat; ubi Ansigisum, abbatem Flaviacensem anno 807 factum, sub Einharto custodem operum regalium fuisse scimus*[3]; *ubi Brun monachus Fuldensis*[4] *iussu Ratgarii abbatis (802—817) in Einharti „variarum artium doctoris peritissimi" disciplina fuit*[5]; *undeque quam pretiosa ornamenta et basilicarum et palatiorum et hominum a Carolo cultorum provenerint*[6], *coniectura suspicari licebit.*

Nec minorem dignitatem auctoritatemque quam ars Einharto litterae attulerunt, quibus adeo excellebat, ut iam Alcuinus senex iuvenem „suum familiarem adiutorem" diceret[7]. *Tametsi docti illi aulae homines sibi temperare non poterant, quominus pusillum illius corpus aliquando irriderent iocularibusque nominibus eum appellarent sic: „Nardulus, parvulus, homuncio*[8], *ho-*

ecclesiam Aquensem constet ab Odone magistro „expletam esse", v. adnotationem ad Vitae Caroli cap. 31 infra.

1. V. Walafridi prologus: „ut inter omnes maiestatis regie ministros pene nullus haberetur, cui" cet. 2. V. Einhardi praefatio: „domini et nutritoris mei Karoli", „nutrimentum in me impensum", „tot beneficiorum in me conlatorum, — et hominis in me optime meriti". Cf. etiam Einharti epitaphium a Rhabano scriptum infra: „Quem Carolus princeps propria nutrivit in aula". 3. Gesta abbatum Fontanellensium (Mon. Germ. SS. II 293): „Praeterea, dum praedictum Flaviacense coenobium — teneret (Ansigisus), etiam exactor operum regalium in Aquisgrani palatio regio sub Heinhardo abbate, viro undecunque doctissimo, a domino rege constitutus est. Quod nobilissime administravit". 4. de quo cf. Wattenbach Deutschlands Geschichtsquellen, ed. 2, p. 157. 5. Catalogus abbatum Fuldensium (ap. Dronke Traditiones et antiqu. Fuld. p. 162, Boehmer Font. III 162): „Tercius abbas Ratger — Hrabanum et Hatton Turonis direxit ad Albinum magistrum liberales discendi gratia artes, Brunan ad Einhartum variarum artium doctorem peritissimum, Modestum cum aliis ad Clementem Scottum grammaticam studendi". 6. V. infra Theodulfi versus, ex quibus intelligimus, Einhartum praeter alias „operosas res" easque portabiles („operosas nunc ferat et res") paravisse etiam libros et spicula. Cf. etiam Einharti epitaphium a Rhabano scriptum infra: „ac multis arte fuit utilis; quem Carolus princeps propria nutrivit in aula, per quem et confecit multa satis opera". 7. Alcuini ad Carolum regem ep. 85: „Beseleel, vester immo et noster familiaris adiutor, de paternis versibus apponere poterit". 8. V. Walafridi prologus: „Predictus itaque homuncio, nam statura despicabilis videbatur —".

nullus"[1]. *Ipsius Alcuini enim est carmen hoc*[2], *per iocum ut videtur in ostio Einharti positum*[3]:

Ianua parva quidem et parvus habitator in aede est.
Non spernas nardum, lector mi[a], corpore parvum,
Nam[b] redolet nardus spicato gramine multum.
Mel apis[c] egregium portat tibi corpore parvo.
Parva quidem res est oculorum, cerne, pupilla;
Sed regit imperio vivacis corporis actus.
Sic regit ipse domum totam sibi Nardulus istam.
„Nardule", dic lector pergens: „tu parvule, salve".

Et iam anno 796 Theodulfus episcopus Aurelianensis in versibus Carolo scriptis haec de Einharto protulit[4]:

Nardulus huc illuc discurrat perpete gressu,
Ut, formica, tuus pes redit itque frequens.
Cuius parva domus habitatur hospite magno,
Res magna et parvi pectoris antra colit.
Et nunc ille libros, operosas[d] nunc ferat et res,
Spiculaque ad Scotti nunc paret apta necem.

Num palatii feminae quoque exiguitate Einharti oblectatae sint, non reperimus; id tamen manifestum est, unam nobilissimam feminam ei mirabiliter favisse. Uxorem enim duxit Immam[5], *sororem Bernharii*[6] *viri praestantis, qui simul et ecclesiae Wormatiensi episcopus et coenobio Wizenburgensi abbas praefuit. Ea tantopere marito obsequebatur tantumque ab eo discebat, „ut non sui sexus modo verum etiam turbam virorum*

a. in *edd.* b. Iam *edd.* c. Mel apis *scripsi pro* Me lapis *edd.* d. operosus *ed.*

1. V. Walafridi versus infra p. 495. 2. Alcuini carm. n. 242, opp. ed. Frobenius II 231. 3. Cf. Wattenbach Deutschlands Geschichtsquellen, ed. 2, p. 124 n. 2. 4. Theodulfi carminum L. III. I v. 155—160, opp. ed. Sirmondus p. 186. 5. V. Ludovici I imp. diploma d. d. 11 Ian. 815 (Codex Lauresham. diplom. T. I 44): „fideli nostro Einhardo nec non et coniugi suae Immae". Eam nobilissimam feminam appellat Lupus in ep. 4 (opp. p. 9): „nobilissimae illius feminae". 6. V. Einharti ep. 3 supra p. 442 n. 4. In coenobio Laureshamensi, quem quidem locum Einhartus donatione sibi devinxerat (v. infra p. 494), saeculo XII fabulose narrabant, Immam ipsius Caroli imperatoris fuisse filiam Einhartoque post amatorios casus, patre tandem concedente, nupsisse; v. Cod. Laur. I p. 40 sq.

sua insigni prudentia gravitate atque honestate longe superaret"[1]. *Neque ignoramus, a marito quoque uxorem ultra obitum amantissime cultam esse*[2]; *quamvis liberos eis fuisse certum non sit*[3].

Post Caroli mortem multis annis etiam Ludovici I impera- 814
toris ministerium Einhartus fideliter persequebatur[4] *in summoque*
apud eundem honore fuit. Qui quidem, cum Lotharium anno
817 in regni societatem accepisset, ducem morumque magistrum 817
iuveni regio ipsum Einhartum dedisse videtur[5]. *Eiusdem, ut*
quidem verisimile est, imperatoris largitione Einhartus, cum
uxorem dilectam haberet in matrimonio[6], *nonnullis monasteriis*
abbas praefectus est[7]: *S. Petri Blandiniensi, ubi gratam eius*

1. Haec scripsit Lupus Ferrariensis in ep. 4, opp. p. 11. 2. V. infra. 3. Eos enim d. 12 Sept. 819 nondum auctos liberis fuisse, patet ex tabula in Cod. Lauresham. T. I 46, ubi Einhartus et Imma „Filios quoque" inquiunt „si nos habere contigerit". Tantoque magis dubium est, num Vussin ille natura filius Einharti fuerit, ad quem eius ep. 56 (supra p. 477) missa est. Nam scriptor etsi Vussinum sic alloquatur: „fili", „mi nate", tamen verba haec perinde animi filium atque corporis declarant; ut omittam, ipsam epistolam videri tantum ab Einharto scriptam esse. 4. Translatio SS. Marcellini et Petri c. 2: „atque illius, cui tunc militaveram, principis Hludowici". 5. V. Einharti ep. 7, supra p. 445. 6. Sunt qui Einhartum propterea, quod abbas factus sit, diremisse nuptias putent (ut Mabilio Annal. ord. Bened. II 426). Sed in tabulis sequentis adnotationis reperimus, eum, licet iam d. 2 Iun. 815 coenobium Blandiniense abbas regeret, tamen etiam die 12 Sept. 819 liberos procreaturum fuisse. Nec latet, eum cum Imma uxore usque ad mortem eiusdem una vixisse (v. infra). Pertzius etiam (Mon. Germ. SS. II 427) eum „presbyterum consecratum missam legisse" scripsit, perperam intelligens in Historiae translationis SS. Marcellini et Petri cap. 42 haec Einharti verba: „cum propter matutinum officium celebrandum ad ostium ecclesiae venissemus"; nam quivis laicus id ipsum de se pronunciare potest. Ceterum ipsa monasteria illo tempore sub laicorum dominationem subici solita esse, docet Paschasii Radberti vita Walae (Mon. Germ. SS. II 549) his verbis: „Monasteriorum interea ostendit et enumeravit pericula, cum iam tunc temporis nonnulla iam a laicis tenebantur; etsi hodie multo minus inveniuntur, quae de proprio regantur ordine, sed sunt omnia paene mundi usibus et studiis occupata vel depravata". 7. Quibus in tabulis Einhartus et abbas et sine abbatis titulo compareat, hoc loco breviter comprehenderem placuit. Sunt enim hae:

815 Ian. 11, Aquisgrani palatio regio. Einhartus et eius coniux Imma a Ludovico I imperatore locum Michlinstat in silva Odonewalt et villam Mulin-

memoriam diu retinebant[1], *S. Bavonis Gandensi*[2], *S. Servatii*

heim superiorem in pago Moynecgowe dono accipiunt. Diploma Ludovici, Cod. Lauresham. I 44.

815 Iun. 2, Aquisgrani palatio regio. Einhardo abbate petente, Ludovicus I imperator coenobium Blandiniense tuendum suscipit. Vande Putte Annales S. Petri Blandiniensis p. 69, Miraei Opp. dipl. I 131.

819 Apr. 13, Aquisgrani palatio regio. Einhardo abbate petente, Ludovicus I imperator coenobium S. Bavonis Gandense tuendum suscipit. Miraei Opp. dipl. I 18.

819 Sept. 12, in Laureshamo monasterio. Einhardus et Imma coenobio Laureshamensi cellam Michlenstat in pago Plumgowe, in silva Odonewalt, donant „ea ratione, ut, quam diu in hac mortalitate divina iussione vixerint, habeant cellam in sua potestate; filios quoque si se habere contigerit, unus ex eis in eadem possessione sibi iure precario succedat". Cod. Lauresham. dipl. I 46.

820 Sept. 2, Carisiaco palatio. Einhartus subscribit tabulam, qua, concedente Ludovico I imperatore, Bernharius Wormaciensis episcopus et abbas Wizenburgensis cum Huc quondam comite permutationem bonorum facit. Zeuss Traditiones Wizenburgenses p. 73—76.

821? — —, Traiecto citra Hrenum in monasterio S. Servasii. Einhardus abbas S. Servacii Meginfridum manumittit „anno Christo propitio imperii domni VI, indictione XIIII". Carpentier Alphabetum Tironianum p. 77, charta 47.

824 — —, Argentogilo. Einhardus abbas et Theodredana abbatissa Argentogilensis (filia Caroli M.) permutationem mancipiorum faciunt „anno undecimo, regnante domino Hludowico piissimo imperatore". Mabillon De re diplomatica p. 515.

830 Ian. 21, in monasterio Blandinio. Einhardus abbas Norberto beneficium concedit. Warnkoenig Flandrische Staats- und Rechtsgeschichte T. I, append. p. 101.

839 (?) Sept. 7 — — Einhardus abbas (Blandiniensis) Engelhardo beneficium concedit „sub die 7 Id. Sept., anno 27 regnante domino nostro Hludowico gloriosissimo imperatore". Warnkoenig Flandr. Staats- und Rechtsgeschichte T. I, append. p. 13.

1. V. Series abbatum S. Petri Blandiniensis scripta saec. XII (Vande Putte Annales S. Petri Bland. p. 24): „locus iste pene ad nichilum est redactus, donec surrexit in eodem monasterio Ainardus. Hic 24 clericos in hoc monasterio constituit". Cf. Chron. S. Petri Bland. (ibid. p. 58), Historia S. Petri Bland. (ibid. p. 68, 69) et „carta Einardi piissimi abbatis" (ibid. p. 71—74). In Annalibus Bland. (Mon. Germ. SS. V 23) variae memorantur donationes factae sub Fulrado abbate anno 825, sub Einardo annis 826, 830, 832, 838, 839; ut non ante a. 825 huic coenobio praefuisse Einhartum confidas, nisi iam d. 2 Iunii 815 hoc munere functum eum esse constet; v. supra. De Blandinio cf. etiam Einharti ep. 54 supra p. 476. 2. V. supra ad 819 Apr. 13; et cf. Einharti epp. 9, 10, 54 supra p. 447, 449, 476.

ad Mosam Traiectensi[1], *S. Wandregisili Fontanellensi*[2]. *Atque adeo in Italia „ex beneficio regum" tenuit basilicam b. Iohannis baptistae Papiensem, „quae vulgo Domnanae vocatur"*[3]. *Cum aula autem etiamsi Ludovico imperante iam paulo minus artam rationem habuit*[4] *hibernaque tantum tempora Aquisgrani degere solebat*[5], *tamen in palatinis annumerari non ita facile est desitus. Walafridus enim cum anno 829 ipsam Ludovici imperatoris aulam carmine*[6] *celebraret, inter aulicos Einhartum tum vehementer aegrotantem*[7] *commemoravit his versibus:* 829

(De Einharto magno)

Nec minor est magni reverentia patris habenda
Beseleel, fabre primum qui percipit omne
Artificum praecautus opus. Sit[a] denique summus
Ipse levans[b] infirma Deus, qui[c] fortia temnit.
Magnorum quis enim maiora receperat umquam,
Quam radiare brevi[d] nimium miramur homullo.

Sed iam insequente anno Einhartus muneribus aulicis levatus est. Etenim anno 830, Ludovico imperatore in Britanniam profecto, cum eiusdem filii ex priore uxore geniti arma contra patrem sumerent et ipsa Iuditha invidiosissima imperatrix, Aquis- 830

a. Sic *ed.* b. legens *ed.* c. sic *ed.* d. in *excidisse videtur.*

1. V. p. 494 ad 821? 2. Annis 816—823 coenobio Fontanellensi praefuisse Einhartum, docent Gesta abbatum Fontan., Mon. Germ. SS. II 294. Cf. Einharti ep. 20 supra p. 457. 3. V. Hist. translat. SS. Marcellini et Petri c. 12. 4. Cf. infra Einharti epitaphium, ubi Rhabanus eundem scribit a Carolo tantum (non a Ludovico) „propria nutritum esse in aula". 5. Hist. transl. SS. Marcellini et Petri c. 44: „cum ego mense Novembrio, secundum consuetudinem in palatio hiematurus, ad comitatum ire disponerem". Cf. Einharti ep. 27 supra p. 461. 6. quod edidit Dümmlerus ap. Haupt Zeitschrift für deutsches Alterthum XII 461—469. 7. V. Einharti ep. 9 scripta a. 830 supra p. 448: „nimia ventris solutio et renium dolor in me alternando sibi succedunt. Sunt pariter hec et alia, que mihi ex illo morbo, in quo anno praeterito (i. e. anno 829) iacui, contigerant: dextri videlicet femoris continuus torpor ac splenis pene intolerabilis dolor". Ad eundem anni 829 morbum spectant, quae leguntur in Einharti ep. 14 supra p. 452: „de illis meis petitionibus, quibus tunc, quando imminentis viciniam mortis exhorrui, vobis suggessi".

830 *grano Compendium properans, Einhartum se sequi iussisset, is
in tanto illius temporis discrimine, iterum adversa valetudine
contracta, neque ad Iuditham neque ad Ludovicum accessit, sed
domum revertendi veniam et petiit*[1] *et obtinuit*[2]. *Ac quamquam
nemini dominatorum tantopere discordantium odio esse nitebatur
sicque „mira quadam libratione“*[3] *se gerebat, ut neque Ludovici
imperatoris gratia orbaretur et filiis eius maximeque Lothario
imperatori placeret*[4], *obtigit ei tamen, ut, posthac a palatii offi-
ciis vacuus, cui vitae rationi erat puerili aetate Fuldae traditus,
eandem fere teneret deinceps suae domi.*

815 *Nam cum anno iam 815 duos vicos, Michlinstat in silva
Odonewalt et Mulinheim superiorem*[5] *Moeno flumini appositum,
a Ludovico imperatore muneri accepisset*[6], *ut basilicae Michlin-
statensi postea aedificatae sanctorum reliquiae compararentur,*
827 *anno 827 Ratleicum notarium suum Romam misit; isque, furto
ibidem facto, corpora sanctorum Marcellini et Petri in basili-
cam illam perduxit. Sed Einhartus, maxime ut videtur propter
lentitudinem hominum illius regionis*[7], *sanctos iam mense Ianua-*
828 *rio a. 828 Mulinheim superiorem transportavit; ubi tot miracula
edebantur, ut ibidem et omnino exinde libentissime moraretur et,*
830 *iam palatinis curis liberatus, anno 830 stabilem sibi sedem po-
neret*[8].

1. V. Einharti epp. 8, 9, 10 supra p. 447—449. 2. V. Einharti ep. 12 supra p. 450: „quando mihi licentiam inpetrastis pergendi“ cet. 3. V. Walafridi prologus infra. 4. V. Einharti ep. 11 et 12 supra p. 450. 5. Fuerunt duo vici Mulinheim, superior et inferior; et superior quidem hodie Seligenstadt appellatur, inferior inter Offenbach et Hanau etiam nunc dicitur Mühlheim. 6. V. supra p. 493 n. 7 ad 815 Ian. 11. 7. Translat. SS. Marcellini et Petri cap. 18: „comitante nos pauperum turba, quae illo — undecumque confluxerat; nam circamanentes populi, quid apud nos ageretur, penitus ignorabant“; cf. cap. 17: „praesertim in illa regione, in qua, tametsi quaedam coenobia ab eo loco, in quo eramus, haud longe posita esse constabat, tamen propter rudem in his locis eius conversationis institutionem aut rarus aut nullius erat, de cuius sanctitate tale aliquid vel tenuis fama loqueretur“. 8. Ex historia translationis SS. Marcellini et Petri, quae quo tempore gesta sint liquet, ea hoc loco coniunctim attingenda duxi:

826 exeunte anno S. Sebastiani corpus in coenobium S. Medardi Suessio-

Hoc loco de translatione et miraculis sanctorum suorum

nense transfertur. Transl. cap. 2. (De tempore v. Annales Einharto ascripti 826, Mon. Germ. SS. I 215).

(827) in palatio Aquisgrani. Einhartus Ratleicum notarium suum cum Deusdona, ecclesiae Romanae diacono, Romam mittit. Transl. 3.

(827) in basilica b. Tiburtii, prope Romam in via Lavicana. Ratleicus corpora SS. Marcellini et Petri furatur. Transl. 7, 8 sq.

(827) in monasterio S. Bavonis. Einhartus Ratleici de apportatione corporum SS. Marcellini et Petri litteras accipit. Transl. 13, 14.

827 Oct. Michlinstat. Ratleicus corpora SS. affert. Transl. 14. (Annales Einharto ascripti 827: „Octobrio mense in Franciam translata“).

827 Michlinstat. Einhartus advenit. Transl. 15.

828 Ian. 17. Ad Mulinheim superiorem Einhartus corpora SS. transfert. Transl. 20.

828 Ian. 18. Mulinheim sup. Einhartus corpora in absida basilicae collocat. Transl. 21.

828 Ian. Aquisgranum Einhartus regreditur, ab imperatore vocatus. Transl. 21.

828 Mart. 29. In coenobio S. Medardi Suessionensi. Einharti legati partem corporis S. Marcellini surreptam reposcunt. Transl. 26: „in die palmarum“.

828 Mart. 31. ibidem. Einharti legati partem corporis S. Marcellini accipiunt. Transl. 26: „per triduum“.

828 Apr. Aquisgrani. Einharti legati partem corporis S. Marcellini Hildoino abbati S. Medardi Suessionensi apportant. Transl. 26.

828 post Apr. 12. Aquisgrani. Einhartus ab Hildoino partem corporis S. Marcellini recuperat. Transl. 26: „post sanctum pascha (Apr. 5) octo vel eo amplius diebus“.

828 Apr. — Iun. Aquisgrani. Pars corporis S. Marcellini in oratorio Einharti „diebus quadraginta vel eo amplius“ habetur. Transl. 29.

828 Mai. Aquisgrani. Einhartus particulas reliquiarum SS. Marcellini et Petri in monasterium S. Servatii Traiectense mittit (Transl. 81), ubi miracula facta sunt diebus his: 4, 8, 9, 10, 13, 14 („XVIII Kal. Iul., die dominico“), 17, 21, 23 Iunii (Transl. 81—89).

828 Iun. Aquisgrani. Einhartus Georgio presbytero S. Salvii Valentianensi „anno quarto (imo quinto) decimo imperii Hludowici augusti“ donat particulas reliquiarum SS. Marcellini et Petri (Transl. 69), quarum miracula deinceps fiebant diebus: 19 Iunii (Tr. 69), 21, 24, 26, 27, 28 Iunii, 4, 6, 7, 12, 26 Iulii (Tr. 70—75).

828 Iun. — Einhartus particulas reliquiarum SS. Marcellini et Petri in coenobium S. Bavonis Gandense mittit (Transl. 76), ubi „anno octingentesimo vicesimo octavo“ miracula facta sunt diebus: 3, 5, 12, 14, 21 Iulii, 15, 16 Aug., 22, 25, 26, 27, 30 Sept. (Tr. 76—80).

828 Iun. Mulinheim. Einhartus partem corporis S. Marcellini affert. Transl. 29. 30.

828 Nov. Mulinheim. Einhartus „se ad palatium (Aquisgranense) ire parat“. Transl. 31.

830 *Marcellini et Petri iam exeunte anno 830*[1] *conscripsit librum quem habemus*[2]*, amplum et qui legatur dignum. At evanuit Libellus de adoranda cruce, quem sex fere annis tardius dedicavit adolescenti amico Lupo*[3]*, postea abbati Ferrariensi, qui illa aetate in monasterio Fuldensi studiis deditus, cum ibidem Caroli imperatoris vitam reperisset, plurima capta opusculi delectatione, cognitionem usumque scriptoris expetierat*[4]*. Itaque illic aliquot annos in otio vivebat Einhartus, ab Imma uxore sua adiutus „in omni actione, in omni negocio, in tota domus ac familiae administratione, in cunctis, quae ad divinum vel humanum officium pertinent, disponendis atque ordinandis"*[5]*.*

836 *Hinc nimirum ineunte anno 836 ex obitu Immae*[6] *coniugis*

828 Nov. Aquisgranum Einhartus „ibidem hiematurus" proficiscitur. Transl. 33. 44.

828 Dec. Aquisgrani. Einhartus „post unum ex quo illo venerat mensem exactum" Ellenhardum Mulinheim mittit. Transl. 46.

829 Dec. 1. Mulinheim. Einhartus Aquisgranum proficiscitur. Transl. 56.

829 Dec. 2. Wisibadae Einhartus moratur; ubi fuerat „ante biennium de palatio revertens et reliquias beati martyris Marcellini, quae tunc ei redditae fuerunt, deferens". Transl. 56.

830 Iun. 1 et 2. Mulinheim. Einhartus „die natalitio SS. Marcellini et Petri" miracula fieri videt. Transl. 54, 55; cf. Transl. 93.

830 Aug. medio. Mulinheim. Einhartus a Deusdona diacono Romano articulum digiti beati Hermetis accipit. Transl. 93.

830 Aug. 28. Mulinheim. Einhartus miraculum fieri videt „dominica, V Kal. Sept." Transl. 93.

1. Novissimum miraculum enim, de quo Einhartus in hoc libro memorat, die 28 Aug. 830 factum est; v. eam quae praecedit adnotationem. 2. Hunc ediderunt Godefridus Henschenius in Act. SS. Iun. T. I 181—206 et Teulet Oeuvres complètes d'Eginhard T. II 175—376. 3. V. Lupi Ferrariensis ep. 3, opp. ed. Baluzius p. 18: „Libellum de adoranda cruce, quem meo nomini dedicastis, ut par fuit, amplexus sum". 4. Lupi ep. 1, opp. p. 3: „Quare cum et ante propter opinionem vestram, quam sapiente viro dignam imbiberam, tum praecipue propter expertam mihi illius libri facundiam, desideravi deinceps aliquam nancisci oportunitatem, ut vos praesentes alloqui possem". 5. V. Lupi ep. 3, opp. p. 7. 6. Lupus (quem anno 836 Fulda in Galliam rediisse constat), acceptis Einharti de Immae morte litteris dolore refertis (Lupi ep. 3, opp. p. 5) respondit epistola consolatoria (ep. 4, opp. p. 9—18); in qua (p. 18) et significavit, se „medio Maio hinc (i. e. e monasterio Fuldensi in Galliam) recedere decrevisse", et scripsit haec: „Atque utinam sic omnia, quaecunque ab initio

carissimae hausit admodum gravem diuturnumque dolorem. Eo- 836
que acerbius ferebat calamitatem, quod, quorum sanctorum a
sese magnopere cultorum ossa ossiumque particulas tam multis
advenis aegrotantibus largissime mederi viderat, Marcellinus et
Petrus de ipsa uxore sua spem omnem deceperint[1]. *Neque amici*
deerant, quominus amaritudinem moeroris augerent, de mortua lu-
genti ineptam gratulationem faciendo[2]. *Sed tenerrima solatia ei*
afferebantur Lupi litteris[3]; *itemque Ludovicus imperator, qui ad*
sanctos illos anno 836 accessit[4], *Einharti consolandi gratia eo*
venisse videtur. Quem tamen — licet constantiam captans pro-
fiteretur, se Immae „mortalitatem magis quam vitam videre esse
finitam"[5] *— existimem ultra haudquaquam bene beateque vixisse,*
quoad sua morte defunctus est die 14 Martii anni 840[6]. 840

enodanda vobis misi, vel hoc anno reliqui, aperire non gravemini". (Cf. etiam ibidem verba haec: „sicut vobis, si recordamini, dixi"). E quo apparet, eodem spatio mensium Ianuarii — Aprilis a. 836 et Lupum prius apud Einhartum fuisse et deinde Immam mortuam esse.

1. V. Lupi ep. 3, opp. p. 6, ubi sic scripsit Einhartus: „Huc accedit, quod ipsum dolorem identidem accumulat et vulnus semel acceptum exulcerat, quod vota scilicet nostra nihil valere permissa sunt, ac spes, quam in martyrum meritis atque interventione collocavimus, expectationem nostram ex asse frustrata est". 2. ibid.: „atque in eo censent mihi gratulandum, in quo nullum gaudii vel laetitiae valent demonstrare vestigium". 3. Lupi ep. 4, opp. p. 9—17. 4. V. Annales Fuldenses (Mon. Germ. SS. I 360) 836: „imperator ad Franconofurd venit, inde ad sanctos Marcellinum et Petrum et inde ad Ingilenheim" cet. 5. V. Lupi ep. 3, opp. p. 7. 6. Supremum Einharti diem repetimus ex Necrologio Laureshamensi (ap. Boehmer Font. III 146): „2 Id. Mart. Einhardi abbatis; hic Sancto Nazario cellam Michilinstat cum centum mancipiis et omni integritate dedit", et ex necrologio Fuldensi (ap. Leibnitium SS. Brunsvic. III 762): „Einhart abbas 2 Id. Martii". (Nec tamen reticere licet, Mabilionem in Annal. ord. Bened. Lib. 32, 16 T. II 610 scripsisse haec: „In vetusto breviario Fontanellensi notatur: „„15 Kal. Iunii Einardi abbatis Fontanellae commemoratio""). Annum indicant annales mortuorum Fuldenses (ap. Dronke Traditiones et antiquitates Fuldenses p. 168): „Annus domini DCCCXL. Ob. unaldhelm, einhart ... hluduuicus imperator" cet. Annales S. Bavonis Gandenses quidem, in Mon. Germ. SS. II 187, Einharti obitum ad annum 844 referunt; sed hi annales sero congesti prae vetustate relationis Fuldensis longe recedunt, cum praesertim vitiose doceant „anno 826 Eynardum, capellanum Ludovici piissimi imperatoris, factum esse abbatem

840 *Eius elogium autem Rhabanus, tum abbas Fuldensis, ita scripsit*[1]*:*

Te peto, qui hoc templum ingrederis, ne noscere spernas,
Quid locus hic habeat quidque tenens moneat.
Conditus ecce iacet tumulo vir nobilis isto,
Einhardus[a] nomen cui genitor dederat.
Ingenio hic prudens, probus actu atque ore facundus
Extitit, ac multis arte fuit utilis.
Quem Carolus princeps propria nutrivit in aula,
Per quem et confecit multa satis opera.
Nam horum sanctorum condigno functus honore,
Exquirens Romae corpora duxit et huc:
Ut multis prosint precibus curaque medelae
Ipsiusque animae regna poli tribuant.
Christe deus, hominum salvator rector et auctor,
Aeternam[b] huic requiem da super astra pius.

Ex libris Einharti iam duos attigi, quorum alter remansit, alter non iam apparet. Epistolae eius sunt supra[2] *editae. Addixerunt ei etiam annales ab anno 741 ad annum 829 progressos*[3]*; quae res quibus argumentis confirmetur, alias considerabimus. Iam nostra maxime interest, ut de ea tractemus, quae ipsum scriptorem unice nobilitavit quamque propposituri sumus, Caroli Magni vita.*

Einhartus igitur, permultorum Caroli in se beneficiorum memor gratusque, imperator cum esset mortuus, non longa mora interposita vitam eius memoriae prodendam suscepit. Et ea quidem voluntas fuit, non ut omnes illius res gestas plene et accurate persequeretur, sed ut, licet rerum ipsarum conspectus fieret,

a. Emhardus *Brower.* b. Aeternum *Brower.*

Gandensis coenobii", quem quidem scimus eidem monasterio iam anno 819 praefuisse; v. supra p. 494.

1. V. Hrabani Mauri poemata ed. Christophorus Browerus, Moguntiae 1617, p. 88: „Epitaphium Einhardi". 2. p. 437 sq. 3. Mon. Germ. SS. I 135—218; de quibus annalibus cf. Ranke Zur Kritik fränkisch-deutscher Reichsannalen, Berlin 1855; et Wattenbach Deutschlands Geschichtsquellen, ed. 2, p. 126—134.

tamen ingenium moresque Caroli prominerent, vitaque eius domestica studiosius adumbraretur quam publica[1]. *Qua in deliberatione scriptor novum imperatorem cum antiquis Romanorum imperatoribus contulit; idque egit, ut eorundem imaginibus a Suetonio pictis haud imparem illius imaginem aggregaret. Inde autem verebantur viri docti, ne vestigiis Suetonii sequendis officii sui partes excesserit. Nec potest dubitari profecto, quin archetypum imitationi praestet. At aeque certum est, illo instituto Einhartum non modo non deminuisse narrationis fidem, sed contra haud mediocriter Caroli cognitionem adauxisse. Namque lectitando Suetonii opere sincerus medii aevi homo earum, quas viderat in Carolo, rationum facultatumque quasi conscius factus est; didicitque a percontante ut ita dicam atque interrogante vetere historico picturae suae lineas mente concipere; quarum magna pars ut omnino praeteriretur, sine scriptoris Romani disciplina futurum fuisse confidam. Quantumvis autem et rerum digestionem et singulas locutiones ex magistri opere saepius captaverit*[2], *tamen, ubi de rebus agitur, assumptis illinc verbis plerumque*

1. V. Einharti praefatio: „Vitam et conversationem et ex parte non modica res gestas Karoli — scribere animus tulit"; cap. 4: „ad actus et mores ceterasque vitae illius partes explicandas ac demonstrandas transire disposui; ita tamen, ut primo res gestas et domi et foris, deinde mores et studia, tum de regni administratione et fine narrando" cet.; cap. 6: „nisi, vitae illius modum potius quam bellorum quae gessit eventus memoriae mandare praesenti opere, animo esset propositum".
2. Eiusmodi sunt haec. Cap. 4: „ad actus et mores ceterasque vitae illius partes explicandas ac demonstrandas — transire disposui; ita tamen" cet. (Suet. Octav. c. 9: „Proposita vitae eius velut summa, partes singillatim — exsequar, quo distinctius demonstrari cognoscique possint"). C. 5: „Omnium bellorum, quae gessit, primo Aquitanicum — suscepit" (Suet. Oct. c. 10: „Omnium bellorum initium et causam hinc sumsit"). C. 10: „Domuit et Brittones" (Suet. Oct. c. 21: „Domuit autem — Cantabriam" cet.). C. 18: „Talem eum in tuendo — regno fuisse constat, cuius animi dotes — ceteraque ad interiorem atque domesticam vitam pertinentia iam abhinc dicere exordiar" (Suet. Oct. c. 61: „Quoniam, qualis in imperiis — fuerit, exposui, referam nunc interiorem ac familiarem eius vitam"). C. 33: „Testamenta facere instituit" (Suet. Oct. c. 101: „Testamentum — factum ab eo" cet.).

aut aliud ac apud Suetonium declarari videmus[1] *aut prorsus contrarium*[2]. *Ex quo efficitur, si Einhartus rem aut similem*[3]

1. His rationibus: Cap. 17: „Praecipue tamen aedes sacras, ubicumque in toto regno suo vetustate conlapsas comperit, pontificibus et patribus, ad quorum curam pertinebant, ut restaurarentur imperavit" (Suet. Oct. c. 30: „Aedes sacras vetustate collapsas — refecit"). C. 22: „Et non solum filios ad balneum, verum optimates et amicos, aliquando etiam satellitum et custodum corporis turbam invitavit, ita ut nonnunquam centum vel eo amplius homines una lavarentur" (Suet. Tit. 8: „nunnunquam in thermis suis, admissa plebe, lavit"). C. 24: „Caena cotidiana quaternis tantum ferculis praebebatur" (Suet. Oct. c. 74: „Coenam ternis ferculis, aut, cum abundantissime, senis praebebat"). C. 25: „Latinam (linguam) ita didicit, ut aeque illa ac patria lingua orare — i. e. precari — sit solitus" (Suet. Tit. c. 3: „Latine Graeceque vel in orando — i. e. in contionando — vel in fingendis poematibus promtus et facilis"). C. 27: „Neque ille toto regni sui tempore quicquam duxit antiquius, quam ut urbs Roma — vetere polleret auctoritate" (Suet. Vesp. c. 8: „ac per totum imperii tempus nihil habuit antiquius, quam — rem publicam stabilire"). 2. Velut cap. 19: „Mortes filiorum ac filiae pro magnanimitate, qua excellebat, minus patienter tulit" (Suet. Oct. c. 65: „Aliquanto autem patientius mortem quam dedecora suorum tulit"); ibidem: „Erat enim in amicitiis optime temperatus, ut eas et facile admitteret et constantissime retineret" (Suet. Oct. c. 66: „Amicitias neque facile admisit et constantissime retinuit"). C. 22: „Corpore fuit amplo atque robusto, statura eminenti, quae tamen iustam non excederet" (Suet. Tib. c. 68: „Corpore fuit amplo atque robusto, statura, quae iustam excederet"). C. 23: „Vestitu patrio, id est Francico, utebatur" (Suet. Calig. c. 52: „Vestitu calceatuque neque patrio neque civili — usus est"). C. 24: „Convivabatur rarissime — tunc tamen cum magno hominum numero" (Suet. Oct. c. 74: „Convivabatur et assidue nec unquam nisi recta; non sine magno ordinum hominumque delectu"); ibidem: „post cibum meridianum — depositis vestibus et calciamentis — duabus aut tribus horis quiescebat" (Suet. Oct. c. 74: „Post cibum meridianum ita ut vestitus calceatusque erat — paulisper quiescebat"). 3. Quo e genere cap. 19: „Filias vero lanificio adsuescere coloque ac fuso — operam inpendere iussit" (Suet. Oct. c. 64: „Filiam et neptes ita instituit, ut etiam lanificio assuefaceret"); ibidem: „Filiorum ac filiarum tantam curam habuit, ut numquam domi positus sine ipsis caenaret, numquam iter sine illis faceret; adequitabant ei filii; filiae vero pone sequebantur" (Suet. Oct. c. 64: „Neque coenavit una, nisi ut in imo lecto assiderent — nepotes —; neque iter fecit, nisi ut vehiculo anteirent aut circa adequitarent"). C. 22: „Exercebatur assidue equitando" (Suet. Tit. 3: „armorum et equitandi peritissimus"). C. 23:

aut eandem[1] *quam ille eiusdem vocabulis significet, ipsas illas res vere aut sub similem aut sub eandem rationem cecidisse.*

Sunt editiones libri plures quam viginti[2], *quarum non optimam sed aerumnosissimam effecit Pertzius (Mon. Germ. SS. II*

„Et feminalibus lineis induebatur ... et tibialia" (Suet. Oct. 82: „Hieme — et feminalibus et tibialibus muniebatur"). C. 24: „In cibo et potu temperans sed in potu temperantior" (Suet. Oct. c. 76: „Cibi minimi erat"); ibidem: „Inter caenandum aut aliquod acroama aut lectorem audiebat" (Suet. Oct. c. 74: „et aut acroamata et histriones aut etiam triviales ex circo ludios interponebat"); ibidem: „Vini et omnis potus adeo parcus in bibendo erat, ut super caenam raro plus quam ter biberet (Suet. Oct. c. 77: „Vini quoque natura parcissimus erat. Non amplius ter bibere eum solitum super coenam in castris apud Mutinam, Cornelius Nepos tradit"); ibidem: „Noctibus sic dormiebat, ut somnum quater aut quinquies non solum expergescendo sed etiam desurgendo interrumperet" (Suet. Oct. c. 78: „non amplius — quam septem horas dormiebat, ac ne eas quidem continuas, sed ut in illo temporis spatio ter aut quater expergisceretur"); ibidem: „Cum calciaretur aut amiciretur, non tantum amicos admittebat, verum etiam, si comes palatii litem aliquam esse diceret — statim litigantes introducere iussit" (Suet. Vesp. c. 21: „amicos admittebat; ac dum salutabatur, et calceabat ipse sese et amiciebat; postque decisa, quaecunque obvenissent, negotia"). C. 25: „Erat eloquentia copiosus" (Suet. Oct. 84: „Eloquentiam studiaque liberalia — laboriosissime exercuit").

1. Ad hunc modum: Cap. 3: „Pippinus — morbo aquae intercutis diem obiit" (Suet. Nero c. 5: „decessitque (Domitius) morbo aquae intercutis"). C. 22: „fuit — canitie pulchra ... unde formae auctoritas ac dignitas tam stanti quam sedenti plurima aquirebatur" (Suet. Claud. c. 30: „Auctoritas dignitasque formae non defuit vel stanti vel sedenti .... nam ... erat et specie canitieque pulchra"); ibidem: „Quamquam cervix obesa et brevior venterque proiectior videretur, tamen haec ceterorum membrorum celabat aequalitas" (Suet. Ner. c. 51: „cervice obesa, ventre proiecto", Oct. c. 79: „sed quae — statura brevis — commoditate et aequitate membrorum occuleretur"); ibidem: „Valitudine prospera; praeter quod — ad extremum etiam uno pede claudicaret" (Suet. Claud. c. 31: Valetudine — perprospera usus est", Oct. c. 80: „crure sinistro non perinde valebat, ut saepe etiam inde claudicaret"). C. 25: „Artes liberales studiosissime coluit" (Suet. Tiber. c. 70: „Artes liberales utriusque generis studiosissime coluit"). 2. Earum primam fecit Coloniae anno 1521 Hermannus a Nuenare. Ex ceteris editionibus saepius enumeratis suffecerit meminisse earum, quas paraverunt anno 1636 Duchesne in Script. hist. Franc. II 91—106, anno 1744 Bouquet in Rec. des hist. V 88—103, anno 1829 Pertzius in Mon. Germ. SS. II 443—463, anno 1839 Ideler Leben und Wandel Karls des Grofsen I 49—98, anno 1840 Teulet Oeuvres complètes d'Eginhard I 1—114.

443—463), circiter sexaginta codicibus manu scriptis usus. Ex qua quidem editione comperiri potest, in sola multitudine codicum praesidium vitiorum non inveniri, sed eo providius iudicium tali affluentia flagitari, ne fiat, ut corruptelis librariorum liber antea satis bene editus maculetur veraque scriptoris verba in supposita quidem lectionum varietate neque vero in ipsa oratione reperiantur[1].

1. Ne inique iudicare de editione Pertziana videar, in hunc locum nonnulla ab eo aut depravata aut non correcta conduxi. Scripsit enim in Einharti praef.: „silentio atque oblivione tradantur" (pro: „oblivioni"); „et scribendo ingenioli mei periculum facere" (pro: „et haec scribendo" cet.); cap. 1: „Ad regni amministrationem — procurabat" (pro: „At regni" cet.); cap. 7: „quin aut ipse per se ductorem aut per comites suos misso exercitu perfidiam ulcisceretur" (pro: „quin aut ipse per se ducto aut per comites suos misso exercitu perfidiam eorum ulcisceretur"); cap. 8: „Hoc bello, licet permultum temporis spatio traheretur" (pro: „Hoc bello, licet per multum temporis spatium traheretur"); „apud Hasa fluvium" (pro: „apud Hasam fluvium"); „quae alicubi erant gerenda" (pro: „quae aliubi erant gerenda"); cap. 9 „Wasconiam perfidiam" (pro: „Wasconicam perfidiam"); cap. 13: „Quod proelia in eo gesta" (pro: „Quot proelia" cet.); „ut nec vestigium quidem" (pro: „ut ne vestigium quidem"); cap. 15: „sub Dertosae civitatis moenia Balearico mari miscetur" (pro: „sub — moenibus — miscetur"); cap. 17: „per omnes portus et hostia fluminum, qui naves recipi posse videbantur" (pro: „per — fluminum, qua naves recipi" cet.). Capitis 18 initium corrupit sic: „cuius animi dotes et summam in qualicumque et prospero et adverso eventu mirari liceat constantiam. Ceteraque ad interiorem atque domesticam vitam pertinentia iam ab hinc dicere exordiar" (pro: „cuius animi dotes et summam in qualicumque et prospero et adverso eventu constantiam ceteraque ad interiorem atque domesticam vitam pertinentia iam abhinc dicere exordiar"). In capite eodem omisit ex Caroli concubinis unam cum filia eiusdem: „Madelgardam scilicet, quae peperit ei filiam nomine Ruothildem". Scripsit ibidem: „de qua ei filia nomen Adaltrud nata est" (pro: „de qua illi filia nomine Adalthrud nata est"); cap. 19: „Mortes filiorum ac filiae pro magnanimitate, qua excellebat, nimis patienter tulit" (pro: „Mortes — minus patienter tulit"); ibidem: „Nuntiato etiam sibi Adriani — obitu, sic flevit, ut filium aut si fratrem amisisset carissimum" (pro: „— sic flevit, ac si fratrem aut karissimum filium amisisset"); ibidem: „Filiae vero pene sequebantur" (pro: „Filiae vero pone sequebantur"); cap. 25: „Adeo quidem facundus erat, ut etiam didascalus appareret" (pro: „— ut etiam dicaculus appareret"); cap. 32: „Item pons — fortuitu incendio conflagravit" (pro: „Item pons — fortuito incendio conflagra-

In hac editione adornanda equidem mihi non proposui inutilem illam molestiam, ut iterum ex tot saeculorum codicibus calamo scriptis omnem pulverem in legentium oculos excuterem. Sed cum superiore anno Parisiis cognovissem codicem bibliothecae imperialis lat. 10758, a Pertzio non adhibitum, membranaceum, qui fol. 305—328 et fol. 337—338 Einharti librum continet manu saec. IX vel X sic eximie scriptum, ut eundem appareret omnium qui supersunt codicum praestantissimum esse, hunc fere unice secutus sum.

Atque etiam codicem quondam S. Eucharii Trevirensem, hodie bibliothecae caesareae Vindobonensis 529 (olim Hist. prof. 667) membranaceum saec. X adii eodem anno 1866; omnemque eius lectionem adnotavi, non ideo quod ad recognoscendum ipsum librum magna momenta habeat, sed ne optimum Pertzii codicem[1] *excluderem utque palam fieret, hoc eiusdem editionis fundamentum quam infirmum sit. In adnotationibus igitur declarat:*

P *codicem Parisiensem,*

T *codicem Vindobonensem, quondam Trevirensem.*

Asservant autem in bibliotheca universitatis Havniensis inferiorem aetate quidem codicem olim Kirschgartensem[2] *chartaceum saec. XV, signatum* Arn. Magn. 830, *sed idcirco gratissimum, quod in eo inest Einharti liber a Walafrido Strabone abbate Augiensi (842—849), qui illum bene novit, in capita 39 divisus et capitum titulis adauctus*[3] *atque, quod gravissimum*

vit"); ibidem: „ut fibula sagi rupta balteoque gladii dissipato — exarmatus non sine amminiculo levaretur" (pro: „ut — exarmatus et sine amiculo levaretur"). Omisit in cap. 33 verba haec: „in tertiae illius et".

1. V. Mon. Germ. SS. II 441. 2. Continet codex enim Pseudoturpini quoque librum, cui haec sunt subiuncta: „Scriptus fuit liber iste Turpini archiepiscopi de gestis beati Karoli in Hyspania factis per suppriorem ordinis canonicorum regularium in Kyrszg(arten) iuxta Wormatiam anno Domini 1496 in octava sancti Augustini patris nostri". 3. Ad hunc modum: „De Meroingis, qui multo tempore Francis vano regum nomine imperaverunt primum capitulum"; „De Karolo maiore domus secundum capitulum"; „De Pipino et Karolomanno et filiis tertium capitulum" cet.

est, exornatus pretioso de ipso Einharto prologo[1]. *Quem codicem cum P. G. Thorsen omni liberalitate ad me misisset, lepidum illum prologum accurate exscriptum praeponere opusculo licuit.*

Berolini 9 Kal. Iulias a. 1867.

Sed partitionem operis a Walafrido non ita convenienter institutam reliqui, acquiescens in divisione usu recepta. — In eodem codice ut in aliis nonnullis libris manu scriptis operi Einharti adiuncti sunt Gerwardi (de quo v. Einharti ep. 39 supra p. 467) versus hi:

Hos tibi versiculos ad laudem, maxime princeps,
  Edidit eternam memoriamque tuam
Gerwardus supplex famulus, qui mente benigna
  Egregium extollit nomen ad astra tuum.
Hanc prudens gestam noris tu scribere lector
  Einhardum, magni magnificum Karoli.

1. Huius prologi excerpta tantum leguntur in codice bibliothecae Hannoveranae, ex quo ea Pertzius Mon. Germ. SS. II 440 not. * edidit neque eorum auctoritatem intellexit. Idem ex codice Havniensi postea totum prologum non sine mendis descriptum proposuit in Archiv der Gesellschaft für ältere deutsche Geschichtskunde VII 372.

WALAFRIDI PROLOGUS.

Gloriosissimi imperatoris Karoli vitam et gesta, quae subiecta sunt, Einhartus, vir inter omnes huius temporis palatinos non solum pro scientia verum et pro universa morum honestate laudis egregie, descripsisse cognoscitur et purissime veritatis, utpote qui his[a] pene omnibus interfuerit, testimonio roborasse.

Natus enim in orientali Francia in pago qui dicitur Moingeuui, in Fuldensi cenobio sub pedagogio sancti Bonifacii martiris[1] prima puerilis nutriture rudimenta suscepit. Indeque — pocius propter singularitatem capacitatis et intelligencie, quae iam tum in illo magnum quod postea claruit specimen sapientie promittebat, quam ob nobilitatis quod in eo munus erat insigne — a Baugolfo abbate[2] monasterii supra dicti in palacium Karoli translatus est.

Quippe qui omnium regum avidissimus erat sapientes diligenter inquirere et, ut cum omni delectacione philosopharentur, excolere. Ideo regni a Deo sibi commissi nebulosam et, ut ita dicam, pene cecam latitudinem tocius scientie nova irradiacione et huic barbariei ante partim incognita luminosam reddidit, Deo illustrante. Nunc vero, relabentibus in contraria studiis, lumen sapientie quod minus diligitur rarescit in plurimis.

a. hiis *c*.

1. i. e. in schola monasterii S. Bonifatii Fuldensis. 2. 780—802.

Predictus itaque homuncio — nam statura despicabilis videbatur — in aula Karoli, amatoris sapientie, tantum glorie incrementi merito prudentie et probitatis est assecutus, ut inter omnes maiestatis regie ministros pene nullus haberetur, cui rex id temporis potentissimus et sapientissimus plura familiaritatis sue secreta committeret. Et re vera non inmerito; cum non modo ipsius Karoli temporibus sed et, quod maioris est miraculi, sub Lodowico imperatore, cum diversis et multis perturbacionibus Francorum res publica fluctuaret et in multis decideret, mira quadam et divinitus provisa libracione se ipsum Deo protegente custodierit, ut subtilitatis nomen — quod multis invidiam comparavit et risum — ipsum nec inmature deseruerit nec periculis irremediabilibus manciparit.

Hec dicimus, ut in dictis eius minus quisque habeat dubitacionis, dum non ignoret, eum et dilectioni provectoris sui laudem precipuam[a] et curiositati lectorum veritatem prebere[b] perspicuam.

Huic opusculo ego Strabo titulos et incisiones, prout visum est congruum, inserui, ut ad singula facilior[c] querenti quod placuerit elucescat accessus.

EXPLICIT PROLOGUS.

a. pcipuū *c.* b. prebere *scripsi pro* debere *c.* c. ad facilior singula *c.*

Vitam[a] et conversationem et ex parte non modica res gestas domini et nutritoris mei Karoli, excellentissimi et merito famosissimi regis, postquam scribere animus tulit, quanta potui brevitate complexus sum; operam inpendens: ut de his, quae ad meam notitiam pervenire potuerunt, nihil omitterem, neque prolixitate narrandi nova quaeque fastidientium animos offenderem. Si tamen hoc ullo modo vitari potest, ut nova scriptione non offendantur, qui vetera et a viris doctissimis atque disertissimis[b] confecta monumenta fastidiunt.

Et quamquam plures esse non ambigam, qui, otio ac litteris dediti, statum aevi praesentis non arbitrentur ita neglegendum, ut omnia penitus, quae nunc fiunt, velut nulla memoria digna silentio atque oblivioni tradantur, potiusque velint, amore diuturnitatis inlecti, aliorum praeclara facta qualibuscumque scriptis inserere quam sui nominis famam posteritatis memoriae nihil scribendo subtrahere, tamen ab huiuscemodi scriptione non existimavi temperandum; quando mihi conscius eram: nullum ea veracius[c] quam me scribere posse, quibus ipse interfui quaeque praesens oculata ut dicunt fide cognovi et, utrum ab alio scriberentur necne, liquido scire non potui. Satiusque iudicavi: eadem cum aliis velut communiter litteris mandata memoriae posterorum tradere, quam regis excellentissimi[d] et omnium sua aetate maximi clarissimam vitam et aegregios atque moderni temporis hominibus vix imitabiles actus pati oblivionis tenebris aboleri.

a. *In P. hic libri titulus habetur:* VITA KAROLI IMPERATORIS AB EINHARDO DICTATA. b. dissertissimis *P.* c. veratius *P.* d. excelentissimi *P.*

Suberat et alia, non inrationabilis ut opinor, causa, quae vel sola sufficere posset, ut me ad haec scribenda compelleret: nutrimentum videlicet in me inpensum et perpetua, postquam in aula eius conversari coepi, cum ipso ac liberis eius amicitia. Qua me ita sibi devinxit debitoremque tam vivo quam mortuo constituit, ut merito ingratus videri et iudicari possem, si, tot beneficiorum in me conlatorum immemor, clarissima et inlustrissima hominis optime de me meriti gesta silentio praeterirem, paterer que vitam eius, quasi qui numquam vixerit, sine litteris ac debita laude manere, cui scribendae atque explicandae non meum ingeniolum, quod exile et parvum immo pene nullum est, sed Tullianam par erat desudare facundiam.

En tibi librum, praeclarissimi et maximi viri memoriam continentem. In quo praeter illius facta non est quod admireris; nisi forte: quod, homo barbarus et in Romana loquutione perparum exercitatus, aliquid me decenter aut commode Latine scribere posse putaverim; atque in tantam inpudentiam proruperim, ut illud Ciceronis putarem contemnendum, quod in primo Tusculanarum libro[1], cum de Latinis scriptoribus loqueretur, ita dixisse legitur: *Mandare quemquam* inquit *litteris cogitationes suas, qui eas nec disponere nec inlustrare possit nec delectatione aliqua adlicere lectorem, hominis est intemperanter abutentis et otio et litteris.* Poterat quidem haec oratoris aegregii sententia me a scribendo deterrere, nisi animo praemeditatum haberem: hominum iudicia potius experiri et haec scribendo ingenioli mei periculum facere, quam tanti viri memoriam, mihi parcendo, praeterire.

EXPLICIT PRAEFATIO

INCIPIT LIBER.

I. Gens[a] Meroingorum[b] — de qua Franci reges sibi creare soliti erant — usque in Hildrichum[c][2] regem, qui iussu Stephani[3]

a. *in T. haec praemissa sunt:* Vita Karoli imperatoris. b. Merovingorum *T.* c. Hildricum *T.*

1. I. 3, 6. 2. III, 743—752. 3. imo Zacharia papa (741—752) concedente. V. Regesta pontif. Roman. p. 188.

Romani pontificis depositus ac detonsus atque in monasterium[1] trusus est, durasse putatur. 751—752

Quae, licet in illo finita possit videri, tamen iam dudum nullius vigoris erat nec quicquam in se clarum praeter inane regis vocabulum praeferebat. Nam et opes et potentia regni penes palatii praefectos, qui maiores domus dicebantur et ad quos summa imperii pertinebat, tenebantur. Neque regi aliud relinquebatur, quam ut, regio tantum nomine contentus, crine profuso, barba summissa, solio resideret ac speciem dominantis effingeret, legatos undecumque venientes audiret eisque abeuntibus responsa, quae erat edoctus vel etiam iussus, ex sua velut potestate redderet; cum — praeter inutile regis nomen et precarium vitae stipendium, quod ei praefectus aulae prout videbatur exhibebat[a] — nihil aliud proprii possideret quam unam et eam praeparvi reditus villam, in qua domum et ex qua famulos, sibi necessaria ministrantes atque obsequium exhibentes, paucae numerositatis habebat. Quocumque eundum erat, carpento ibat, quod bubus iunctis et bubulco rustico more agente trahebatur. Sic ad palatium, sic ad publicum populi sui conventum, qui annuatim ob regni[b] utilitatem celebrabatur, ire, sic domum redire solebat. At[c] regni administrationem et omnia, quae vel domi vel foris agenda ac disponenda erant, praefectus aulae procurabat.

II. Quo officio tum, cum Hildrichus[d] deponebatur, Pippinus pater Karoli regis iam velut hereditario fungebatur. Nam pater eius Karolus — qui tyrannos per totam Franciam dominatum sibi vindicantes oppressit; et Sarracenos[e], Galliam occupare temptantes, duobus magnis proeliis, uno in Aquitania apud Pictavium[f] civitatem altero iuxta Narbonam apud Birram fluvium, ita devicit, ut in Hispaniam eos redire compelleret — 715—741

a. exibebat *T.* b. regiā *T.* c. Ad *T.* d. Hildricus *T.* e. Saracenos *T.* f. Pectavium *P.*

1. Sithiense (dioec. Tarvannensis, in Flandria), secundum Annales Bertinianos 750, Mon. Germ. SS. I 138. Sed Annales Lobienses 750 (Mon. Germ. SS. II 195) tradunt, Hildricum „in monasterio S. Medardi (Suessionensi) esse attonsum“.

715—741 eundem magistratum, a patre Pippino sibi dimissum, aegregie
administravit. Qui honor non aliis a populo dari consueverat,
quam his, qui et claritate generis et opum amplitudine ceteris
eminebant.

Hunc cum Pippinus, pater Karoli regis, ab avo et patre
741 sibi et fratri Karlomanno[a] relictum, summa cum eo concordia
divisum, aliquot annis velut sub rege memorato tenuisset, frater
eius Karlomannus — incertum, quibus de causis; tamen videtur,
quod amore conversationis contemplativae succensus — operosa
747 temporalis regni administratione relicta, Romam se in otium
contulit. Ibique habitu permutato monachus factus, in monte
Soracte[b], apud ecclesiam beati Silvestri constructo monasterio[1],
cum fratribus secum ad hoc venientibus per aliquot annos optata
quiete perfruitur. Sed cum ex Francia multi nobilium ob vota
solvenda Romam solemniter commearent et eum velut dominum
quondam suum praeterire nollent, otium quo maxime delectabatur
crebra salutatione interrumpentes, locum mutare compellunt.
Nam[c] huiuscemodi frequentiam cum[d] suo proposito officere
vidisset, relicto monte, in Samnium provinciam ad monasterium
sancti Benedicti situm in castro Casino[e] secessit. Et ibi, quod
754 reliquum erat temporalis vitae, religiose conversando complevit.

752—768 III. Pippinus autem, per auctoritatem Romani pontificis ex
praefecto palatii rex constitutus[f], cum[g] per annos 15 aut eo
amplius[2] Francis solus imperaret — finito Aquitanico bello, quod
contra Waifarium ducem Aquitaniae ab eo susceptum per continuos
novem annos[3] gerebatur — apud Parisios[h] morbo aquae
768 Sept. 24 intercutis[4] diem obiit; superstitibus liberis Karlo et Karlomanno[i].
Ad quos successio regni divino nutu pervenerat. Franci
Oct. 9 siquidem, facto solemniter generali conventu, ambos sibi reges

a. Karlemanno *T.* b. Saracte *T.* c. Cumque *T.* d. cum *om. T.* e. Cassino *T.* f. constituitur *T.* g. cumque *T.* h. Parisius *T.* i. Karlemanno *T.*

1. De monasterio S. Silvestri Soractensi a Zacharia papa Carlomanno concesso v. Codicis Carolini ep. 23 supra p. 97. 2. imo amplius annos 16. 3. 760—768. 4. Cf. Suet. Ner. c. 5, supra p. 503 n. 1.

constituunt[1]; ea conditione praemissa: ut totum regni corpus 768
ex aequo partirentur; et Karolus eam partem quam pater eorum Oct. 9
Pippinus tenuerat, Karlomannus vero eam cui patruus eorum Karlomannus praeerat regendi gratia susciperet[a][2]. Susceptae[b] sunt utrimque conditiones; et pars regni divisi iuxta modum sibi propositum ab utroque recepta est. Mansitque ista quamvis cum summa difficultate concordia; multis ex parte Karlomanni societatem separare molientibus, adeo ut quidam eos etiam bello committere sint meditati. Sed in hoc plus suspecti quam
periculi fuisse, ipse rerum exitus adprobavit; cum, defuncto 771
Karlomanno[3], uxor[4] eius et filii cum quibusdam, qui ex opti- Dec. 4
matum eius numero primores erant, Italiam fuga petiit et, nullis existentibus causis spreto mariti fratre, sub Desiderii regis Langobardorum patrocinium se cum liberis suis contulit. Et Karlomannus quidem, post administratum communiter biennio[5] regnum, morbo decessit; Karolus autem, fratre defuncto, consensu omnium Francorum rex constituitur.

IV. De cuius nativitate atque infantia vel etiam pueritia, quia neque scriptis usquam[c] aliquid declaratum est neque quisquam modo superesse invenitur qui horum se dicat habere notitiam, scribere ineptum iudicans, ad actus et mores ceterasque vitae illius partes explicandas ac demonstrandas[6], omissis incognitis, transire disposui; ita tamen, ut — primo res gestas et domi et foris, deinde mores et studia eius, tum de regni administratione et fine narrando — nihil de his, quae cognitu vel digna vel necessaria sunt, praetermittam.

a. susceperat *T*. b. Suscepti *P*. c. usquam *corr. in* ūquam *T*.

1. Ipsum Pippinum, paulo antequam moreretur, procerum assensu inter filios (iam a. 754 a Stephano III reges unctos) regnum divisisse, manifestum est ex Fredegarii chronico continuato ap. Bouquet Rec. V 9. Sed regnandi initium post Pippini mortem filii fecerunt die 9 Oct. 768, nova consecratione accepta. 2. Huic de partito regno relationi falsi aliquid inesse, notissimum est. 3. 771 Dec. 4. 4. Gerberga. 5. imo plus triennio; a primo enim regni die 9 Oct. 768 ad d. 4 Dec. 771 praeterierunt anni 3 et dies 57. 6. Cf. Sueton. Octav. c. 9, supra p. 501 n. 2.

769 V. Omnium bellorum[1] quae gessit primo Aquitanicum, a patre inchoatum sed nondum finitum, quia cito peragi posse videbatur, fratre adhuc vivo etiam et auxilium ferre rogato, suscepit. Et licet eum frater promisso frustrasset auxilio, susceptam expeditionem strennuissime exsequutus, non prius incepto desistere aut semel suscepto labori cedere voluit, quam hoc, quod efficere moliebatur, perseverantia quadam ac iugitate perfecto fine concluderet. Nam et Hunoldum, qui post Waifarii mortem Aquitaniam occupare bellumque iam pene[a] peractum reparare temptaverat, Aquitaniam relinquere et Wasconiam petere coegit. Quem tamen ibi consistere non sustinens, transmisso amne Garonna[b], Lupo Wasconum duci per legatos mandat: perfugam[c] reddat; quod ni festinato faciat, bello se eum expostulaturum. Sed Lupus, saniori usus consilio, non solum Hunoldum reddidit sed etiam se ipsum cum provincia, cui praeerat, eius potestati permisit.

VI. Compositis in Aquitania rebus eoque bello finito, regni quoque socio iam rebus humanis exempto, rogatu et precibus
773 Hadriani[d 2] Romanae urbis episcopi exoratus, bellum contra Langobardos[e] suscepit. Quod prius quidem et a patre eius, Stefano[f 3] papa supplicante, cum magna difficultate susceptum est. Quia quidam e primoribus Francorum, cum quibus consultare solebat, adeo voluntati eius renisi sunt, ut se regem deserturos domumque redituros libera voce proclamarent. Susceptum tamen est tunc[4] contra Haistulfum regem et celerrime completum. Sed licet sibi et patri belli suscipiendi similis ac potius eadem causa subesse videretur, haud simili tamen et labore certatum et fine constat esse completum. Pippinus siquidem Haistulfum regem paucorum dierum obsidione apud Ticenum[g] compulit et obsides dare et erepta Romanis oppida atque castella restituere

a. pene *om. T.* b. et aedificato castro Frontiaco *addunt bibliothecae imp. Parisiensis codd. Lat.* 5926 *et* 5927. c. ut profugam *T.* d. Adriani *T.* e. Longobardos *T.* f. sub Stephano *T.* g. Ticinum *T.*

1. Cf. Suet. Oct. c. 10, supra p. 501 n. 2. 2. I. 3. III, 752—757. 4. anno 754.

atque, ut reddita non repeterentur, sacramento fidem facere. Karlus[a] vero post inchoatum a se bellum non prius destitit, 773
quam et Desiderium regem, quem longa obsidione fatigaverat, in deditionem susciperet; filium eius Adalgisum, in quem spes 774
omnium inclinatae videbantur[b], non solum regno sed etiam Italia excedere compelleret; omnia Romanis erepta restitueret; Hruodgausum, Foroiuliani ducatus praefectum, res novas molientem opprimeret[1]; totamque Italiam suae ditioni subiugaret, subactaeque filium suum Pippinum regem inponeret[2]. Italiam intranti quam difficilis Alpium transitus fuerit quantoque Francorum labore invia montium iuga et eminentes in caelum scopuli atque asperae cautes superatae sint, hoc loco describerem, nisi, vitae illius modum potius quam bellorum quae gessit eventus memoriae mandare praesenti opere, animo esset propositum. Finis tamen huius belli fuit: subacta Italia; et rex Desiderius perpetuo exilio deportatus; et filius eius Adalgisus Italia pulsus; et res, a Langobardorum regibus ereptae, Hadriano[c] Romanae ecclesiae rectori restitutae.

VII. Post cuius finem Saxonicum, quod quasi intermissum[3] videbatur, repetitum est. Quo nullum neque prolixius neque atrocius Francorumque populo laboriosius susceptum est. Quia Saxones, sicut omnes fere Germaniam incolentes nationes, et natura feroces et cultui daemonum dediti nostraeque religioni contrarii, neque divina neque humana iura vel polluere vel transgredi inhonestum arbitrabantur. Suberant et causae, quae cotidie pacem conturbare poterant: termini videlicet nostri et illorum pene ubique in plano contigui[d] — praeter pauca loca, in quibus vel silvae maiores vel montium iuga interiecta utrorumque agros certo limite disterminant — in quibus caedes et rapinae et[e] incendia vicissim fieri non cessabant. Quibus adeo Franci sunt irritati, ut, non iam vicissitudinem reddere sed apertum contra eos bellum suscipere, dignum iudicarent.

a. Karolus *T.* b. *corr. in* inclinata videbatur *T.* c. Adriano *T.* d. contingui *T.* e. vel *T.*

1. demum anno 776. 2. anno demum 781. 3. Namque iam anno 772 bellum Saxonicum inchoatum erat.

772 Susceptum est igitur adversus eos bellum, quod magna utrimque animositate, tamen maiore Saxonum quam Francorum
772—804 damno, per continuos triginta tres[1] annos gerebatur. Poterat siquidem citius finiri, si Saxonum hoc perfidia pateretur. Difficile dictu est, quoties superati ac supplices regi se dediderunt[a], imperata facturos polliciti sunt, obsides qui imperabantur absque dilatione dederunt, legatos qui mittebantur susceperunt; aliquoties ita domiti et emolliti, ut etiam cultum daemonum dimittere et christianae religioni se subdere velle promitterent. Sed sicut ad haec facienda aliquoties proni, sic ad eadem pervertenda semper fuere praecipites; ut non sit satis[b] aestimare, ad utrum horum faciliores verius dici possint. Quippe cum post inchoatum cum eis bellum vix ullus annus exactus sit, quo non ab eis huiuscemodi facta sit permutatio.

Sed magnanimitas regis ac perpetua tam in adversis quam in prosperis mentis constantia nulla eorum mutabilitate[c] vel vinci poterat vel ab his, quae agere[d] coeperat, defatigari. Nam nunquam eos huiuscemodi aliquid perpetrantes inpune ferre passus est, quin aut ipse per se ducto[e] aut per comites suos misso exercitu perfidiam eorum[f] ulcisceretur et dignam ab eis poenam exigeret. Usque dum, omnibus qui resistere solebant profligatis et in suam potestatem redactis, decem milia hominum ex his, qui utrasque ripas Albis fluminis incolebant, cum uxoribus
804 et parvulis sublatos transtulit et huc atque illuc per Galliam et[f] Germaniam multimoda divisione distribuit. Eaque conditione a rege proposita et ab illis suscepta tractum per tot annos bellum constat esse finitum: ut, abiecto daemonum cultu et relictis patriis caeremoniis, christianae fidei atque religionis sacramenta susciperent et, Francis adunati, unus cum eis populus efficerentur.

VIII. Hoc bello, licet per multum temporis spatium[g] tra-
783 heretur, ipse non amplius cum hoste quam bis acie conflixit[2]: semel iuxta montem qui Osneggi[h][3] dicitur in loco Theotmelli[4]

a. dederunt *T.* b. non sit ut satis *P. T.* c. multabilitate *T.* d. *om. T.* e. ductorem *T.* f. *om. T.* g. spatio *T.* h. Osnengi *T.*

1. 772—804. 2. anno 783. 3. Osning. 4. Detmold.

nominato, et iterum apud Hasam[a] fluvium; et hoc uno mense 783 paucis quoque[b] interpositis diebus. His duobus proeliis hostes adeo profligati ac devicti sunt, ut ulterius regem neque provocare neque venienti resistere, nisi aliqua loci munitione defensi, auderent.

Plures tamen eo bello tam ex nobilitate Francorum quam Saxonum, et functi summis honoribus, viri consumpti sunt. Tandemque anno tricesimo tertio finitum est; cum interim tot 804 ac tanta in diversis terrarum partibus bella contra Francos et exorta sint et sollertia regis administrata, ut merito intuentibus in dubium venire possit, utrum in eo aut laborum pacientiam aut felicitatem potius mirari conveniat. Nam biennio ante Italicum hoc bellum sumpsit exordium[1]; et cum sine intermissione gereretur, nihil tamen ex his, quae aliubi[c] erant gerenda, dimissum aut ulla in parte ab aeque operoso certamine cessatum est. Nam rex, omnium, qui sua aetate gentibus dominabantur, et prudentia maximus et animi magnitudine praestantissimus, nihil in his, quae vel suscipienda erant vel exsequenda, aut propter laborem detrectavit[d] aut propter periculum exhorruit; verum, unum quodque[e] secundum suam qualitatem et subire et ferre doctus, nec in adversis cedere nec in prosperis falso blandienti fortunae adsentiri solebat.

IX. Cum enim assiduo ac pene continuo cum Saxonibus bello certaretur, dispositis per congrua confiniorum loca praesidiis, Hispaniam quam maximo poterat belli apparatu ad- 778 greditur. Saltuque Pirinei superato, omnibus quae adierat oppidis atque castellis in deditionem acceptis, salvo et incolomi exercitu revertitur; praeter quod in ipso Pirinei iugo Wasconicam[f] perfidiam parumper[g] in redeundo contigit experiri. Nam cum agmine longo, ut loci et angustiarum situs permittebat, porrectus iret exercitus, Wascones, in summi montis vertice positis insidiis — est enim locus ex opacitate silvarum, quarum ibi

a. Hasa *T*. b. paucisque *T*. c. alicubi *T*. d. detractavit *T*. e. unum quoque *T*. f. Wasconiam *T*. g. *om*. *P*.

1. Saxonicum bellum a. 772, Italicum anno 773 geri coeptum est.

778 maxima est copia, insidiis ponendis oportunus — extremam impedimentorum partem et eos, qui novissimi agminis incedentes subsidio praecedentes tuebantur, desuper incursantes in subiectam vallem deiciunt; consertoque cum eis proelio, usque ad unum omnes interficiunt; ac, direptis impedimentis, noctis beneficio quae iam instabat protecti, summa cum celeritate in diversa disperguntur. Adiuvabat in hoc facto Wascones et levitas armorum et loci, in quo res gerebatur, situs. E contra Francos et armorum gravitas et loci iniquitas per omnia Wasconibus reddidit impares. In quo proelio Eggihardus regiae mensae praepositus, Anshelmus[a] comes palatii et Hruodlandus Brittannici limitis praefectus cum aliis conpluribus interficiuntur. Neque hoc factum ad praesens vindicari poterat; quia hostis, re perpetrata, ita dispersus est, ut ne fama quidem remaneret, ubinam gentium quaeri potuisset.

786 X. Domuit[1] et Brittones, qui, ad occidentem in extrema quadam parte Galliae super litus oceani[b] residentes, dicto audientes non erant, missa in eos expeditione, qua[c] et obsides dare et, quae imperarentur, se facturos polliceri coacti sunt.

787 Ipse postea, cum exercitu Italiam ingressus ac per Romam iter agens, Capuam Campaniae urbem accessit; atque ibi positis castris, bellum Beneventanis, ni dederentur, comminatus est. Praevenit hoc dux gentis Aragisus, filios suos Rumoldum et Grimoldum cum magna pecunia obviam[d] regi mittens. Rogat, ut filios obsides suscipiat; seque cum gente imperata facturum pollicetur, praeter hoc solum, si ipse ad conspectum venire cogeretur. Rex, utilitate[2] gentis magis[e] quam animi eius obstinatione considerata, et oblatos sibi obsides suscepit eique, ut ad conspectum venire non cogeretur, pro magno munere concessit. Unoque ex filiis, qui minor erat, obsidatus gratia retento[3], maiorem patri remisit. Legatisque ob sacramenta fidelitatis a Beneventanis exigenda atque suscipienda cum Aragiso dimissis,

a. Anselmus *T.* b. occeani *T.* c. qui *T.* d. *om.* *T.* e. magis magis *P.*

1. Cf. Suet. Oct. c. 21, supra p. 501 n. 2. 2. commodo. 3. Grimoldo.

Romam redit. Consumptisque ibi in sanctorum veneratione locorum aliquot[a] diebus, in Galliam revertitur. 787

XI. Baioaricum deinde bellum et repente ortum et celeri fine completum est; quod superbia simul ac socordia Tassilonis ducis excitavit. Qui hortatu[b] uxoris[1], quae filia Desiderii regis erat ac[c] patris exilium per maritum ulcisci posse putabat, iuncto foedere cum Hunis, qui Baioariis sunt ab oriente contermini, non solum imperata non facere sed bello regem provocare temptabat. Cuius contumaciam, quia nimia videbatur, animositas regis ferre nequiverat; ac proinde copiis undique contractis, Baioariam petiturus, ipse ad Lechum amnem cum magno venit exercitu — is fluvius Baioarios ab Alamannis dividit — cuius in ripa castris conlocatis, priusquam provinciam intraret, animum ducis per legatos statuit experiri. Sed nec ille pertinaciter agere vel sibi vel genti utile ratus, supplex se regi permisit; obsides qui imperabantur dedit, inter quos et filium suum Theodonem; data[d] insuper fide[e] cum iuramento: quod ab illius potestate ad defectionem nemini suadenti adsentiri[f] deberet. Sicque bello, quod quasi maximum futurum videbatur, celerrimus est finis inpositus. Tassilo tamen postmodum ad regem evocatus neque redire permissus, neque pro- 788
vincia, quam tenebat, ulterius duci sed comitibus ad regendum commissa est.

XII. His motibus ita conpositis, Sclavis, qui nostra con- 789
suetudine Wilzi proprie vero id est sua locutione Welatabi dicuntur, bellum inlatum est. In quo et Saxones velut auxiliatores[g] inter ceteras nationes, quae regis signa iussae sequebantur, quamquam ficta et minus devota oboedientia, militabant. Causa belli erat, quod Abodritos, qui cum Francis olim foederati erant, adsidua incursione lacescebant, nec iussionibus coerceri poterant. Sinus quidam[h] ab occidentali oceano orientem versus porrigitur, longitudinis quidem incompertae, latitudinis vero, quae nusquam

a. aliquod *T.* b. ortatu *T.* c. hac *T.* d. dedit *T.* e. fidem *T.* f. adsentire *T.* g. auxiliares *T.* h. quidem *T.*

1. Liutbergae.

789 centum milia passuum excedat, cum in multis locis contractior
inveniatur. Hunc multae circumsedent nationes, Dani siquidem
ac Sueones[a], quos Nortmannos vocamus; et septentrionale litus
et omnes in eo insulas tenent. At litus australe Sclavi et Aisti
et aliae diversae incolunt nationes; inter quos vel praecipui sunt,
quibus tunc a rege bellum inferebatur[b], Welatabi[c]. Quos ille
una tantum, et quam per se gesserat, expeditione ita contudit[d]
ac domuit, ut ulterius imperata facere minime rennuendum
iudicarent.

XIII. Maximum omnium, quae ab illo gesta sunt, bellorum
791 praeter Saxonicum huic bello successit; illud videlicet, quod
contra Avares vel Hunos susceptum est. Quod ille et animosius
quam cetera et longe maiori apparatu administravit. Unam
tamen per se in Pannoniam — nam hanc provinciam ea gens
tum incolebat — expeditionem fecit[1]; cetera filio suo Pippino
ac praefectis provinciarum, comitibus etiam atque legatis per-
ficienda commisit. Quod cum ab his strennuissime fuisset ad-
ministratum, octavo tandem anno completum est. Quot[e] proe-
lia in eo gesta, quantum sanguinis effusum sit, testatur vacua
omni habitatore Pannonia et locus, in quo regia Kagani erat,
ita desertus, ut ne[f] vestigium quidem in eo humanae habitationis
appareat. Tota in hoc bello Hunorum nobilitas periit, tota glo-
ria decidit; omnis pecunia[g] et congesti ex longo tempore the-
sauri direpti sunt. Neque ullum bellum contra Francos exortum
humana potest memoria recordari, quo illi magis ditati et opi-
bus aucti sint. Quippe cum usque in id temporis pene pauperes
viderentur, tantum auri et argenti in regia repertum, tot spolia
praetiosa in proeliis sublata, ut merito credi possit, hoc Fran-
cos Hunis iuste eripuisse, quod Huni prius aliis[h] gentibus in-
iuste eripuerunt. Duo tantum ex proceribus Francorum eo
799 bello perierunt: Ericus[i] dux Foroiulanus in Liburnia iuxta Thar-
saticam[k][2], maritimam civitatem, insidiis oppidanorum inter-

a. Suesones *T.* b. inferebantur *T.* c. Welathabi *T.* d. contulit *T.*
e. Quod *T.* f. nec *T.* g. peccunia *T.* h. alius *T.* i. Oelricus *T.*
k. Thrarsaticam *T.*

1. anno 791. 2. Tersato, a Fiume inter septemtrionem et orientem.

ceptus[a]; et Geroldus[1] Baioariae praefectus, in Pannonia cum 799 contra Hunos proeliaturus aciem strueret[b], incertum a quo, cum duobus tantum, qui eum obequitantem ac singulos hortantem comitabantur, interfectus est. Ceterum incruentum pene Francis hoc bellum fuit et prosperrimum exitum habuit, tametsi diutius sui magnitudine traheretur.

XIV. Post quod et Saxonicum suae prolixitati convenien- 804
tem finem accepit.

Boemanicum quoque et Linonicum, quae postea exorta sunt, 805—808
diu durare non potuerunt. Quorum utrumque ductu Karoli iunioris[2] celeri fine completum est[3].

Ultimum contra Nortmannos qui Dani vocantur, primo pyraticam exercentes deinde maiori[c] classe litora Galliae atque Germaniae vastantes, bellum susceptum est. Quorum rex Godofridus[d] adeo vana spe inflatus erat, ut sibi totius Germaniae promitteret potestatem. Frisiam quoque atque Saxoniam haud aliter atque suas provincias aestimabat. Iam Abodritos[e], vicinos suos, in suam ditionem redegerat; iam eos sibi vectigales fecerat. Iactabat etiam, se brevi Aquasgrani, ubi regis comitatus erat, cum maximis copiis adventurum. Nec dictis eius quamvis vanissimis omnino fides abnuebatur; quin potius putaretur tale aliquid inchoaturus, nisi festinata fuisset morte praeventus. Nam a proprio satellite interfectus[4] et suae vitae et 810
belli a se[f] inchoati finem acceleravit.

XV. Haec sunt bella, quae rex potentissimus per annos 47 — tot enim annis regnaverat[5] — in diversis terrarum partibus summa prudentia atque felicitate gessit. Quibus regnum Francorum, quod post patrem Pippinum[g] magnum quidem et forte susceperat, ita nobiliter ampliavit, ut pene duplum illi adiecerit.

a. interceptū *P.* b. instrueret *T.* c. maiore *T.* d. Godefridus *T.* e. Abodricos *T.* f. a se *om. T.* g. Pippini *P.*

1. frater Hildigardae reginae. 2. Karoli, filii Karoli M., qui obiit d. 4 Dec. 811. 3. Bellum Bohemicum annis 805 et 806 gestum est, Linonicum anno 808. 4. anno 810. 5. Regnavit Carolus a d. 9 Oct. 768 ad d. 28 Ian. 814 annos 45, menses 3, dies 20. Sed annis 768 et 814 integris annumeratis anni 47 efficiuntur.

Nam cum prius non amplius quam[a] ea pars Galliae, quae inter Rhenum et Ligerim oceanumque ac mare Balearicum iacet, et pars Germaniae, quae — inter Saxoniam et Danubium Rhenumque[b] ac Salam fluvium, qui Thuringos[c] et Sorabos dividit, posita[d] — a Francis qui orientales dicuntur incolitur, et praeter haec Alamanni atque Baioarii ad regni Francorum potestatem pertinerent; ipse per bella memorata primo Aquitaniam et Wasconiam totumque Pyrenei[e] montis iugum et usque ad Hiberum amnem, qui, apud Navarros ortus et fertilissimos Hispaniae agros secans, sub[f] Dertosae civitatis moenibus[g] Balearico mari miscetur; deinde Italiam totam, quae ab Augusta[h] Praetoria usque in Calabriam inferiorem, in qua Graecorum ac Beneventanorum constat esse confinia, decies centum et eo amplius passuum milibus longitudine porrigitur; tum Saxoniam, quae quidem Germaniae pars non modica est et eius, quae a Francis incolitur, duplum in lato habere putatur, cum ei longitudine possit esse consimilis; post quam utramque Pannoniam et adpositam in altera Danubii ripa Daciam, Histriam[i] quoque et Liburniam atque Dalmaciam — exceptis maritimis civitatibus, quas ob amicitiam et iunctum cum eo foedus Constantinopolitanum imperatorem habere permisit —; deinde omnes barbaras ac feras nationes, quae inter Rhenum[k] ac Visulam fluvios oceanumque[l] ac Danubium positae, lingua quidem pene similes moribus vero atque habitu valde dissimiles, Germaniam incolunt, ita perdomuit, ut eas tributarias efficeret. Inter quas fere praecipuae sunt Welatabi, Sorabi, Abodriti, Boemani[m]; cum his namque bello conflixit. Ceteras, quarum multo maior est numerus, in deditionem suscepit.

XVI. Auxit etiam gloriam regni sui quibusdam regibus ac gentibus per amicitiam sibi conciliatis.

Adeo namque Hadefonsum[1] Galleciae[n] atque Asturicae re-

a. qua *P*. b. Hrenumque *T*. c. Thuringo *P*, Turingos *T*. d. postea *T*. e. Pirinei *T*. f. sul *T*. g. moenia *T*. h. angusta *T*. i. historiam *P*, Histriam *T*. k. Renum *T*. l. oceanum *T*. m. Boemanni *T*. n. Gallitiae *T*.

1. I 791—842.

gem sibi societate devinxit, ut is[a], cum ad eum vel litteras vel legatos mitteret, non aliter se apud illum quam proprium suum appellari iuberet.

Scottorum[b] quoque reges sic habuit ad suam voluntatem per munificentiam inclinatos, ut eum numquam aliter nisi dominum seque subditos[c] et servos eius pronuntiarent. Extant epistolae ab eis ad illum missae, quibus huiusmodi affectus eorum erga illum indicatur.

Cum Aaron[1] rege Persarum, qui excepta India totum pene tenebat orientem, talem habuit in amicitia concordiam, ut is[d] gratiam eius omnium, qui in toto orbe terrarum erant, regum ac principum amicitiae praeponeret solumque illum honore ac munificentia sibi colendum iudicaret. Ac proinde, cum legati eius, quos cum donariis ad sacratissimum domini ac salvatoris nostri sepulchrum locumque resurrectionis miserat, ad eum venissent et ei domini sui voluntatem indicassent, non solum quae petebantur fieri permisit, sed etiam sacrum illum et salutarem locum, ut illius potestati adscriberetur, concessit[e]; et revertentibus legatis suos adiungens, inter vestes et aromata et ceteras orientalium terrarum opes ingentia illi dona direxit; cum ei ante paucos annos eum, quem tunc solum habebat, roganti mitteret elefantum[2].

Imperatores etiam Constantinopolitani Niciforus[3] Michahel[f][4] et Leo[5], ultro amicitiam et[g] societatem eius expetentes, conplures[h] ad eum misere legatos. Cum quibus — tamen propter susceptum a se imperatoris nomen et ob hoc[i], quasi qui imperium eis eripere vellet, valde suspectum — foedus firmissimum statuit, ut nulla inter partes cuiuslibet scandali remaneret occasio. Erat enim semper Romanis et Grecis Francorum suspecta potentia; unde et illud Grecum extat proverbium: ΤΟΝ ΦΡΑΝΚΟΝ ΦΙΛΟΝ ΕΧΙϹ, ΓΙΤΟΝΑ[k] ΟΥΚ ΕΧΙϹ.

a. his *corr. in* is *T.* b. Scotorum *T.* c. subditus *T.* d. his *T.* e. non cessit *P.* f. Michael *T.* g. ac *T.* h. cum plures *T.* i. *sequitur rasura in T.* k. TITONA *T.*

1. Harun Arraschid chalifo, 786—809 Mart. 23. 2. qui Aquisgranum pervenit d. 20 Iulii a. 802. 3. 802—811. 4. I 811—813. 5. V 813—820.

XVII. Qui cum tantus in ampliando regno et subigendis exteris nationibus existeret et in eiusmodi occupationibus assidue versaretur, opera tamen plurima ad regni decorem et commoditatem pertinentia diversis in locis inchoavit, quaedam etiam consummavit. Inter quae praecipua[a] non inmerito videri possunt basilica sanctae Dei genitricis Mariae[b] Aquisgrani[c] opere mirabili constructa et pons apud Mogontiacum in Rheno quingentorum passuum longitudinis[d]; nam tanta est ibi fluminis la-
813 titudo. Qui tamen uno antequam decederet[e] anno incendio conflagravit[1]; nec[f] refici potuit propter festinatum illius decessum; quamquam in ea meditatione esset, ut pro ligneo lapideum restitueret. Inchoavit et palatia operis egregii: unum haud longe a Mogontiaco civitate iuxta villam cui[g] vocabulum est Ingilenheim[h]; alterum Noviomagi super Vahalem fluvium, qui Batavorum insulam a parte meridiana praeterfluit. Praecipue tamen aedes sacras[2], ubicumque in toto regno suo vetustate conlapsas comperit, pontificibus[i] et patribus, ad quorum curam pertinebant, ut restaurarentur, imperavit; adhibens curam per legatos, ut imperata perficerent.

Molitus est et classem contra bellum Nordmannicum[k], aedificatis ad hoc navibus iuxta flumina, quae et de Gallia et de Germania septemtrionalem influunt oceanum. Et quia Nordmanni[l] Gallicum litus atque Germanicum assidua infestatione[m] vastabant, per omnes portus et ostia[n] fluminum, qua[o] naves recipi posse videbantur, stationibus et excubiis dispositis, ne qua hostis exire potuisset, tali munitione prohibuit. Fecit idem a parte meridiana in litore[p] provinciae Narbonensis ac Septimaniae toto etiam Italiae litore[p] usque Romam contra Mauros, nuper pyraticam exercere adgressos[q]. Ac per hoc nullo gravi damno vel a Mauris Italia, vel Gallia atque Germania a Nord-

a. fere *add. T.* b. *om. P.* c. Aquis *T.* d. longitudini *P.* e. deteret *T.* f. nam *P.* g. cuius *T.* h. Engilenheim *T.* i. pontifici *P.* k. Nordmannicū *corr. in* Nortmannicum *P,* Nordomannicum *T.* l. Nortmanni *T.* m. infestinatione *P.* n. hostia *T.* o. qui *T.* p. littore *T.* q. adgressus *T.*

1. m. Maio a. 813. 2. V. Suet. Oct. c. 30, supra p. 502 n. 1.

mannis[a] diebus suis adfecta est; praeter quod Centumcellae[1] civitas Etruriae per proditionem a Mauris capta atque vastata est, et in Frisia quaedam insulae Germanico litori[b] contiguae a Nordmannis[a] depraedatae sunt.

XVIII. Talem eum in tuendo et ampliando simulque ornando regno fuisse constat[c]. Cuius animi dotes et summam in qualicumque et prospero et adverso eventu[d] constantiam ceteraque ad interiorem atque domesticam vitam pertinentia iam abhinc dicere exordiar[2].

Post mortem patris cum fratre[3] regnum partitus, tanta pa- 768—771
cientia[e] simultates et invidiam eius tulit, ut omnibus mirum videretur, quod ne ad iracundiam quidem ab eo provocari potuisset.

Deinde cum matris hortatu filiam[4] Desiderii regis Lango- 770
bardorum duxisset uxorem, incertum qua de causa, post annum eam repudiavit. Et Hildigardam[f], de gente Suavorum[g] prae- 771
cipuae nobilitatis feminam[5], in matrimonium accepit; de qua tres filios, Karolum[6] videlicet et Pippinum[7] et Hludoicum[h][8], totidemque filias, Hrotrudem[i][9] et Berhtam[k] et Gislam, genuit. Habuit et alias tres filias, Theoderadam[10] et Hiltrudem et Hruodhaidem[l]; duas de Fastrada uxore, quae de orientalium Francorum, Germanorum videlicet, gente erat; tertiam de concubina quadam, cuius nomen modo memoriae non occurrit. Defuncta[11] 794
Fastrada, Liutgardam[m][12] Alamannam duxit, de qua nihil liberorum tulit. Post cuius mortem quattuor[n] habuit concubinas: 800

a. Nordomannis *T.* b. littori *T.* c. prestat *T.* d. *alio atramento additum est* mirari licet *in T.* e. sapientia *T.* f. Hildegardem *T.* g. Suahorū *P.* h. Ludowicum *T.* i. Hruodrudem *T.* k. Bertham *T.* l. Ruodhaidem *T.* m. Liudgardam *T.* n. Post mortem eius tres *T.*

1. Cività Vecchia. 2. Cf. Suet. Oct. c. 61, supra p. 501 n. 2. 3. Carlomanno. 4. Desideratam. 5. quae obiit d. 30 Apr. 783. 6. qui obiit d. 4. Dec. 811. 7. qui post d. 6 Iulii 777 natus (v. supra p. 198 n. 5), Italiaeque rex factus a. 781, obiit d. 8 Iul. 810. 8. postea imperatorem. 9. quae obiit d. 6 Iunii 810. 10. postea abbatissam Argentogilensem, v. Epistol. Carolin. 46 supra p. 429. 11. anno 794. 12. quae obiit d. 4 Iunii 800.

Madelgardam[a] scilicet, quae peperit ei filiam nomine Ruothildem[1]; Gersuindam Saxonici generis, de qua illi[b] filia nomine[c] Adalthrud[d] nata est; et Reginam, quae ei Drogonem[2] et Hugum[3] genuit; et Adallindem, ex qua Theodericum[e] procreavit.

Mater quoque eius Berthrada in magno apud eum honore consenuit. Colebat enim eam cum summa reverentia[f], ita ut nulla umquam invicem sit exorta discordia, praeter in divortio
783 filiae Desiderii regis, quam illa suadente acceperat. Decessitque[g 4] tandem post mortem Hildigardae[h], cum iam tres nepotes suos totidemque neptes in filii domo vidisset. Quam ille in eadem basilica, qua pater situs est, apud Sanctum Dionisium magno cum honore fecit humari.

Erat ei unica soror nomine Gisla, a puellaribus annis religiosae conversationi mancipata; quam similiter ut matrem magna coluit pietate. Quae etiam paucis ante obitum illius annis in eo, quo conversata est, monasterio[5] decessit.

XIX. Liberos suos ita censuit instituendos, ut tam filii quam filiae primo liberalibus studiis, quibus et ipse operam dabat, erudirentur. Tum filios, cum primum aetas patiebatur, more Francorum equitare, armis ac venatibus exerceri fecit; filias vero lanificio adsuescere[6], coloque ac fuso, ne per otium torperent, operam inpendere atque ad omnem honestatem erudiri iussit.

Ex his omnibus duos tantum filios et unam filiam, priusquam moreretur, amisit: Karolum, qui natu maior erat[7]; et

a. Madelgardam — Ruothildem *om. T.* b. ei *T.* c. nomen *T.* d. Adaltrud *T.* e. Theodricum *T.* f. reuentia *T.* g. Decessit *T.* h. Hildegarde *T.*

1. postea abbatissam Farae coenobii (dioec. Meldensis). V. Lotharii imp. diploma, spatio annorum 840—855 datum: „dilecta amita nostra Rothildis, venerabilis abbatissa ex Farae monasterio“ (Mabillon Annales ord. Bened. II 745). In necrologio Farensi obitus eius ad d. 24 Mart. sic est notatus: „commemoratio domnae Rothildis abbatissae huius loci (v. Mabillon l. l. p. 625). 2. postea episcopum Mettensem, 823—855 Dec. 8. 3. postea abbatem S. Quintini et Laubiensem et Sithiensem, qui obiit d. 14 Iunii 844. V. Dümmler Geschichte des ostfränk. Reichs I 235 n. 21. 4. d. 12 Iul. 783. 5. Cala dioec. Parisiensis. 6. Cf. Suet. Oct. c. 64, supra p. 502 n. 3. 7. V. supra p. 525 n. 6.

Pippinum, quem regem Italiae praefecerat[1]; et Hruodthrudem[a][2], quae filiarum eius primogenita et a Constantino[3] Grecorum imperatore desponsata erat[4]. Quorum Pippinus unum filium suum Bernhardum, filias autem quinque: Adalhaidem, Atulam, Gundradam[b], Berthaidem ac Theoderadam superstites reliquit. In quibus rex pietatis suae praecipuum documentum ostendit;
cum, filio defuncto, nepotem[5] patri succedere et neptes[c] inter 810
filias suas educari fecisset. 813

Mortes filiorum ac filiae pro magnanimitate, qua[d] excellebat, minus[e] patienter[6] tulit, pietate videlicet, qua non minus[f] insignis[g] erat, conpulsus ad lacrimas. Nuntiato etiam sibi
Hadriani[h] Romani pontificis[7] obitu, quem in amicis praecipuum 796
habebat, sic flevit, acsi[i] fratrem aut karissimum filium amisisset. Erat enim in amicitiis optime temperatus, ut eas et facile admitteret et constantissime retineret[8]; colebatque sanctissime, quoscumque hac adfinitate sibi coniunxerat.

Filiorum ac filiarum tantam[k] in educando curam habuit, ut numquam domi positus sine ipsis caenaret, numquam iter sine illis faceret[l]. Adequitabant ei filii. Filiae vero pone sequebantur[9]; quarum agmen extremum ex satellitum numero ad hoc ordinati tuebantur.

Quae cum pulcherrimae essent et ab eo plurimum diligerentur, mirum dictu quod nullam earum cuiquam aut suorum aut exterorum nuptum dare voluit. Sed omnes secum usque ad obitum suum in domo sua retinuit[m]; dicens, se earum contubernio carere non posse. Ac[n] propter hoc, licet alias felix, adversae fortunae malignitatem expertus est[10]. Quod tamen ita

a. Hruodrudē *T*. b. Gontradam *T*. c. nectes *P*. d. quae *P*. e. nimis *T*. f. minor *T*. g. *om*. *T*. h. Adriani *T*. i. ut filium aut si fratrem amisisset carissimum *T*. k. tantum *T*. l. ageret *T*. m. retenuit *P*. n. Ac propter — dispersa fuisset *om*. *P*.

1. V. supra p. 525 n. 7. 2. V. supra p. 525 n. 9. 3. V 780—802. 4. anno 781. V. Annales Mosellani 781, Mon. Germ. SS. XVI 497. 5. Bernhardum regem Italiae 813—817. 6. Cf. Suet. Oct. c. 65 supra p. 502 n. 2. 7. qui obiit d. 25 Dec. 795. 8. Cf. Suet. Oct. c. 66 supra p. 502 n. 2. 9. Cf. Suet. Oct. c. 64 supra p. 502 n. 3. 10. Hrotrudis enim Karoli filia peperit Hludovicum, postea abbatem S. Dionysii Parisiensem, qui obiit

dissimulavit, acsi de eis nulla umquam alicuius probri suspitio exorta vel fama dispersa fuisset.

XX. Erat ei filius nomine Pippinus ex concubina[1] editus — cuius inter ceteros mentionem facere distuli — facie quidem pulcher sed gibbo deformis. Is, cum pater bello[a] contra Hunos
792 suscepto[b] in Baioaria hiemaret, aegritudine simulata, cum quibusdam e primoribus Francorum, qui eum vana regni promissione inlexerant, adversus patrem coniuravit. Quem post fraudem detectam et coniuratorum damnationem detonsum in coenobio[c] Prumia religiosae vitae, iamque volentem, vacare permisit.
785—786 Facta est et alia prius contra eum in Germania valida coniuratio. Cuius auctores, partim luminibus orbati partim membris incolomes[d], omnes tamen exilio deportati sunt. Neque ullus ex eis est interfectus, nisi tres tantum; qui, cum se, ne comprehenderentur, strictis gladiis defenderent aliquos etiam occidissent, quia aliter coerceri non poterant, interempti sunt.

Harum tamen coniurationum Fastradae reginae crudelitas causa et origo extitisse creditur. Et idcirco in ambabus contra regem conspiratum est, quia, uxoris crudelitati consentiens, a suae naturae benignitate ac solita mansuetudine inmaniter exorbitasse videbatur. Ceterum per omne vitae suae tempus ita cum summo omnium amore atque favore et domi et foris conversatus est, ut numquam ei vel minima iniustae severitatis[e] nota a quoquam fuisset obiecta.

XXI. Amabat peregrinos et in eis suscipiendis magnam habebat curam, adeo ut[f] eorum multitudo non solum palatio verum etiam regno non inmerito videretur onerosa. Ipse tamen prae magnitudine animi huiuscemodi pondere minime gravaba-

a. bellum *T.* b. suscepit *T.* c. coenubio *P.* d. incolumes *T.* e. crudelitatis *T.* f. plerumque *add. T.*

a. 867 (v. Hincmari Remensis annales 867, Mon. Germ. SS. I 474); ex Berthaque genuit Angilbertus Hartnidum et Nithardum (v. Nithardi Hist. IV 5, Mon. Germ. SS. II 671).

1. Himiltruda. V. Annales Laurissenses minores (Mon. Germ. SS. I 119) et Pauli diaconi Gesta epp. Mett. (ibid. II 265).

tur, cum etiam ingentia incommoda laude liberalitatis ac bonae famae mercede compensaret.

XXII. Corpore fuit amplo atque robusto, statura eminenti, quae tamen iustam[a] non excederet[1] — nam septem suorum pedum proceritatem eius constat habuisse mensuram — apice capitis rotundo, oculis praegrandibus ac vegetis, naso paululum mediocritatem[b] excedenti, canitie pulchra[c], facie laeta et hilari; unde formae auctoritas ac dignitas tam stanti quam sedenti plurima acquirebatur[2]. Quamquam cervix obesa et brevior venterque proiectior videretur, tamen haec ceterorum membrorum celabat aequalitas[3]. Incessu firmo totaque corporis habitudine virili; voce clara quidem, sed quae minus corporis formae conveniret. Valitudine prospera; praeter quod, antequam decederet, per quattuor[d] annos crebro febribus corripiebatur, ad extremum etiam uno pede claudicaret[4]. Et tunc quidem plura suo arbitratu quam medicorum consilio faciebat; quos pene exosos habebat, quod ei in cibis assa, quibus assuetus erat, dimittere et elixis adsuescere suadebant.

Exercebatur assidue equitando[5] ac venando. Quod illi[e] gentilitium erat; quia vix ulla in terris natio invenitur, quae in hac arte Francis possit aequari. Delectabatur etiam vaporibus aquarum naturaliter calentium, frequenti natatu corpus exercens; cuius adeo peritus fuit, ut nullus ei iuste valeat anteferri. Ob hoc etiam Aquisgrani regiam exstruxit, ibique extremis vitae annis usque ad obitum perpetim habitavit. Et non solum filios ad balneum verum optimates et amicos, aliquando etiam satellitum et custodum corporis turbam invitavit, ita ut nonnumquam centum vel eo amplius homines una lavarentur[6].

XXIII. Vestitu patrio, id est Francico[f] utebatur[7]. Ad cor-

a. iustum non excederet modum *P*. b. inmediocritatem *T*. c. pul dira *T*. d. quatuor *T*. e. ei *T*. f. francisco *T*.

1. Cf. Suet. Tib. c. 68, supra p. 502 n. 2. 2. Cf. Suet. Claud. c. 30, supra p. 503 n. 1. 3. Cf. Suet. Ner. c. 51 et Oct. c. 79 supra p. 503 n. 1. 4. Cf. Suet. Claud. c. 31 et Oct. c. 80 supra p. 503 n. 1. 5. Cf. Suet. Tit. 3, supra p. 502 n. 3. 6. Huc afferri solet Suet. Tit. c. 8, sed cf. supra p. 502 n. 1. 7. Cf. Suet. Calig. c. 52 supra p. 502 n. 1.

pus camisam lineam. Et feminalibus lineis induebatur[1]. Deinde tunicam, quae limbo serico ambiebatur; et tibialia. Tunc[a] fasciolis crura et pedes calciamentis constringebat. Et ex pellibus lutrinis et murinis[b] thorace confecto humeros[c] ac pectus hieme muniebat. Sago veneto amictus; et gladio semper accinctus, cuius capulus ac balteus aut aureus aut argenteus erat. Aliquoties et gemmato ense utebatur; quod tamen non nisi in praecipuis festivitatibus vel si quando exterarum gentium legati venissent. Peregrina vero indumenta quamvis pulcherrima respuebat. Nec umquam eis indui patiebatur, excepto quod Romae semel, Hadriano[d] pontifice petente, et iterum, Leone successore eius supplicante, longa tunica et chlamide[e] amictus, calceis quoque Romano more[f] formatis induebatur. In festivitatibus veste auro texta, et calciamentis gemmatis, et fibula aurea sagum adstringente, diademate quoque ex auro et gemmis ornatus incedebat. Aliis autem diebus habitus eius parum a communi ac[g] plebeio abhorrebat[h].

XXIV. In cibo et potu temperans, sed in potu temperantior[2]; quippe qui ebrietatem in qualicumque homine, nedum in se ac suis, plurimum abominabatur[i]. Cibo enim non adeo abstinere poterat; ut saepe quereretur, noxia corpori suo esse ieiunia. Convivabatur rarissime[3], et hoc praecipuis tantum festivitatibus; tunc tamen cum magno hominum numero. Caena cotidiana quaternis tantum ferculis praebebatur[4], praeter assam, quam venatores veribus inferre solebant; qua ille libentius quam ullo alio cibo vescebatur. Inter caenandum aut aliquod acroama[5] aut lectorem audiebat. Legebantur ei historiae et antiquorum res gestae. Delectabatur et libris sancti Augustini; praecipueque his, qui[k] *De civitate Dei* praetitulati sunt. Vini

a. cum *T.* b. et murinis *om. P.* c. umeros *P.* d. Adriano *T.* e. clamide *T.* f. opere *T.* g. et *T.* h. abhorebat *P.* i. abhominabatur *T.* k. quę *T.*

1. Cf. Suet. Oct. c. 82, supra p. 503, n. 2. Cf. Suet. Oct. c. 76, supra p. 503, n. 3. Cf. Suet. Oct. c. 74, supra p. 502 n. 2. 4. Cf. Suet. Oct. c. 74, v. supra p. 502 n. 1. 5. Cf. Suet. Oct. l. l., supra p. 503, n.

et omnis potus adeo parcus in bibendo erat, ut super caenam raro plus quam ter biberet[1].

Aestate post cibum meridianum — pomorum aliquid sumens ac semel bibens — depositis vestibus et calciamentis, velut[a] noctu solitus erat, duabus aut tribus horis quiescebat[2]. Noctibus sic dormiebat, ut somnum quater aut quinquies non solum expergescendo[b] sed etiam desurgendo[c] interrumperet[3].

Cum calciaretur aut amiciretur[d], non tantum amicos admittebat[e] verum etiam, si comes palatii litem aliquam esse diceret quae sine eius iussu definiri non posset, statim litigantes introducere iussit et, velut pro tribunali sederet, lite cognita sententiam dixit[4]. Nec hoc tantum eo tempore sed etiam, quicquid ea die cuiuslibet officii agendum aut cuiquam ministrorum iniungendum erat, expediebat.

XXV. Erat eloquentia copiosus et exuberans[5]; poteratque, quicquid vellet, apertissime exprimere. Nec patrio tantum sermone contentus[f], etiam peregrinis linguis ediscendis operam impendit. In quibus Latinam ita didicit, ut aeque illa ac patria lingua orare[6] sit solitus; Grecam vero melius intellegere quam pronuntiare poterat. Adeo quidem facundus erat, ut etiam dicaculus[g] appareret.

Artes liberales studiosissime coluit[7]; earumque doctores plurimum veneratus magnis afficiebat[h] honoribus. In discenda grammatica Petrum Pisanum diaconem[i] senem audivit. In ceteris disciplinis Albinum cognomento Alcoinum, item diaconem, de Brittania Saxonici generis hominem, virum undecumque doctissimum, praeceptorem habuit; apud quem et rethoricae et dialecticae, praecipue tamen astronomiae ediscendae plurimum, et

a. ut *T.* b. *corr. in* expergiscendo *T.* c. deresurgendo *T.* d. amiceretur *T.* e. amittebat *P.* f. contemptus *T.* g. didasculus *T.* h. efficiebat *P,* adficiebat *T.* i. diaconum *T.*

1. Cf. Suet. Oct. c. 77, supra p. 503, n. 2. Cf. Suet. Oct. c. 74, supra p. 502 n. 2. 3. Cf. Suet. Oct. c. 78, supra p. 503, n. 4. Cf. Suet. Vespas. c. 21, supra p. 503, n. 5. Cf. Suet. Oct. c. 84, supra p. 503, n. 6. Cf. Suet. Tit. c. 3, supra p. 502 n. 1. 7. Cf. Suet. Tib. c. 70, supra p. 503 n. 1.

temporis et laboris inpertivit. Discebat artem computandi; et intentione sagaci siderum cursum[a] curiosissime rimabatur. Temptabat et[b] scribere; tabulasque et codicellos ad hoc in lecto sub cervicalibus circumferre solebat, ut, cum vacuum tempus esset, manum litteris effigiendis[c] adsuesceret. Sed parum successit labor praeposterus ac sero inchoatus.

XXVI. Religionem christianam, qua ab infantia fuerat imbutus, sanctissime[d] et cum summa pietate coluit. Ac propter[e] hoc plurimae pulchritudinis basilicam Aquisgrani[f] exstruxit auroque et argento et luminaribus atque ex aere solido cancellis et ianuis adornavit. Ad cuius structuram cum columnas et marmora aliunde habere non posset, Roma atque Ravenna devehenda curavit[1]. Ecclesiam et mane et vespere item nocturnis horis et sacrificii tempore, quoad eum valitudo permiserat, impigre frequentabat. Curabatque magnopere, ut omnia, quae in ea gerebantur, cum quam[g] maxima fierent honestate; aedituos creberrime commonens, ne quid indecens aut sordidum aut inferri aut in ea remanere permitterent. Sacrorum vasorum ex auro et argento vestimentorumque sacerdotalium tantam in ea copiam procuravit, ut in sacrificiis celebrandis ne[h] ianitoribus[2] quidem, qui ultimi ecclesiastici ordinis sunt[3], privato habitu ministrare necesse fuisset. Legendi atque psallendi disciplinam diligentissime emendavit. Erat enim utriusque admodum eruditus; quamquam ipse nec publice legeret nec nisi submissim[i] et in commune cantaret.

XXVII. Circa pauperes sustentandos et gratuitam liberalitatem, quam Greci elemosinam vocant, devotissimus; ut qui non in patria solum et in suo regno id facere curaverit, verum trans maria in Syriam et Aegyptum atque Africam — Hierosolimis Alexandriae atque Kartagini[k], ubi christianos in paupertate vi-

a. cursus *T.* b. eta *corr. in* a *P.* c. *sic P.*, effingendis *corr. in* effigendis *T.* d. sanctissima *T.* e. propter *corr. in* preter *P.* f. Aquisgranis *T.* g. quã *corr. in* qua *P*, qua *T.* h. nec *T.* i. submisse *T.* k. Chartani *T.*

1. Cf. Hadriani I papae ad Carolum ep. (Cod. Carol. n. 89) supra p. 268. 2. ostiariis. 3. minores enim ordines ecclesiastici sunt acoluthorum, exorcistarum, lectorum, ostiariorum.

vere compererat[a], penuriae illorum compatiens — pecuniam mittere solebat; ob hoc maxime transmarinorum regum amicitias expetens, ut christianis sub eorum dominatu degentibus refrigerium aliquod ac relevatio[b] proveniret.

Colebat prae ceteris sacris et venerabilibus locis apud Romam ecclesiam beati Petri apostoli; in cuius donaria magna vis pecuniae tam in auro quam in argento nec non et gemmis ab illo congesta est. Multa et innumera pontificibus munera missa. Neque ille toto regni sui tempore quicquam duxit[c] antiquius[d], quam ut urbs Roma sua opera suoque labore vetere polleret auctoritate[1], et ecclesia sancti Petri per illum non solum tuta ac defensa sed etiam suis opibus prae omnibus ecclesiis[e] esset ornata[f] atque ditata. Quam cum tanti penderet, tamen intra 47 annorum quibus regnaverat[2] spatium quater[3] tantum illo votorum solvendorum ac supplicandi causa profectus est.

XXVIII. Ultimi adventus sui non solum hae fuere causae, 800
verum etiam quod Romani Leonem pontificem, multis affectum iniuriis, erutis scilicet oculis linguaque amputata, fidem regis implorare compulerunt. Idcirco Romam veniens, propter repa- Nov. 24
randum, qui nimis conturbatus erat, ecclesiae statum ibi totum hiemis tempus extraxit. Quo tempore imperatoris et augusti Dec. 25
nomen accepit. Quod primo in tantum aversatus est, ut adfirmaret, se eo die, quamvis praecipua festivitas esset, ecclesiam non intraturum, si pontificis consilium praescire potuisset. Invidiam tamen suscepti nominis, Romanis imperatoribus super hoc indignantibus, magna tulit pacientia. Vicitque eorum contumaciam magnanimitate, qua eis procul dubio longe praestantior erat, mittendo ad eos crebras legationes et in epistolis fratres eos[g] appellando[h 4].

a. comperierat *T.* b. revelatio *P, T.* c. dixit *T.* d. antiquus *P.* e. aliis *T.* f. ordinata *T.* g. ad eos *T.* h. apellando *P.*

1. Cf. Suet. Vespas. c. 8, supra p. 502 n. 1. 2. V. supra p. 521 n. 5. 3. annis 774, 781, 787, 800. 4. In Caroli ad Nicephorum epistola a. 811 scripta sic est: „legatum fraternitatis tuae“ et „legatos nostros praeparavimus ad tuam amabilem fraternitatem dirigendos“, annoque 813

XXIX. Post susceptum imperiale nomen cum adverteret, multa legibus populi sui deesse — nam Franci duas habent leges[1] in plurimis lòcis valde diversas — cogitavit, quae deerant addere et discrepantia unire, prava quoque ac perperam prolata corrigere. Sed de his nihil aliud ab eo factum est, nisi quod pauca capitula, et ea inperfecta, legibus addidit[2]. Omnium tamen nationum, quae sub eius dominatu erant, iura, quae scripta non erant, describere ac litteris mandari fecit.

Item barbara et antiquissima carmina, quibus veterum regum actus et bella canebantur, scripsit memoriaeque mandavit. Inchoavit et grammaticam patrii sermonis.

Mensibus etiam iuxta propriam linguam vocabula inposuit; cum ante id temporis apud Francos partim Latinis partim barbaris nominibus pronuntiarentur. Item ventos duodecim propriis appellationibus insignivit; cum prius non amplius quam vix quattuor[a] ventorum vocabula possent inveniri. Et de mensibus quidem Ianuarium uuintarmanoth, Februarium hornung[b], Martium lentzinmanoth, Aprilem ostarmanoth, Maium uuinnemanoth[c], Iunium brachmanoth, Iulium heuuimanoth, Augustum aranmanoth, Septembrem uuitumanoth, Octobrem[d] uuindumemanoth, Novembrem herbistmanoth, Decembrem heilagmanoth appellavit. Ventis vero[e] hoc modo nomina inposuit, ut subsolanum vocaret ostroniwint, eurum ostsundroni, euroaustrum sundostroni[f], austrum sundroni[g], austroafricum sundwestroni[h], Africum uuestsundroni, zefyrum[i] uuestroni, chorum uuestnordroni, circium norđwestroni[k], septemtrionem nordroni, aquilonem norđostroni[l], vulturnum ostnorđroni[m][3].

a. quatuor *T.* b. hornug *P, T.* c. ıuuınnemanoth *P.* d. octembrem *P.* e. ergo *T.* f. suntostroni *T.* g. sumdroni *T.* h. suntwestroni *T.* i. zephyrom *T.* k. nordwestroni *T.* l. nordostroni *T.* m. ostnordroni *T.*

Carolus scripsit „dilecto et honorabili fratri Michaeli glorioso imperatori". V. Epistolae Carolinae 29 et 40 supra p. 393 et 415.

1. Salicam et Ribuariam. 2. Cf. Boretius Die Capitularien im Langobardenreich p. 71 sq. 3. In codice S. Galli 272 membr. p. 26 leguntur haec manu saeculi IX scripta: „NOMINA MENSIUM SECUNDUM THODISCAM: Ian. uuintar manoht, Febr. hornung, Mart. lengizin manoht, Apr. ostar manoth, Mai. uunni manoht, Iun. bracmanoht, Iul. heuui manoht, Aug.

XXX. Extremo vitae tempore, cum iam et morbo et senectute premeretur, evocatum ad se Hludoicum[a] filium Aquitaniae regem — qui solus filiorum Hildigardae[b] supererat — congregatis solemniter de toto regno Francorum primoribus, cunctorum consilio consortem sibi totius regni et imperialis nominis heredem constituit, inpositoque capiti eius diademate, imperatorem et augustum iussit appellari. Susceptum est hoc eius consilium ab omnibus qui aderant magno cum favore; nam divinitus ei propter regni utilitatem videbatur inspiratum. Auxitque maiestatem eius hoc factum et exteris nationibus non minimum terroris incussit. 813

Dimisso deinde in Aquitaniam filio, ipse more solito, quamvis senectute confectus, non longe a regia Aquensi venatum proficiscitur, exactoque in huiuscemodi negotio quod reliquum erat autumni, circa Kalendas Novembris Aquasgrani[c] revertitur. c. Nov. 1

Cumque ibi hiemaret, mense Ianuario febre valida correptus decubuit. Qui statim, ut in febribus solebat, cibi sibi abstinentiam indixit, arbitratus, hac continentia morbum posse depelli vel certe mitigari. Sed accedente ad febrem lateris dolore[d], quem Greci pleuresin dicunt, illoque adhuc inediam retinente neque corpus aliter quam rarissimo potu sustentante, septimo postquam decubuit[1] die, sacra communione percepta, decessit anno aetatis suae septuagesimo secundo, et ex quo regnare coeperat quadragesimo septimo, 5. Kalendas Februarii, hora diei tertia. 814 Ian. 22 Ian. 28

XXXI. Corpus more solemni lotum et curatum et maximo totius populi luctu ecclesiae inlatum atque humatum est. Dubitatum est primo, ubi reponi deberet, eo quod ipse vivus de

a. Hludwicum *T.* b. Hildegarde *T.* c. Aquisgrani *T.* d. dolorem *T.*

aran manoht, Sept. uuitu manoht, Oct. uuindun manoht, Nov. herivist manoht, Dec. heilagmanoht. NOMINA VENTORUM: Subsolanus ostroni uuint, eurus ost sundroni, euroauster sunt ostroni, auster sundroni, austerafricus sund westroni, Africus uuest sundroni, zepphirus uuest troni, chorus uuest nordroni, circius nort uuestroni, septentrio nordroni, aquilo nort ostroni, wulturnus ost nordroni".

1. decubuit igitur die 22 Ianuarii 814.

814 Ian. 28 hoc nihil praecepisset[a]. Tandem omnium animis sedit, nusquam eum honestius tumulari posse quam in ea basilica, quam ipse propter amorem dei et domini nostri Iesu Christi et ob honorem sanctae et aeternae virginis genetricis eius proprio sumptu in eodem vico construxit. In hac sepultus est eadem die, qua[b] defunctus est. Arcusque supra tumulum deauratus cum imagine et titulo exstructus.

Titulus ille hoc modo descriptus est: *Sub hoc conditorio situm est corpus Karoli magni atque orthodoxi imperatoris, qui regnum Francorum nobiliter ampliavit et per annos XLVII feliciter rexit. Decessit septuagenarius anno[c] Domini DCCCXIIII, indictione VII, V Kal. Febr.*[1]

XXXII. Adpropinquantis finis conplura fuere prodigia[d], ut non solum alii sed etiam ipse hoc minitari sentiret. Per tres continuos vitaeque termino proximos annos[2] et solis et lunae creberrima defectio; et in sole macula quaedam atri coloris septem dierum spatio visa[3]. Porticus, quam inter basilicam et regiam operosa mole construxerat, die ascensionis Domini[4] subita ruina usque ad fundamenta conlapsa[e]. Item pons Rheni[f] apud Mogontiacum[g], quem ipse per decem annos ingenti

a. praecipisset *T.* b. et *add. P.* c. anno Domini 814 inditione 7 *T; pro quo in P nihil est nisi:* anno indictionis septimo. d. praesagia *T.* e. conlappa *P.* f. Hreni *T.* g. Magontiacum *T.*

1. In membranaceo saec. IX codice bibliothecae regiae Monacensis lat. 14641 (S. Emmerammi 641) manu Anglosaxonica scripta haec sunt:

„Epitaphium Caroli: Sub hoc conditorio situm est corpus Karoli magni et orthodoxi imperatoris, qui regnum Francorum nobiliter ampliavit et per annos 46 feliciter rexit. Decessit septuagenarius 5 Kal. Febr."

Manus vero saec. X in membranaceo codice bibliothecae Caesareae Vindobonensis 969 (Theol. 354) f. 556 posuit haec:

„EPITAPHIUM KAROLI: Sub hoc conditorio situm est corpus Karoli magni et orthodoxi imperatoris, qui regnum Francorum nobiliter ampliavit et per annos 46 feliciter rexit".

„INFRA CAPELLA SCRIPTUM: Insignem hanc dignitatis aulam Karolus caesar magnus instituit; egregius Odo magister explevit, Metensi fotus in urbe quiescit".

2. immo annis 810, 812, 813. 3. anno 807. V. Annales in Mon. Germ. SS. I 194. 4. an anno 813 (Mai. 5)?

labore et opere mirabili de ligno ita construxit, ut perenniter[a] durare posse videretur, ita tribus horis fortuito[b] incendio conflagravit[1], ut, praeter quod aqua tegebatur, ne una quidem astula[c] ex eo remaneret. Ipse quoque, cum ultimam in Saxonia[d] expeditionem contra Godofridum regem Danorum ageret, 810
quadam die, cum ante exortum solis castris egressus iter agere coepisset, vidit repente delapsam caelitus cum ingenti lumine facem a dextra in sinistram per serenum aera transcurrere. Cunctisque[e] hoc signum quid[f] portenderet ammirantibus, subito equus, quem sedebat, capite deorsum merso decidit eumque tam graviter ad terram elisit, ut, fibula sagi rupta balteoque gladii dissipato, a festinantibus qui aderant ministris exarmatus et sine amiculo[g] levaretur. Iaculum etiam, quod[h] tunc forte manu[i] tenebat, ita elapsum est, ut viginti vel eo amplius pedum spatio longe iaceret. Accessit ad hoc creber Aquensis[k] palatii tremor et in domibus, ubi conversabatur, assiduus laqueariorum crepitus. Tacta etiam de caelo, in qua postea sepultus est, basilica; malumque aureum, quo tecti culmen erat ornatum, ictu fulminis dissipatum et supra domum pontificis, quae basilicae contigua erat, proiectum est. Erat in eadem[l] basilica in margine coronae, quae inter superiores et inferiores arcus[m] interiorem aedis partem ambiebat, epigramma Sinopide scriptum, continens[n], quis auctor esset eiusdem templi; cuius in extremo versu legebatur: *Karolus princeps*. Notatum est a quibusdam, eodem quo decessit anno paucis ante mortem mensibus eas, quae *princeps* exprimebant[o], litteras ita esse deletas, ut penitus non apparerent. Sed superiora omnia sic aut dissimulavit aut sprevit, acsi nihil horum ad res suas quolibet modo pertineret.

XXXIII. Testamenta facere[2] instituit, quibus[p] filias et ex concubinis liberos[p] ex aliqua parte sibi heredes faceret; sed tarde inchoata perfici non poterant. Divisionem tamen the-

a. perhenniter *T*. b. fortuitu *T*. c. hastula *T*. d. Saxoniam *T*. e. cunctusque *P*. f. quod *T*. g. exarmatus non sine amminiculo *T*. h. quem *T*. i. manum *T*. k. Aquiensis *T*. l. eodem *T*. m. artus *T*. n. constinens *P*. o. *corr. in* exprimebat *T*. p. quibus ex concubinis filias et liberos *T*.

1. m. Maio a. 813. 2. Cf. Suet. Oct. c. 101, supra p. 501 n. 2.

saurorum et pecuniae ac vestium aliaeque supellectilis[a] coram
811 amicis et ministris suis, annis tribus antequam decederet, fecit; contestatus eos, ut post obitum suum a se facta distributio per illorum suffragium rata permaneret. Quidque ex his, quae diviserat, fieri vellet, breviario comprehendit. Cuius ratio ac textus talis est:

„IN NOMINE DOMINI DEI OMNIPOTENTIS PATRIS ET FILII ET SPIRITUS SANCTI. Descriptio atque divisio, quae facta est a gloriosissimo atque piissimo domno Karolo imperatore augusto anno ab incarnatione domini nostri Iesu Christi 811, anno vero regni eius in Francia 43 et in Italia 36[1] imperii autem 11 indictione[b] 4; quam pia et prudenti consideratione facere decrevit et Domino annuente perfecit de thesauris suis atque pecunia[c], quae in illa die in camera eius inventa est. In qua illud praecipue praecavere voluit: ut non solum eleimosinarum[d] largitio, quae sollemniter apud christianos de possessionibus eorum agitur, pro se quoque de sua pecunia ordine atque ratione perficeretur; sed etiam ut heredes sui omni ambiguitate remota quid ad se pertinere deberet liquido cognoscere, et sine lite atque contentione sua inter se competenti partitione dividere potuissent".

„Hac igitur intentione atque proposito omnem substantiam atque supellectilem[e] suam, quae in auro et argento gemmisque et ornatu regio in illa ut dictum est die in camera eius poterat inveniri, primo quidem trina divisione partitus est. Deinde, easdem partes subdividendo, de duabus partibus viginti et unam partem fecit, tertiam integram reservavit".

„Et duarum quidem partium in viginti et unam partem facta divisio tali ratione consistit: ut, quia in regno illius metropolitanae civitates viginti et una esse noscuntur, una quaeque illarum partium ad unam quamque metropolim per manus heredum et amicorum suorum elemosinae nomine perveniat; et archiepiscopus, qui tunc illius ecclesiae rector exstiterit, partem

a. supellectulis *T.* b. inditione *T.* c. peccunia *T.* d. elemosinarum *T.* e. suppellectilem *P.* 1. imo 37.

quae ad suam ecclesiam data est suscipiens, cum suis suffraganeis partiatur; eo scilicet modo, ut pars tertia suae sit ecclesiae, duae vero partes inter suffraganeos dividantur". 811

„Harum divisionum, quae ex duabus primis partibus factae sunt et iuxta metropoleorum civitatum numerum viginti et una esse noscuntur, una quaeque, ab altera sequestrata, semotim in suo repositorio cum superscriptione civitatis, ad quam perferenda est, recondita iacet. Nomina metropoleorum, ad quas eadem elemosina sive largitio facienda est, haec sunt: Roma, Ravenna, Mediolanum, Forum Iulii, Gradus, Colonia, Mogontiacus, Iuvavum quae et Saltzburc[a], Treveri[b], Senones, Vesontio[c], Lugdunum, Ratumagus[d], Remi[e], Arelas[f], Vienna, Darantasia, Ebrodunum, Burdigala, Turones, Bituriges".

„Unius autem partis, quam integram reservari voluit, talis est ratio: ut — illis duabus in supradictas divisiones distributis et sub sigillo reconditis — haec tertia in usu quotidiano versaretur, velut res, quam nulla voti obligatione a dominio possidentis alienatam esse constaret; et hoc tam diu, quoad usque vel ille mansisset in corpore vel usum eius sibi necessarium iudicaret. Post obitum vero suum aut voluntariam saecularium rerum carentiam eadem pars quattuor subdivisionibus secaretur. Et una quidem earum supradictis viginti et unae partibus adderetur; altera, a filiis ac filiabus suis filiisque ac filiabus filiorum suorum assumpta, iusta et rationabili inter eos partitione divideretur; tertia vero consueto christianis more in usum pauperum fuisset erogata; quarta simili modo nomine eleimosinae in servorum et ancillarum, usibus palatii famulantium, sustentationem distributa veniret".

„Ad hanc tertiam totius summae portionem, quae similiter ut ceterae ex auro et argento constat, adiungi voluit omnia ex aere et ferro aliisque metallis vasa atque utensilia, cum armis et vestibus, alioque aut pretioso aut vili ad varios usus facto supellectili; ut sunt cortinae[1], stragula, tapetia, filtra[2], coria,

a. Salzbur *T.* b. Treveris *T.* c. *corr. in* Vesontium *T.* d. Rotamagus *T.* e. Remis *T.* f. Arales *P.* 1. aulaea. 2. coactilia.

811 sagmata, et quicquid in camera atque vestiario eius eo die fuisset inventum; ut ex hoc maiores illius partis divisiones fierent et erogatio eleimosinae ad plures pervenire potuisset".

„Cappellam, id est ecclesiasticum ministerium, tam id quod ipse fecit atque congregavit quam quod ad eum ex paterna hereditate pervenit, ut integrum esset neque ulla divisione scinderetur, ordinavit".

„Si qua autem invenirentur aut vasa aut libri aut alia ornamenta, quae liquido constaret eidem capellae ab eo conlata non fuisse, haec qui habere vellet, dato iustae aestimationis pretio, emeret et haberet. Similiter et de libris, quorum magnam in bibliotheca sua copiam congregavit, statuit: ut ab his, qui eos habere vellent, iusto pretio fuissent redempti, pretiumque in pauperibus erogatum".

„Inter ceteros thesauros atque pecuniam[a] tres mensas argenteas et auream unam praecipuae magnitudinis et ponderis esse constat. De quibus statuit atque decrevit: ut una ex his, quae, forma quadrangula, descriptionem urbis Constantinopolitanae continet, inter cetera donaria, quae ad hoc deputata sunt, Romam ad basilicam beati[b] Petri apostoli deferatur; et altera, quae, forma rotunda, Romanae urbis effigie figurata[c] est, episcopio Ravennatis ecclesiae conferatur. Tertiam, quae ceteris et operis pulchritudine et ponderis gravitate multum excellit, quae ex tribus orbibus conexa[d] totius mundi descriptionem[e] subtili[f] ac minuta figuratione conplectitur, et auream[g] illam, quae quarta esse dicta est[h], in[i] tertiae illius — et inter heredes suos atque in eleimosinam[k] dividendae — partis augmento[l] esse constituit".

„Hanc constitutionem atque ordinationem coram episcopis abbatibus comitibusque, qui tunc praesentes esse potuerunt, quorumque hic nomina descripta sunt, fecit atque constituit.

a. peccunias *T.* b. ad beati *T.* c. decorata *T.* d. descripta *T*, *ubi manus corrigens superscripsit:* ł conexa. e. descriptione *P.* f. suptili *P.* g. auream *erasum est in T.* h. scilicet auream *add. T.* i. in tertiae illius — et *om. T.* k. elemosinę *T.* l. augmentum *T.*

Episcopi: Hildibaldus[a][1], Richolfus[b][2], Arno[c][3], Wolpharius[d][4], Bernoinus[e][5], Laidradus[6], Iohannes[7], Theodolfus[f][8], Iesse[9], Heito[10], Waltgaudus[11]. Abbates: Fridugisus[g][12], Adalungus[h][13], Engilbertus[i][14], Irmino[15]. Comites: Walath[k], Meginheri[l], Otolfus[m], Stephanus, Unruocus[n], Burchardus, Meginhardus[o], Hatto, Rihwinus[p], Edo, Ercangarius, Geroldus, Bero, Hildigernus[q], Hroccolfus[r]“. 811

Haec omnia[s] filius eius Hluduicus, qui divina ei iussione successit, inspecto eodem breviario, quam celerrime poterat, post obitum eius summa cum devotione adimplere curavit. 814

a. Hildebaldus *T.* b. Ricolfus *T.* c. *in P lacuna est pro* Arno. d. Wolfarius *T.* e. Bernoin *T.* f. Teodulfus *T.* g. Fredugisus *T.* h. Adalung *T.* i. Engelbertus *T.* k. Walacho *T.* l. Meinherus *T.* m. Oculfus *T.* n. Unruochus *T.* o. Meinhardus *T.* p. Riuhuinus *T.* q. Hildigerus *T.* r. Rocculfus *T. Hic desinit P.* s. nomina *T.*

1. Coloniensis 784—819. 2. Moguntinus 786—813. 3. Salzburgensis 785—821. 4. Remensis 795—816. 5. Vesontionensis. 6. Lugdunensis 798—814. 7. II Arelatensis. 8. Aurelianensis. 9. Ambianensis. 10. Basileensis. 11. Leodiensis. 12. S. Martini Turonensis et Sithiensis. 13. Laureshamensis. 14. s. Angilbertus abb. S. Richarii Centulensis (dioec. Ambianensis). 15. S. Germani Parisiensis.

POETAE SAXONIS VITA CAROLI MAGNI.

Post bellum a Saxonibus cum Carolo Magno tot annos tanta obstinatione gestum cum vixdum saeculum abiisset, usque eo commutatae res erant, ut, quod aversissimis animis maiores abhorruerant, id unum ad aeternam felicitatem parandam maxime pertinere crederetur. Iam enim hoc in summis Caroli laudibus ferebatur, quod christiana fide populum imbuerit; nec dubitabant quin imperatorem gratissima voluntate venerarentur, non solum sublatum in coelum verum ibi etiam cum ipsis sanctorum sanctissimis apostolis consociatum[1].

Talem igitur mentem sub Arnolfo rege spatio annorum 888—891[2] *ad vitam Caroli versibus exponendam attulit Saxo*[3], *qui, quoniam neque eius nomen potest dici neque ubi domicilium habuerit in promptu est*[4], *poeta Saxo appellari solet. Poematis eius libri quinque numerantur. Quorum primi quatuor, heroicis versibus scripti annaliumque more distincti, ab anno 771 ad an-*

1. V. Poetae Sax. V 659—688. 2. Regnante Arnolfo poetam Saxonem Caroli laudes cecinisse, planum fit ex L. V 135—148 et 405—424. Estque certum, non post victoriam die 1 Nov. 891 prope Dylam fluvium e Normannis latam librum scriptum esse, idcirco quod versibus illis V 415—424 spes potius quam successus rerum declarantur. 3. Multis locis (cf. III 371, V 25—52, 615, 689, 690) apparet, scriptorem poematis Saxonem fuisse; cuius dignitas ecclesiastica facilis cognitu est ex V 137. 138. 4. Pertzius quidem (Mon. Germ. SS. IV 166) propter id, quod et Agius (cuius de vita et obitu Hathumodae librum habemus) monachus Lamspringensis videatur esse, et poetae Saxonis opus in codice ipsius coenobii Lamspringensis saeculo XI scripto inveniatur, poetam „fortasse" eundem atque Agium esse existimavit. Neque vero id quidquam nisi suspicio est.

num 814 pertinent; sicque res gestas Caroli comprehendunt, ut ipsa relatio usque ad annum 801 fere tota ex annalibus Einharto attributis pendeat, inde autem nitatur in excerptis tantum eorundem annalium aliisque notis exiguis neque admodum fidis[1]. *Quintus liber, elegiacum carmen, ex Einharti vita Caroli manavit. Neque sane ad ipsam imperatoris memoriam augendam ullum momentum in hoc poemate habetur; verumtamen aestimatione dignum est, tum propter scriptoris et voluntatem et eruditionem tum propter varia genera admixtionum per se aliquid valentium.*

Ab interitu vindicatum hoc opus est uno codice membranaceo[2] *saec. XI, qui, testantibus in prima pagina verbis his:* Liber sancti Adriani in Lamespringe, *saeculo XII monachorum Lamspringensium (dioec. Hildesheimensis) fuit, postque in bibliothecam Guelferbytanam pervenit. Inde enim assumpto codice principem poematis editionem anno 1594 curavit Reinerus Reineccius*[3], *repetitam anno 1636 a Duchesne Hist. Franc. Script. II 136 sq. et anno 1685 a Kulpisio (Aeneae Silvii historia rerum Friderici III, app. p. 3—44). Tenebatur codex anno 1707 Helmstadii, cum usus eo Leibnitius librum primo tomo Scriptorum rerum Brunsvicensium p. 120—171 inseruit; cuius editio consulta est a Bouquet, anno 1744 in Recueil des historiens V 136—184 poetam proponente. Reductum postea in bibliothecam Guelferbytanam codicem in rem suam convertit anno 1826 Pertzius Mon. Germ. SS. I 227—279, mihique hanc novam editionem paranti perliberaliter misit Ludovicus Bethmann.*

Berolini 11 Kal. Augustas 1867.

1. Quemadmodum Bernhardus Simson diligenter acuteque demonstravit commentatione hac: „Der Poeta Saxo und der Friede zu Salz" in Forschungen zur deutschen Geschichte I 303—326. 2. Alterum, qui in bibliotheca Bruxellensi tenetur, codicem chartac. saec. XV vel XVI ex codice Lamspringensi deductum esse patet; v. Archiv für ältere deutsche Geschichtskunde VII 379. 3. Hoc titulo usus: „Annalium de gestis Caroli Magni imp. libri V. Ex illustr. Wolfebuttel. bibliotheca; studio et opera Reineri Reineccii. Helmaestadii M.D.XCIIII".

LIBER PRIMUS[a].

(ANNO DCCLXXI. INDICTIONE VIII)[b]

771 Salvator mundi postquam, de virgine nasci
Dignatus, nostri se corporis induit artus,
Evolvit septingentos rota temporis annos
Et decies septem, sed et unus pene peractus
Insuper annus erat, cum iure monarchia regni
Francorum Carolo divinitus est data magno.
Nam Carolomannus frater decesserat eius
Presentis iam supremis prope partibus anni.
Et Carolus, villam quae Carbonata vocatur
Adveniens, summos proceres omnesque potentes
Fraternae quondam partis susceperat illic,
Haud retractantes, domino se subdere tali;
Exceptis tantum paucis, quos forte prioris
Magnus amor domini cum coniuge fecerat eius
Et natis remanere. Quibus comitata petivit
Italiam; sperans, se degere posse quietam
Sub regis Desiderii munimine vitam.
Rex autem Carolus celebravit in Attiniaco
Natalem Domini nec non paschalia festa[1].

(ANNO DCCLXXII. INDICTIONE IX)

772 Paulo[2] Romane defuncto praesule sedis,
Suscepit post hunc Adrianus pontificatum.
Et rex Wormatiam Carolus collegit in urbem
Francorum proceres ad concilium generale;
Cum quibus, ut bello Saxones aggrederetur,

a. LIBER PRIMUS *addidi.* b. *In codice nihil praescriptum est nisi:* VITA KAROLI. *Sed singulorum annorum memoriis poetam praeposuisse et numeros annales et indictiones, perspicuum fit ex annis* 782, 784—790, 792—800, 810—818. *Quocirca ceteris etiam capitibus similes notas chronicas addendas duxi, uncis inclusas. In hac re notandum est, indictionum numeros ascriptos omnes una monade minores esse; cui vitio generali correctionem adhibere non convenit.*

1. Annales Einharto ascripti 771: „Celebravitque natalem Domini Attiniaco, et pascha Haristallio". 2. immo Stephano IV.

Decrevit. Quoniam Saxonum proxima Francis 772
Adiacet ad boream tellus; vix limite certo[1]
Divisi, gentis fines utriusque coherent.
Que tum vicinae quo plus regione fuere,
Tanto seiunctas animis discordia fecit.
Finitimos etenim[a] per agros utrimque solebant
Assidue fieri cedes, incendia, praede.
Saxonum natura ferox et pectora dura,
Ferre iugum Christi necdum dignata suave,
Demonico nimium fuerant errore subacta.
Christicolae vero iam longo tempore Franci
Catholicam tenuere fidem, multisque per orbem
Iam dominabantur populis; quibus undique fulti,
Precipue virtute Dei, quem rite colebant,
Hanc unam poterant nimirum vincere gentem.
Que nec rege fuit saltem sociata sub uno,
Ut se militiae pariter defenderet usu;
Sed variis divisa modis, plebs omnis habebat,
Quot pagos, tot paene duces; velut unius artus
Corporis in diversa forent hinc inde revulsi.
Sed generalis habet populos divisio ternos[b],
Insignita quibus Saxonia floruit olim;
Nomina nunc remanent, virtus antiqua recessit:
Denique Westfalos vocitant in parte manentes
Occidua, quorum non longe terminus amnę
A Rheno distat. Regionem solis ad ortum
Inhabitant[c] Osterliudi, quos nomine quidam
Ostvalos alio vocitant; confinia quorum
Infestant coniuncta suis, gens perfida, Sclavi[d].
Inter praedictos media regione morantur
Angarii, populus Saxonum tertius; horum
Patria Francorum terris sotiatur ab austro,
Oceanoque eadem coniungitur ex aquilone.

a. Finitimos sed enim *c.* b. ternas *c.* c. inhabitabant *c.* d. sclaui *c.*

1. Cf. Einharti vit. Caroli c. 7.

772 Hanc igitur Carolus statuit sibi subdere gentem.
Nec mora, cum totis Francorum viribus ipsam
Aggressus, late ferro vastavit et igni.
Castellum naturali munimine[a] forte
Valde, manu quoque firmatum, quod barbara lingua
Nominat Eresburg, valido cum robore cepit.
Gens eadem coluit simulacrum, quod vocitabant
Irminsul; cuius similis factura[b] columne
Non operis parvi fuerat pariterque decoris.
Hoc rex evertens, mansit tribus ipse diebus
In castris iuxta positis. Tum, continuato
Aestatis fervore diu caeloque sereno,
Ardebant agri nec in ipsis fontibus humor
Ullus erat; multo squalebant pulvere rivi.
Iamque fatigabat graviter regalia castra
Aucta calore sitis. Sed vis dedit omnipotentis,
Cui placuit fani subversio iusta profani:
Ut mediante die subito per concava sicci
Cuiusdam torrentis, erat qui proximus illis,
Sufficiens exercitui prorumperet unda.
His gestis, cum rex Wisuram venisset ad amnem,
Obsidibus bis sex ipsa de gente receptis,
Ad patriam rediit magna cum prosperitate.

(ANNO DCCLXXIII. INDICTIONE X)

773 Missis legatis, Adrianus papa sacratus
Auxilium Caroli studuit deposcere magni
Adversus[c] Longobardos, quorum fuit illo
Tempore rex Desiderius; nam valde premebat
Improba Romanos huius violentia gentis.
Et quia tunc illi pars maxima subdita regno
Italiae totius erat terrasque per illas,
Scilicet hostiles, non quenquam mittere tute
Romanus praesul potuit, qui tramite recto
Francorum terras peteret, conscendere navem

a. munime *c*. b. factura similis *c*. c. Aduersos *c*.

Fecit apud Romam legatum nomine Petrum: 773
Ut, mare circuitu longo fluctusque pererrans,
Susspectum vitaret iter[a]. Sic sepe videtur
Tucior oceani fervor pelagique procella,
Quam mentes hominum, quas turbida commovet ira.
Hic igitur Petrus, Roma directus ab urbe,
Per mare Massiliam petiit; longumque deinde
Per terrenum[b] iter in villa Theodone vocata
Insignis Caroli pietatem regis adivit;
Orans devote satis: ut defendere vellet
Ecclesiam Petri, summus qui claviger aulae
Illi celestis dare praemia maxima posset;
Nec non pontificis succurreret anxietati,
Romanique simul populi mala plurima passi,
Cui libertatis iam spes vitaeque tenendae
Unica post Dominum tantum restaret in illo.
Talibus auditis, causam rex protinus omnem
Sollicito volvens animo, satis affore iustum
Perpendit gratumque Deo, defensor ut ipse
Sedis apostolicae totis pro viribus esset.
Atque suo statim regno collegit ab omni
Roboris inmensi variis ex gentibus agmen;
Quod secum ducens, Genuam pervenit in urbem,
Quam rapido cursu Rhodanus praeterfluit amnis.
Tum gemino Langabardos invadere bello
Decrevit populumque suum divisit; et unam
Cum duce Bernhardo partem praeceperat ire
Per montem Iovis — id nomen vetus indidit error —
At reliquam per Cinisium rex duxerat ipse.
Transcensis igitur horrendis Alpibus, instar
Turbinis Ausoniae duplex exercitus arva
Irruerat, late regnum vastans opulentum.
Iamque metus cunctos Francorum perculit ingens.

a. itær *c.* b. Per terrenum *scripsi pro* Preteriens *c.* (*cf. Annales Einharto adscripti* 773: „atque inde terreno itinere“ cet.).

773 Nam Desiderium, primo qui bella parabat,
Se frustra Carolo sperans obsistere posse,
Congressu necdum facto, terrore fugavit.
Et clausum Ticino, cui nunc est Papia nomen,
Regius admotis exercitus undique castris
Obsedit; variisque modis perplurima temptans
Temporis hiberni spatio molimina toto,
Non urbis poterat muros irrumpere ferro.

(ANNO DCCLXXIIII. INDICTIONE XI)

774 Tales Italicis dum res agerentur in horis,
Saxones, sibi contiguos invadere fines
Ausi Francorum, pagum, qui dicitur Hassi,
Praedantur flammisque simul populantur et armis.
Quos animavit ad hoc longinqua profectio regis;
Credentes, ulciscendi sibi tunc fore tempus
Damna, prius per eum que maxima sustinuere.
Qui tamen, usque locum qui Frideshlar vocitatur
Progressi, quandam cupierunt tradere flammis
Ecclesiam, quam sacravit Bonifacius illic[a],
Martir et antistes Christo dilectus in aevum.
Hoc frustra nisos facinus complere nefandum
Invasit subito terror divinitus ingens
Atque fuga turpi trepidos repedare coegit
Ad patriam; quos non hostes, non arma fugarunt.
At rex, dispositis legionibus ad Ticinensem[b]
Obsidione iugi populum belloque premendum,
Orandi causa Rome loca sancta petivit.
Illic supplicibus votis ex corde peractis,
Ad Ticinum rediit; que iam, certamine longo
Fessa, repugnandi vires amiserat omnes.
Dedita tum Francis haec urbs clarissima cunctis
Exemplo fuerat reliquis. Nam protinus omnes
Tradiderant Carolo sese concorditer urbes
Eiusdem regni. Quod iam sibi iure subactum

a. longinqua *corr. in* illic *c.* b. Ticinensum *c.*

Disposuit, quantum potuit pro tempore tali. 774
Ad sedes etenim cupiens remeare paternas,
Accelerabat iter; secum ducens memoratum
Italiae regem, noviter quem coeperat armis.
Hic humanarum videas ludibria rerum,
Quam vario cursu vitae rota volvitur huius.
Hesterno Desiderius diademate regni
Floruit, en hodie est pauper captivus et exul.
Filius illius, cognomine dictus Adalgis,
Cum Longabardis in eo spes ampla maneret,
Diffidens rebus patriae, se contulit inde
Ad Constantinum Grecorum sceptra regentem;
A quo patricius praeclaro munere factus,
Hoc in honore suae permansit ad ultima vitae.
Rex autem Carolus veniens, dum cognitus eius
Velox adventus necdum Saxonibus esset,
Fecerat, ut triplex exercitus, in regiones
Illorum missus, multis affligeret ipsos
Cedibus ac praedis. Loca denique plurima vastans,
Hinc est cum spoliis victor regressus opimis.

(ANNO DCCLXXV. INDICTIONE XII)

Rex, hiemis tempus ducens in Carisiaco, 775
Nomine quo quedam regalis villa vocatur,
Illuc Francorum proceres totumque senatum
Convocat. Ac multum tractans de rebus agendis
Et variis, quibus indiguit res publica, curis,
Inprimis hoc consilium perhibetur inisse,
Ut iugiter bellum Saxonibus ingereretur;
Quos expertus erat, fidei vel foederis omnis
Immemores, nunquam sub pace quiescere velle.
Hinc statuit, requies illis ut nulla daretur,
Donec, gentili ritu cultuque relicto,
Christicole fierent aut delerentur in aevum.
O pietas benedicta Dei, quae vult genus omne
Humanum fieri salvum! Quia noverat, huius

775 Non aliter gentis molliri pectora posse,
Disceret ut cervix reflectere dura rigorem
Ingenitum mitique iugo se subdere Christi,
Ob hoc doctorem talem fideique magistrum,
Scilicet insignem Carolum donavit eisdem;
Qui bello premeret, quos non ratione domaret,
Sicque vel invitos salvari cogeret ipsos.
Hoc inspiratum cordi divinitus eius
Utile consilium comitantur strenua facta.
Quippe duces omnisque simul delecta iuventus
Ad Duriam vicum properant; nam, rege iubente,
Illic conventus populi generalis habetur.
Atque dehinc grandi transmisso flumine Rheno,
Saxonum Carolus fines hostiliter intrat,
Ac primo Sigiburg castellum cępit. Et inde
Eresburg petiit, quam captam diximus urbem;
Sed ne praesidio Francis fore posset, eandem
Indigene destruxerunt. Hanc denique rursus
Munivit, posuitque suas illic legiones.
Inde gradu celeri Wisuram pervenit ad amnem;
Cui iuxta montem, qui Brunesberg vocitatur,
Obvia magna fuit cupiens obsistere turba,
Ne fluvium transiret; et hoc conamine casso.
Fugit enim primo statim certamine pulsa;
Innumerosque die ferrum prostraverat illo.
Inde movens Carolus regiones venit ad illas,
Quas[a] Osterliudi retinent; seditque, locatis
Ad fluvium castris, qui nunc Ovaccra vocatur.
Tunc illi quidam, qui de primoribus eius
Gentis erat, supplex occurrit nomine Hessi;
Partis et illius pariter plebs obvia tota
Venerat, obsidibusque datis, quos iusserat ipse,
Se servare fidem regi per maxima spondent
Iuramenta. Quibus cunctis hoc ordine gestis,

a. Quos c.

In pagum rediit, quem dicunt nomine Bukki. 775
Illic occurrere duces simul Angariorum
Cum populo; similique modo regalibus omnes
Dum parent iussis, iuramentisque fideles
Se fore confirmant, reditum parat ilico victor.
Interea iuxta Wisuram dimissa manebat
Pars exercituum regis; locus ipse vocatur
Hlidbeki, quo castris idem sedere locatis.
Sed male securos res prospera fecerat illos,
Qua rex usus erat, cum cunctis hostibus esset
Terrori, iam tunc audente resistere nullo.
Hinc erat in castris cautela remissior illis,
Ut possent nimia Saxonum fraude noceri.
Sol summo caeli pronus vergebat ab axe
Et vespertinas iam tendere coepit ad horas;
Tunc, ut equis quidam deferrent pabula longe
De castris prius egressi, pariter redierunt.
His se Saxonum quoddam permiscuit agmen,
Fingentum semet socios animoque fideles.
Tum se quisque novo blande sociabat amico,
Hostis quo saevus latuit sub nomine tectus.
Adhibitumque fidem verbis fallacibus auget
Obsequium; cuncti simul in commune laborant,
Pars subvectat onus viridis simul utraque foeni.
Sic introgressi Francorum castra dolosi,
Quod vi non poterant, egerunt arte; sed olim
Est dictum: *Dolus an virtus, quis in hoste requirat?*[1]
Depressos somno Francos instanter adorti,
Saxones caedem nimiam fecere feroces;
Donec, discusso tandem torpore soporis,
Quidam correptis obstare viriliter armis
Coeperunt. Pugnaque dehinc utcumque remota,
Scilicet ex pacto, quod tunc angustia talis
Dictabat, hostes celeri rediere recursu.

1. Virg. Aen. 2, 390.

775 His rex auditis illuc properare sategit[a],
Atque satis velox fugientum terga secutus,
Prostravit multos auctores criminis huius.
Hinc ad Westfalhos venit; statimque receptis
Obsidibus, quos tradiderant, abscesserat inde.
Ac suscepit ovans redeuntem Francia regem.

(ANNO DCCLXXVI. INDICTIONE XIII)

776 Cumque domum rediens princeps iter acceleraret,
Comperit, Ausoniis in partibus esse tirannum
Nomine Hrodgaudum, nova qui molimina temptans
Nec, quem rex illi dederat, contentus honore,
Italiae latum voluit sibi subdere regnum.
Quippe ducem comitemque Foroiulensibus ipsum
Constituit Carolus, primo cum clara triumpho
De Langobardis victor vexilla revexit.
Huic nimis ingratus dono, male sollicitabat
Urbibus ex multis populos; ac fecit, ut ad se
Deficerent, iusto Caroli spreto dominatu.
Hos ut comprimeret motus, nil ipse moratus,
Strenua quam celeri raptim vocat agmina iussu.
Cum quibus Italiam properans meritoque tyrannum
Interitu plectens, urbes servare receptas
Francorum comites, quos ipse locabat in illis,
Iussit. Et ut venit velox, sic inde recessit.
Vix Alpinarum nivium iuga proxima caelo
Illi transgresso tristis fuit obvia fama,
Eresburg referens urbem, quam coeperat olim
Militibusque suis mandaverat ipse tuendam,
Saxones expugnatam coepisse, suumque
Expulsum fore praesidium violenter ab illis.
Tum Sigiburg[b] aliud multo conamine castrum
Oppugnare quidem studuit nec vincere quivit
Gens eadem, cupiens ab ea regis legiones
Pellere; sed pugnae populus Saxonicus instans,

a. satagit *c.* b. Siburg *c.*

A tergo circumventus fuit atque fugatus, 776
Interius positis simul erumpentibus atque
Incautos plaga facile sternentibus ampla.
Hic rumor Caroli cum primum venit ad aures,
Conventum procerum fieri praecoepit in urbe
Wormacia; statuitque, moras innectere nullas,
Quin lueret tanti sceleris gens perfida poenas.
Ergo suis exercitibus rex undique lectis,
Conatus celer hostiles praevertitur omnes,
Temptavere quibus primo defendere sese.
Nam fontes adiens, ubi Lyppia nascitur amnis,
Repperit ex ipsa numerosas gente catervas
Illic collectas humiles veniamque precantes,
Quod non servassent anno promissa priori.
Cum vero Carolus clemens ignosceret illis,
Complures, domino se Christo credere velle
Spondentes simulacrorumque relinquere cultus,
Purgari iussit sacri baptismatis unda;
Servandeque iterum fidei promissa recepit,
Obsidibus firmata datis, quibus ipse volebat.
Eresburg iterum firmat munimine forti;
Et iuxta fluvium, quem Lyppia diximus ante,
Castellum condens aliud, complevit utrumque
Militibus lectis. Tum Gallica rursus ad arva
Regrediens, hiemis tempus transegit in aula,
Nomen Heristalli dederat cui barbara lingua.

(ANNO DCCLXXVII. INDICTIONE XIIII)

Aspirante novi placido cum tempore veris 777
Horrida iam transisset hiems, rex, Noviomagum[a]
Adveniens, celebravit ibi sollempnia paschae.
Tum, quia Saxones suspectos[b] semper habebat,
Haud dubitans: illos pro libertate tenenda
Artibus acturos variis, quodcumque valerent,

a. *in margine cod. alia manus addidit:* Niumagan. b. *in margine cod. alia manus addidit:* dubios.

777 Et nisi continui premerentur pondere belli,
Foedera rupturos, secum condicta frequenter;
Rursus in illorum patriam fortissima ducit
Agmina. Conventum placiti generalis habere
Cum ducibus se velle suis denunciat illic.
Tanto concilio locus est electus agendo,
Quem Pathalbrunnon vocitant; quo non habet ipsa
Gens alium naturali plus nobilitate
Insignem. Qui praecipuae redimitus abundat
Fontibus et nitidis et pluribus; et trahit inde
Barbaricae nomen linguae sermone vetustum.
Tunc ibi villa fuit tantum, nunc pontificalis
Ecclesiae constructa nitet clarissima sedes.
Quo Carolus veniens, collectos repperit omnes
Paene duces populumque simul totumque senatum
Saxonum; nisi quod quidam Widokindus abinde
Aufugit, regem veritus. Nam conscius idem
Audacis sibimet facti multique reatus,
Sifridum petiit, Danorum sceptra regentem.
Porro duces illic alii cum plebe gregati,
Suppliciter cuncti veniam pacemque petentes,
Paruerant regi sub tali conditione:
Ut, cuncta scelerum dimissa mole priorum,
Si post auderent eius violare statuta,
Libertate simul prisca patriaque carerent.
Quorum tum, Christo se credere velle professa,
Magna salutiferum suscepit turba lavacrum.
Sed simulata fides versuto prodiit ore;
Quod notum multis fecere sequentia gesta.
Tunc Sarracenus quidam pervenerat illuc,
Nomine qui patrio dictus fuit Ibinalarbi.
Hic cum non paucis sociis ac civibus, ipsum
Qui comitabantur fines regionis Hiberae
Linquentem, Carolo se dedidit ac simul urbes,
Rex Sarracenus quibus hunc praefecerat olim.

Ob hoc Saxonum tandem regione relicta, 777
Gallica regna petit. Post haec Aquitania regem
Insignem Carolum tenet ad paschalia festa.

(ANNO DCCLXXVIII. INDICTIONE XV)

Hortatu Sarraceni cum se memorati 778
Hispanas urbes quasdam sibi subdere posse
Haud frustra speraret, eo sua maxima coepit
Agmina per celsos[a] Wasconum ducere montes.
Qui cum prima Pyrenei iuga iam superasset,
Ad Pompelonem, quod fertur nobile castrum
Esse Navarrorum, veniens, id coeperat armis.
Traiciensque vado famosum flumen Hiberum,
Cesaris Augusti quandam de nomine dictam
Urbem praecipuam terris penetravit in illis.
Acceptis tamen obsidibus, quos Ibinalarbi
Iam dictus pariterque sua de gente fideles
Illustresque viri dederant, sic inde recessit.
Ac Pompelonem rediens, deiecerat eius
Ad terram muros, fieret ne forte rebellis.
Cumque, Pyrenei regressus ad intima saltus,
Milite cum lasso calles transcenderet artos,
Insidias eius summo sub vertice montis
Tendere Wascones ausi, nova praelia temptant.
Denique postremos[b] populi regalis adorti,
Missilibus primo sternunt ex collibus altis;
Et Francos, quamvis armis animisque priores,
Impar fecit et angustus locus inferiores.
Rex iam praecessit; tardumque remanserat agmen,
Cura vehendarum quod rerum praepediebat.
Fit pavor hinc exercitibus, subitoque tumultu
Turbantur; victrix latronum turba nefanda
Ingentem rapuit praedam, pluresque necavit.
Namque palatini quidam cecidere ministri;
Commendata quibus regalis copia gazae

a. scelsos *corr. in* celsos *c.* b. posttremos *c.*

778 Predones illos spoliis ditavit opimis.
His gestis, hostes vasti per devia saltus
Fugerunt celeranter; erant[a] quibus ardua montis
Abdita silvarum vallis loca nota profunde.
Quos fuga dilapsos investigabilis et nox
Instans eripuit, sequeretur ut ultio nulla.
Ac facinus tantum quoniam permansit inultum,
Tristia regali subduxit nubila menti,
Prospera quam fecere prius complura serenam.
Aptum praeterea se tempus habere putantes
Saxones ulciscendi quam plurima dampna
A Francis illata sibi, quia rex erat absens,
Infesto Rheni petierunt agmine litus.
Quem transire tamen nulla ratione valentes,
Francorum terras in eadem parte iacentes,
Qua venere, nimis vastare ferociter ausi,
A muris urbis, quae dicta Diutia nunc est,
Donec pervenias, ubi Rhenus confluit idem
Litoribusque ferens fontes Musella Liei[1],
Cunctas quas poterant villas invadere, flammis
Tradiderant. Ipsis etiam non ira pepercit
Aecclesiis; nec erat hominum caedis modus ullus.
Non aliquod sexus, aetatis, condicionis
Ullius furor immitis discrimen agebat;
Omnia sed ferrum vel edax consumpserat ignis.
Hinc, non praedandi studio sed ut ultio quaedam
In Francos fieret, hoc eos gessisse, probatur.
Hoc rex Hispanis didicit regressus ab horis.
Tunc orientales Francos nec non Alamannos
Obvia ferre iubet statim Saxonibus arma.
Quos cum, iam patriam redeuntes, insequerentur,
In Baddanfeldun — sic est locus ille vocatus —
Adernam iuxta fluvium constanter in ipsos

a. celeranter; erant *scripsi pro* celerant fuerant *cod.*

1. Lyaei, vini.

Irruerant; nutuque Dei, quem crimina tanta 778
In populo commissa suo dampnare decebat,
Saxones tanta ceciderunt strage perempti,
Ut de praegrandi superessent agmine pauci.

(ANNO DCCLXXIX. INDICTIONE I)

Vere novo Carolus, causa poscente, peragrans 779
Gallorum[a] quondam terras, ad Wirciniacum
Accessit vicum. Quo tunc occurrit eidem
Dux Spoletanus, Hildibrandus vocitatus;
Qui, preciosa ferens insigni munera regi,
Ad sua cum magno satis est[b] dimissus honore.
At rex, intente meditans invadere terras
Saxonum, citius Rhenum traiecerat amnem.
Cui se spe vana gens ipsa resistere posse
Confidens, pariter sumptis occurrerat armis,
In quodam collecta loco, Bocholt vocitato;
Sed cum coepissent acie confligere, statim
Terga dedit, numero Francorum territa grandi.
Accepit tunc Westfalhos[c] in deditionem.
Progressusque dehinc, Wisuram pervenit ad amnem,
Atque dies aliquot mansit, stacione locata.
Angarios sed et Ostfalhos ad se venientes
Promissam firmare fidem, qua semet eidem
Subiectos fore spondebant animoque fideles,
Obsidibusque datis sacramentisque coegit.
His gestis, rex Wormaciam remeavit ad urbem.

(ANNO DCCLXXX. INDICTIONE II)

Inde movens oportuno sua tempore castra, 780
Saxonum rursus properaverat in regionem.
Eresburg primo petiit; post haec, ubi fontes
Lyppia flumen habet, perplurima dispositurus,
In castris aliquot fertur mansisse diebus.
Hinc orientis iter sumens, ad flumen Ovaccrum

a. Callorum *c.* b. est *addidi.* c. uuestfalos *in cod. primum correctum in* uuestfalhos, *deinde in* uuestfallos.

780 Venit; et eiusdem gentis quam maxima turba
Illuc praecepto parens occurrerat, atque
Credere se Christo simulans, baptisma recepit.
Indeque festinus pergens, ibi castra locavit,
Albia qua grandis fluvius miscetur et Ora[a].
Nam res[b] Saxonum voluit componere nec non
Sclavorum, medius quos Albia dividit amnis.
Citra Saxones degunt; in litore vero
Sclavorum pagana manet gens ulteriori.
Dispositis sane rebus pro tempore cunctis,
Ad sedes tandem studuit remeare paternas.
Tum, quia praecipuo semper flagrabat amore
Petri, qui summe praeclarus apostolus extat,
Ipsius Romae decrevit limina sancta
Querere, vota precesque Deo persolvere curans.
Atque citus properans, assumpta coniuge secum
Et natis, urbem pervenerat ad Ticinensem,
In qua natalis Domini festum celebravit.
Hic igitur statui primae cum fine decadis
Annorum Caroli, postquam rex coeperat esse
Francorum solus, primum finire libellum;
Viribus ut parvis requies solatia praestet.

LIBER SECUNDUS[c].

(ANNO DCCLXXXI. INDICTIONE III)

781 Octonis decies septingentisque peractis
Annis, est genitus postquam de virgine Christus,
Hic primus sequitur, Carolus quo rex pius arces
Romanas[d] adiit[e], Domino ducente, secundo.
Tunc Adrianus eum, iam dudum commemoratus
Presul apostolicus, cum magno laetus honore
Suscepit; populusque simul Romanus ad ipsum
Ut defensorem libertatisque datorem

a. ora *corr. in* horas *c.* b. rex *c.* c. LIBER SECUNDUS *addidi.* d. Romanus *c.* e. adit *c.*

Unanimis concurrit ovans gratesque rependens. 781
Illic cum praesens foret ad sollempnia paschae,
Fonte salutifero Pippinum nomine natum
Abluit ipsius praesul venerabilis idem[a].

. . . .

ANNO DCCLXXXII. INDICTIONE IIII.

Exoriens aestas ubi primum gramine pulcro 782
Vestierat terras poteratque exercitus apte
Educi, quoniam molles animalibus herbae
Dultia praebuerant florentis pabula foeni,
Innumeris fultus populis et milite claro,
Saxonum rursus rex inclitus in regionem
Venit; et ad fontes fluvii, cui Lyppia nomen,
Conventum fieri procerum iussit generalem.
Illic, disponens complura negotia regni,
Danorum regis Sigifridi nomine missos,
Et quos Iugurgus pariterque Caganus ad ipsum
Hunorum misere duces pro pace petenda,
Audiit absolvitque, datis prudenter eisdem
Responsis. Post haec Renum traiecerat amnem,
Gallica seque dehinc rex magnus in arva recepit.
  Interea patriae quondam Widukindus ab oris
Qui fuerat profugus Normanorumque[b] petivit
Auxilium, rediens vana spe sollicitabat
Saxones, initum cum Francis rumpere foedus
Ut conarentur; multosque vocavit in arma
E populo fecitque novum consurgere bellum.
  Gens quoque Sclavorum, Sorabi cognomine dicta,
Audacter sumtis subito praeruperat armis,
Vicinas sibi Saxonum terras populando
Atque Thuringorum fecundos frugibus agros.
Qui medias Sorabi terras camposque iacentes
Inhabitant inter fluvios; hinc volvitur amnis,

a. *Sequuntur in codice, omnes qui leguntur infra anni* 783 *versus* 101—180; *quos iam Reineccius illo reduxit.* b. normanorū *c.*

782 Qui Sala nomen habet[a], fluit Albia latior inde.
Ast ubi Sclavorum Carolo sunt cognita gesta,
Protinus illorum reprimendos censuit ausus
Arcendosque sui regni de finibus hostes.
Unde palatinis ad se tribus ipse vocatis
Principibus, quorum fuerat camerarius unus
Regis Adalgisus, Geilo[b] stabuli comes alter,
Ductores exercituum fore iussit eosdem;
Quos orientali Francorum de regione
Collectos contra Sclavos praeceperat ire;
Nec non Saxones, sibi quos parere iubebat,
Auxilio fieri ducibus mandaverat ipsis.
Sed cum legati per eorum ducere terras
Agmina coepissent — nam sic invadere Sclavos
Tramite debuerant recto — fit protinus ipsis
Cognita iam dictae grandis defectio gentis.
Ob hoc iter coeptum flectunt; primo cupientes
Saxones, numero freti, prosternere bello.
Quod, nimis incaute coeptum pariterque superbę,
Francorum misera fuerat cum clade peractum.
Namque duces, ubi compererant, quod se Widukindus
Ad pugnam multa stipatus plebe parasset
Et iuxta montem Suntal sua castra locasset,
Illuc infestis properarunt ilico signis;
Ad praedam pocius quam pugnam semet ituros
Sperantes, ipsam patriam rex ipse quotannis
Cum prius inpugnans vires exhauserit eius;
Immemores morum gentis simul ingeniique[c],
Quod tanto varia plus nititur arte doloque,
Quo premitur bellis, et victa quiescere nescit,
Vindictae rediviva parans conamina semper.
Ergo palatinis ducibus properantibus ad se,
Saxones, atie longo satis ordine structa,
Pro castris occurrerunt. Ibi protinus atrox

a. habuit *c.* b. Gilo *c.* c. ingenii *c.*

Conseritur fundens ingentem pugna cruorem, 782
Francorumque truci proceres sunt cede necati,
Interfectus Adalgisus pariter quoque Geillo[a],
Regis legati, praeclari quattuor illic
Extincti comites cum viginti venerandis
Nobilibusque viris aliis ac[1] clade peremptis.
At reliquus bello populus consumptus in illo
Censeri numero nequid[b]. Altum denique montem,
Qui vicinus erat, fugiens paucissima turma
Expetiit; silvisque latens evaserat hostem.
   Nuncius haec tristis narraverat omnia regi.
Ille, suis exercitibus festinus in unum
Collectis, statim Saxonica venit in arva[c].
Quem cum primores eiusdem gentis adissent,
Illud se facinus[d] non commisisse probantes,
Et rex auctores facti perquireret, una
Esse reum[e] clamant Widukindum criminis huius,
Et quos hortatu proprio sibi consotiavit.
Nec potuit tradi, quia rursus contulerat se
Ad Northmannorum patriam post proelia gesta.
Tradita sunt sane reliquorum bis duo regi[f]
Milia quingentique viri, qui tam grave bellum
Illius contra Francos gessere suasu.
Hosque die cunctos rex decollaverat una
Iuxta Alaram fluvium; locus idem Ferdi[g] vocatur.
Hac ubi vindicta regum clarissimus acta
Ad propriam rediit villam Theodone vocatam.

(ANNO DCCLXXXIII. INDICTIONE V)

. . . .

Gloria, certabat, sibi ne consueta periret; 783
Alter, iam nullam statuens sperare salutem,

a. *Versum:* Interfectus — Geillo, *qui in cod. post versum* 83 *legitur, huc retulit Pertzius.* b. neqıd. c. in arva *scripsi pro* harena *cod.* Cf. supra v. 27. d. facinus *addidi.* Cf. Annales Einharto ascripti 782: „tantum facinus peregerunt". e. reum *addidit Reineccius.* f. bis duo gesta *c.; scripsi:* bis duo regi. g. fer di *c.*

1. hac.

783 In ferrum prisca pro libertate ruebat.
Sed tandem Carolus, divino munere victor,
Caesis innumeris, reliquos exinde fugavit.
Transierantque dies pauci, cum rursus eodem
Comperit in populo repetitum surgere bellum,
Scilicet in Westfalhorum regione gregatis
Pluribus in ripa fluvii, Hasa nomen[a] habentis.
Qui, victi totiens, atie confligere rursus
Audebant, animi plus quam virtutis habentes[b].
Pergere rex ad quos meditans, sociosque recensens,
Repperit, in pugna plures cecidisse priori,
Aegros vulneribus multos ibi forte receptos.
Sed subito novus ex Francis exercitus illi
Advenit; cunctisque suis legionibus auctis,
Ad debellandos studuit properare rebelles.
Qua dux egregie prudens dum cuncta parasset[c],
Virtutem, sicut solet, est fortuna secuta.
Saxones iterum caesi longeque fugati,
Abductus captivorum numerus fuit ingens.
Inde plagas orientales rex victor adivit,
Omnia quam late ferro populatus et igni,
Donec ad fluvium, qui dicitur Albia, venit.
Post haec ad patriam rediit; tunc est sociata
Regali thalamo coniunx Fastrada vocata,
Filia Radolfi comitis, sata germine claro.
Hibernas in Eristalli tum duxerat horas
Atque dies, quibus hunc nascens moriensque redemptor
Salvavit mundum, voto celebraverat almo.

ANNO DCCLXXXIIII. INDICTIONE VI.

784 Reliquias belli tandem fortissimus heros
Consummare volens, tanto quod tempore gestum

a. nom̄ *c.*

b. *Hi tres versus in codice sic habentur:*
Pluribus in ripa fluvii Hasa nomen rursus
Audebant animi plus quam virtutis habentes
Qui victi totiens atie confligere habentis.

c. paresset *c.*

Saxonum cum[a] gente fuit, numerosa virorum 784
Milia lectorum terris induxit eorum.
Ac primum, Rheni transgressus[b] fluminis undam
Vastabat pagos Westvalorum regionis;
Venit et ad Wisuram, locus est ubi dictus Uculbi.
Inde Thuringorum per agros iter egerat[c]. Atque
Saxonum campos, quos[d] Albia vel Sala tangunt
Amnes vicini, lustrans, villas ibi plures
Tradiderat flammis, donec pervenit ad illum,
Qui veteri locus est Scannigi nomine dictus.
Hinc in Warmatiam rediens se contulit urbem.
  Filius interea regis, qui par genitori
Indole mentis erat, tum nomine dictus eodem,
Cum patriis exercitibus, quos ipse regebat,
In Westvalorum pago cognomine Dreini
Eiusdem populi turbas ad bella paratas
Offendens, statim certamine vicit equestri;
Victor et ad patrem iam dicta venit in urbe.
  Qui, valida comitante manu, Saxonica statim
Arva petens, iuxta fluvium consederat Ambram,
Est ubi castellum, quod Skideronburg vocitatur.
In castris ibidem votis sollempnibus actis
Natalis Domini, processit ad hostia Warnae,
Qua fluit in Wisuram. Nec iam fuit ulla facultas
Longius ad boream, sicut cupiebat, eundi;
Temporis obstabat simul asperitas hiemalis
Atque iugis pluviae casus[e] vehementer inundans.
Ob hoc in Eresburg rediens[f] se contulit urbem.

ANNO DCCLXXXV. INDICTIONE VII.

Cumque dies reliquos brumalis frigoris illic 785
Ipse manere suum decrevisset comitatum,
Accersivit eo propriam cum coniuge prolem.
Cum quibus, ut decuit, fido firmoque relicto

a. cum *om. c.* b. transgressus *scripsit Pertzius pro* trans *c.* c. ægerat *c.* d. qos *c.* e. cursus *c.* f. residens *c.*

785 Praesidio, iuvenes animis ac viribus acres
Assumpsit secum, latęque vagatus in omnes
Illius regionis agros sed et oppida quoque[a],
Cuncta simul flammis spoliis ac cede feroci[b]
Miscuerat; cupiens animos, quos sepe rebelles
Expertus fuerat, tali prosternere clade.
Hec lugubris hiems illi funestaque genti
Cum tandem finita foret, vernalis et aura
Iocundum spirans ornaret floribus arva,
Publicus in Padarbrunnon conventus habetur.
Quo rex insignis sollempni more peracto,
In pagum quendam, vocitat[c] quem barbara lingua
Berdango, celeri studuit se tramite ferrę.
Tunc ibi compererat, Widokindum iam memoratum
Abbonemque simul, qui de maioribus eius
Gentis erant, memores scelerum latitare suorum
Finibus in patriis, quos sepserat ad borealem
Albia lata plagam iuxta confinia terrae
Danorum. Primo[d] mittens de civibus ipsis
Legatos, ortatur eos, quo flectere tandem
Colla sibi fideique suae se credere vellent,
Commissi veniam nec non et praemia spondens.
Conscia sed magni dubitarunt corda reatus
His de promissis; donec firmata salutis
Spes est, obsidibus missis, quos expetierunt.
Quos ut Amulwinus, quidam vernaculus aulae
Eius, adduxit, properarunt protinus ambo
Ad regem; iam tunc fuerat qui forte reversus
Ad villam propriam, que dicitur Attiniacus.
Hic idem proceres sacri baptismatis unda
Perfusi, tandem regi mansere fideles
Ipsaque gens aliquot requieverat inde per annos.

a. q̊q *c.* b. feroti *c.* c. vocitat *in cod. secunda manu post* lingua *positum est.* d. primo *addidit Pertzius ex annalibus Einharto ascriptis* 785: „primo eis per Saxones — suadere coepit“.

Interea quidam coniuravere[a] maligni, 785
Ut dirum facinus scelerato corde patrarent,
Vel[b] ferro regem vel qualibet arte necando.
Criminis incentor Hardradus tunc comes huius
Extiterat. Sed ut indicio delata fideli
Factio[c] seva fuit, statim sedata quievit;
Ingens valde foret licet et nimis acriter orta.
Auctores eius privari lumine quosdam,
Exilio reliquos dampnari iusserat ipse
Rex summe prudens; cuius clementia nulli
Reddiderat dignam tanto pro crimine poenam.

ANNO DCCLXXXVI. INDICTIONE VIII.

Magni decreto Caroli sacrique senatus 786
Missus in occiduas exercitus exiit horas,
Subdere Brettones, gentem tunc forte rebellem;
Insula cuius erat fecunda Britannia dudum
Patria. Namque illic habitabat tempore multo;
Cumque novas Angli sedes sibi quaerere vellent
Saxonesque simul hanc invasere feroces,
Expulsi statim veteres cessere coloni;
Maxima pars quorum fugiens mare transiit atque,
Gallia[d] qua fines habet extremos, ibi tandem,
Fluctibus oceani que proxima viderat, arva
Detinuit; quibus in terris huc usque moratur,
Indicium patriae solo dans nomine priscae.
Haec a principibus Francorum gens superata,
Solvere vectigal, quamvis invita, solebat.
Cum temptaret eo dominorum tempore iussa
Spernere, directus multis cum milibus illuc,
Dux Audulfus eam celeri virtute repressit;
Et satis edomuit populi fera corda rebellis.
Tum, regis regum Christi pietate iuvante,
Disposito Carolus regno placidaque per orbem

a. quidā cū coniuravere *c.* b. Ut *c.* c. *in margine* consilium *additum est.* d. Callia *c.*

786 Undique pace data statuit Romam proficisci
Nec non Italiae reliquam sibi subdere partem;
Cuius erat victum caput et pars maxima, capto
Iam Desiderio Langobardisque subactis.
Ducatus Beneventanae tantum regionis
Non illi subiectus erat, cui praefuit illo
Tempore dux Aragisus. Eum tunc aggrediendi
Accensus studio, partesque profectus in illas,
Accelerabat iter; quem non tardare valebat
Vel glacialis hiems, solitis iam mensibus instans,
Vel via terribiles visu scandenda per Alpes
Montibus in summis, ubi tectae nubibus atris
Ac nive perpetua rupes ad sidera surgunt.
Transcensis quibus, Italicas intraverat urbes.
Ex quibus est quedam Florentia nomine dicta,
In qua, virginei partus florem veneratus,
Christi sanctificum supplex celebraverat ortum.
Inde cito Romam cursu penetrare sategit.

Quo, cum suscepti tractans molimina belli
Parvum transigeret tempus, cupiens Aragisus
Hunc auro quem non potuit depellere ferro,
Per natum misit proprium quam maxima dona,
Suppliciter pacem rogitans. Sed rex, sibi longe
De rebus ceptis aliter ratus esse gerendum,
Qua prebet latos Campania fertilis agros,
Illuc progressus, Capua consedit in urbe;
Gesturus statim bellum, nisi dux memoratus
Prudenti sibimet facto bene consuluisset.
Nam primo firma se clausit in urbe Salerno;
Tum natos utrosque suos, quorum vocitatus
Rumoldus maior fuerat Grimoldus et alter,
Missis legatis regi contradidit, ac se
Ipsius imperiis subiectum mente fideli
Mansurum populumque suum promiserat omnem.
Talibus oblatis, Caroli requieverat ardor.

Precipuęque Deum metuens, ne christicolarum 786
Sanguinis effusi post haec reus ipse maneret,
Abstinuit bello, non iam curans latitantem
Expugnare ducem. Nec non et filius ipsi
Concessus maior; minor est detentus, ut obses
Esset apud regem. Beneventanus quoque cunctus
Dedere se populus non distulit; obsidibusque
Undenis pro pace datis, hoc deditionis
Confirmans foedus, per sacramenta spopondit,
Ut Francis rerum dominis[1] serviret in aevum.
  Tunc Romam regressus ovans, ibi pectore laeto
Maxima pascalis celebravit gaudia festi.

ANNO DCCLXXXVII. INDICTIONE VIIII.

Adhuc Romulea dum rex mansisset in urbe, 787
Tassilo legatos Adrianum misit ad almum
Pontificem, quorum fuit Arnus[a] episcopus unus,
Abbas alter erat Hunricus nomine dictus;
Obnixe rogitans, idem mediator ut esset
Inter se et Carolum pacis fideique sequester[b].
Hoc antistes apostolicus ratus esse decorum,
Ut Petri de sede sacra concordia pacis
Restaurata daret ducibus populisque quietem,
Instanter regem petiit, deponere cunctas
Corde simultates. Ad que cum mente benigna
Annueret, ducis ab missis inquirere coepit,
Pactio quo presens esset firmanda tenore.
Legati nihil iniunctum de re sibi tali,
Sed domino responsa suo, quae rex daret et quae
Praesul apostolicus, tantum referenda fatentur.
Quapropter tamquam fallacia fraudeque plena
Papa sacratus eos sprevit mandata ferentes;
Damnandos etiam statuens anathemate diro,
Promissae dudum fidei si rumpere foedus

a. amus *c.*   b. *in margine ad* sequester *appositum est:* grieduuard.
1. V. Virg. Aen. I 282.

787 Temptarent, quod cum Carolo pepigere volentes.
Sicque relinquentes infecta negotia pacis,
Ad patriam rediere suam. Rex, his quoque gestis,
Francorum laetus remeaverat in regionem.
Conciliumque dehinc procerum generale suorum
Intra Wormaciae[a] muros collegit; et illic
Decrevit, certo quo disceret experimento,
Utrumnam sibimet memoratus Tassilo vellet
Iuratam servare fidem subiectus et esse.
Unde suo populos regno perduxit[b] ad ipsa[c]
Fortia castra nimis, ternis in partibus omnes[d]
Disponens, Baioarii quo tanta paverent
Agmina; nam terrore magis quam sanguine fuso
Christicolae voluit plebis superare tumorem.
Pippinus, regis natus, cum milite multo
Italicis illuc fultus legionibus ibat,
Perque Tredentinam sua duxerat agmina vallem.
Ast orientalis quos haec in proelia misit
Francia, Saxones etiam tum signa sequentes
Regia, sic iussi, quendam Pheringa vocatum
Armati petiere locum prope litora magni
Danubii, prisco qui nomine dicitur Hister.
Ipse super Lecchum, certus qui terminus amnis
Est inter Baioarios nec non Alamannos,
Urbis ad Augustae confinia castra locavit.
Stipatusque manu valida, cum Norica regna,
Tassilo quae tenuit, ferro prosternere vellet,
Undique dux idem, circumsessum[e] fore sese
Conspiciens, supplex adiit vestigia regis,
Devotis vitam precibus veniamque precatus.
Qui quia natura fuerat mitissimus, illi,
Quem penitus[f] victum vidit humilemque, pepercit.
Foedera prisca tamen rursus Baioariorum

a. uurmacię *c.* b. *an* produxit? c. omnes *c.; cf. v.* 806. d. ipsa *c.*
e. *in margine ad* circumsessum *additum est* bisetenne. f. poenitus *c.*

Firmantur, populo per sacramenta coacto, 787
Perpetuam spondere fidem seu subditionem.
Preterea regi duodenus traditur obses[a].
  Regressusque dehinc, hiberno tempore toto
Mansit in Ingulenheim, sedes ubi regia fulget.

ANNO DCCLXXXVIII. INDICTIONE X.

Cum rex in villa fieri iussisset eadem 788
Conventum procerum sollempni more suorum,
Cum reliquis etiam fuit illic Tassilo praesens.
Quem proprius quondam populus, cui praefuit ipse,
Criminibus magnis maiestatisque reatu
Accusans, regis merito commoverat iram;
Obiciens primo, quod, foedere deditionis
Neglecto, quo subiectum seu pectore fidum
Se fore iuravit, donis crebroque rogatu
Instigans Hunos Francis ita fecerat[b] hostes,
Ut vellent sumptis vastare ferociter armis
Illorum fines Carolumque lacessere bello.
Eius, ut hoc faceret, Leutberga suaserat uxor;
Quae, Desiderii fuerat quia filia regis,
Post patris exilium Francis inimica manebat,
Femineique gerens odii sub pectore flammas,
Mittere iam populos in summa pericula pravo
Consilio studuit; non curans, sanguine quanto
Humani generis fuso, quot utrimque perirent
Milia, dum tantum, Francis inferre labores
Bellorum satagens nec non dispendia rerum,
Ulcisci patrem tali ratione valeret.
Praeterea dictis seu factis pluribus illi
Obiectis, quibus indicio clarebat aperto,
Quod violata fides esset, quod foedere spreto
Tassilo molitus fuerit contraria regi,
Ipse nihil horum vel coeperat inficiari
Vel poterat; sed convictus noxae, capitali

a. *in margine* gisl *additum est.* b. fecerit *c.*

788 Dampnatur poena. Merito sic evenit illi,
Consilium quisquis fuerit muliebre secutus.
At regis pietas dampnatum protinus illum
Absolvit, retrahens ipso de limine mortis;
Et factum monachum servare monasteriale
Propositum iussit. Iuvenis quoque natus ab illo,
Nomen habens Theodo, genitoris facta secutus,
Contemplativae susceperat otia vitae.
At vero Huni, studiis gens aspera belli,
Praefato promissa duci complere studentes,
Instructis exercitibus coepere duobus
Francorum regni fines invadere quosdam.
Italiae partes unum penetraverat agmen;
Quaque Foro nomen dederas, clarissime Iuli,
Urbis ad eiusdem confinia venerat hostis.
Invasit Baioarios exercitus alter.
Sed frustra; totus quoniam conatus inanis
Is fuerat, victique loco ceduntur utroque.
His quoque temporibus Grecorum nobile rexit
Imperium Constantinus, qui, splendidus ortu,
Debitus augustis patribus successerat heres.
Qui iam preterito missis oraverat anno
Legatis, ut se generum dignantis habere
Susciperet natam Caroli sibi consociandam
Foedere coniugii; sed spes frustrata petentum
More leves solito Grecos commovit in iram.
Hinc dedit augusto pariter sua curia tale
Consilium, penitus quo non pateretur inultum,
Quod rex contempsit Carolus praestare petitos
Virginis amplexus illi, cui summa potestas
Mortalem vix esse parem permitteret ullum.
Ob hoc praefecto, cui procurare Sicanas
Officium fuerat regiones, nomine dicto
Theodoro, iunctis ducibus quoque pluribus illi,
Hoc opus edicto mandaverat imperiali:

Ut sibi contiguas vastaret protinus horas 788
Regni Francorum, sic incentiva moveri
Disponens belli generalis suscipiendi.
Sed cum primores Grai, sibi iussa secuti,
Hesperium litus forti cum classe petissent,
Ut Beneventane villas regionis et urbes
Depopularentur ferro flammaque voraci,
Occurrere duces Caroli, quibus illa tueri
Cura fuit loca. Praecipue Grimoldus, in ipso
Dux anno factus patre pro defuncto Aragiso,
Nec non Spoleti rector cum milite multo
Hildibrandus ad hoc bellum properabat agendum.
Cumque novos hostes, opibus numeroque potentes,
Ignotos lingua celebris iam fama referret
Adventasse, maris traiecto gurgite vasto,
Urbibus Italicis ex pluribus arma suasit
Obvia ferre viros coniunctis viribus omnes,
Ut sibi consulerent, praedonibus inde repulsis.
Quo motu prorsus concussa Calabria tota
Vix umquam fertur similes spectasse[a] tumultus.
In qua conseritur pugne certamen utrimque;
Ingenti studio sumit pars iusta tropheum.
Cedit Achiva cohors, Danaum dant terga phalanges;
Grecorum quoniam semper gens, strenua lingua,
Pigra manu, tantum facilis solet esse movendis,
Sed bene tractandis haud extat idonea bellis.
Victores igitur Caroli rediere fideles.
Hostibus innumeris caesis, praeda quoque multa
Et captivorum turba sua castra replentes,
Absque gravi dampno magnum cepere triumphum.
Tum Baioariam se contulit in regionem
Rex Carolus; cunctisque suis cum finibus ipsam
Disponens, commendavit rectoribus aptis.
Et rediens in Aquisgrani, quam condidit ipse,

a. spectasse *scripsi pro* suspecta *c.*

788 Aulam magnificam sibimet, gratissima festa
Natalis Domini sanctum quoque pascha peregit.

ANNO DCCLXXXVIIII. INDICTIONE XI.

789 Gens est Sclavorum, Wilti cognomine dicta,
Proxima litoribus que possidet arva supremis,
Iungit ubi oceano proprios Germania fines.
Haec Francis inimica nimis cum tempore multo
Esset, eis vel subiectos vel foedere iunctos
Sclavorum populos sibimet regione propinquos
Insectans odiis, bello quoque sepe premebat.
Nec potuit tolerare diu hoc inclitus archos;
Sed populis secum variis legioneque multa
Assumpta, gentem studuit penetrare procacem.
Cui per Saxonum terras iter istud agenti
Albia traiciendus erat, latissimus amnis.
Illic immensum, positis in litore castris,
Est opus aggressus, celeri quod fine peregit;
Nam gemino stravit quam maxima ponte fluenta,
Et caput ipsius vallo munivit utrumque,
Imponens et praesidium, ne forte regresso
Quis prohibere viam super alto flumine stratam,
Lignorum rupta fragili compage, valeret.
Exin Wiltorum terras invaserat, amne
Transmisso. Quas[a] cum ferro vastaret et igni,
Barbaricum subito domuit terrore tumorem.
Denique Francorum multis ubi castra referta
Conspiciunt populis Wilti, fortissima quamvis
Gens foret et numero pollens, certamina belli
Omnimodis fugiens, se dedidit ilico regi;
In primis rex Dragawiti, quem nobile clarum
Prae reliquis fecit genus et maturior aetas.
Namque propinquaret cum rex illius ad urbem,
Obvius ipse suo pariter processerat omni
Cum populo, Caroli sese tradens dicioni.

a. quā *c.*

Sic quoque cum ducibus gens et primoribus illa 789
Cuncta suis, servituram se mente fideli
Francorum dominis, dans iuramenta spopondit.
Tum rex obsidibus, quos iusserat, ipse receptis
Et simul hoc populo tali ratione subacto,
Tramite, quo venit, memoratum rursus ad amnem
Felici cursu rediit. Cunctisque reductis
Per pontem propriis legionibus, ipse reversus,
Wormatia tempus hiemis transegit in urbe.

ANNO DCCXC. INDICTIONE XII.

Hic modo, Musa, novam Caroli deprome quietem. 790
Est hic primus enim, postquam regnaverat, annus,
Quo non cum propriis foret in longinqua profectus
Militibus, seu diversos ut sterneret hostes
Aut aliis quoque pro causis ac rebus agendis.
Cui cum Wormatiae[a] tandem residere liceret,
Illic Hunorum missos audivit; ad illos
Ipse suos etiam misit. Nam maxima causa
Hos inter populos litem commovit atrocem:
Dum, quo regnorum confinia certa suorum
Esse loco veteri deberent iure[b] statuta,
Ingenti studio disceptaretur utrimque.
Haec et origo fuit belli, quod posteriori
Tempore cum Hunis Franci gessisse probantur.
Sed rex, nec spatium torpere per otia parvum
Dignatus, semper sed strenuus indole mentis,
Est aggressus iter Moinum navale per amnem;
Ascenditque per hunc, donec prope moenia venit
Magna palatinae sedis, Salt nomine dicta,
Nascenti vicina Salae. Nam fluminis huius
Rivus adhuc modicus haec ipsa palatia cingit,
Vix raucum per saxa ciens resonantia murmur.
Dispositis ibi rebus, aqua redeundo secunda
Wormatiam petiit. Qua cum per tempora brumae

a. uuormatia *c.* b. iurae *c.*

790 Mansisset, subito regales funditus aedes
Illic constructas noctu consumpserat ignis.
Ipse, redemptoris nati passique sacrata
Festa gerens, ibidem veris transegerat[a] ortum;
Expectans, vestita foret dum gramine tellus,
Fronderent silvae, possent et sole sereno
Educi de[b] diversis regionibus apte
Ad bellum gentes variae populique vocati[c].
Namque novum rursus voluit certamen inire,
Atque labore gravi modicam mutare quietem.

LIBER TERTIUS[d].

(ANNO DCCXCI. INDICTIONE XIII)

791 Aurea siderei transcendere cornua tauri
Fulgentesque polo iam sol intrare Lacones[e]
Coeperat, et gelidis breviatae noctibus umbrae
Auraque productae spatio iucunda diei
Florenti semper[f] studiis animoque vigenti
Dant gratum Carolo tempus, quo viribus uti
Posset et ad bellum proprias educere turmas.
Qui post annorum centena volumina cursu
Septeno transacta, decem quoque circiter annis
Emensis novies, postquam Deus est homo natus,
Hoc fuit aggressus Hunos certamine primo.
Nec sibi cunctandum ratus est, quin redderet illis
Quam meruere vicem; veteris hoc denique causae
Poscebant odii. Nam gens dum floruit illa,
Innumeris dominans aliis quas subdidit armis,
Tum Francis inferre malum persepe solebant.
Sic veteres memorare solent: quod funditus olim
Illorum terras immani caede furentes

a. tansegerat *c.* b. Educi de *scripsi pro* Et cęde *c.* c. vocati *in cod. corr. est in* vocari. d. LIBER TERTIUS *addidi. In codice leguntur haec:* ANNALIUM DE GESTIS CAROLI MAGNI IMPERATORIS LIBER SECUNDUS EXPLICIT. INCIPIT III. e. Laconas *c., ubi in margine* geminos *additum est.* f. Florentis ē. p *corr. est in cod. in* Floren s ē.

Vastarint, dederintque voracibus omnia flammis, 791
Oppida, rura, domos, urbes, coenobia, villas.
Nam furor hostilis voluit nec parcere sacris
Aedibus; et regno vix una remansit in illo,
Mettenses intra muros constructa decenter,
Ecclesia Stephani, martyr qui primus habetur.
Denique continuis Francos compluribus annis
Sic impugnabant Huni, rex donec eorum
Attila[a], multorum totiens victor populorum,
Feminea periit dextra sub Tartara trusus.
Namque ferunt, quod eum vino somnoque gravatum,
Cum nox omnigenis animantibus alta quietem
Suggereret[b], coeptis crudelibus effera coniunx,
Ducens insomnes odiis stimulantibus umbras,
Horrendo regem regina peremerit ausu.
Ulta necem proprii tamen est hoc crimine patris.
Hoc res Hunorum tristi velut omine lapsa
Post rediit retro; nec prosperitate priori
Sunt post haec usi. Prius oppressere profani
Christicolas Francos antiqui temporis aevo,
Castigante Deo caros sibi more benigno.
  Ergo patrum cladis nota mansit inusta nepotum
Pectoribus, servans irae monimenta vetuste.
Tum nova praeterea de causis orta simultas
Iam dictis animum Caroli commovit: ut illos
Francorum totis cum viribus aggrederetur.
Protinus edicto producitur imperiali
Ex cunctis ingens populis exercitus illi
Subiectis; et cunctarum validissima rerum
Copia, quas tanti belli instrumenta gerendi
Poscebant vigili[c] cura studioque paratur.
Sed numerosa nimis quoniam produxerat ex hoc
Agmina, per partes eadem seiunxerat[d]; ac sic

a. Attilo *c.* b. *in margine additum est* scunde. c. virili *c.* d. *in margine additum est* secernerat.

791 Pannoniam, gens Hunorum quam seva tenebat,
Tramite distantem longo penetrare sategit.
Tunc unam populi partem comiti Theodrico
Atque Magenfrido, ducibus hoc tempore primis,
Committens, aquilonales per fluminis horas
Danubii praecepit eos iter accelerare.
Ipse per australis tendebat litoris agros,
Milibus innumeris stipatus et agmine forti.
In medio fluvius cunctis alimenta vehebat
Agminibus, regis speciosa classe repletus.
Quam Baioariis fuit ingens cura tueri;
Ipsos in ratibus descendere quippe secunda
Iussit aqua. Sic ad fluvium rex venit Anesum,
Qui medius Baioarios seiungit[a] et Hunos.
Hunc iuxta positis per prata virentia castris,
Communi voto ternis statuere diebus
Suppliciter celebrare preces ac pectore toto
Auxilium regis regum deposcere Christi:
Ut coeptis pius annueret, quo cuncta darentur
Prospera tot populis in tam longinqua profectis,
Munitis signo fidei; contraque nefandos
Gentiles felix fieret certamen agendum.
Atque dehinc motis memoratae proelia castris
Intulerat genti, cuius munimina statim
Pulsis praesidiis destruxerat; ex quibus unum
Non operis parvi Cambus praeterfluit amnis,
Atque super dictum Cumberg munitio montem
Altera pregrandi fuerat circumdata vallo.
Destructis utrisque tamen cum robore forti
Aequatisque solo, ferro vastabat et igni
Hostiles late terras; ad ostia donec
Perveniens Arrabonis, qua fertur in undas
Danubii, lassis ibidem statione locata
Militibus parvum dederat requiescere tempus.

a. secernit *in margine additum est.*

Sic ubi Pannoniae fuerat pars maxima late 791
Divitiis spoliata suis[a] ac tradita flammis,
Incolumem victor populum rex inde reduxit.
Cui fuit hostilis haec tota profectio plane
Prospera, res in ea nec contigit ulla moleste;
Excepto, quod tanta lues eius legionis,
Quam rex duxit, equos[b] morbo consumpsit atroci,
Ut decimam partem vix de tot milibus huius
Expertem cladis tradant[c] potuisse reduci.
Rex autem veniens[d] Reginum, quam Reganesburg
Nunc vocitant, ibidem natalis gaudia Christi
Cordeque sacratum[e] celebravit pascha fideli.

ANNO DCCXCII[f]. INDICTIONE XIIII.

Celsa Pyrenei supra iuga condita montis 792
Urbs est Orgellis, praesul cui nomine[g] Felix
Prefuit. Hic, heresim molitus condere pravam,
Dogmata tradebat fidei contraria sanctae;
Affirmans: Christus dominus, quia corpore sumpto
Est homo dignatus fieri, non proprius ex hoc
Sed quod adoptivus sit filius omnipotentis.
Responsumque Toletano dedit hoc Helipando
Pontifici, de re tanta consultus ab ipso;
Atque suum scriptis defendere dogma libellis
Omni quo potuit studio curavit et arte.
Hinc ad catholici deductus principis aulam —
Idem Regina[h] nam tum hiemabat in urbe —
A multis ibi presulibus synodoque frequenti
Est auditus et errorem docuisse nefandum
Convictus. Post haec Adriano mittitur almo,
Sedis apostolicae fuit hoc qui tempore praesul.
Quo praesente, Petri correctus in aede beati,
Pontificum coram sancto celebrique senatu

a. suis *om. c.* b. aequos *c.* c. diceb̄ *in margine appositum est.* d. veniens *addidit Reineccius.* e. sacramentum *corr. in* sacratum *c.* f. DCCCXCII *c.* g. nominæ *c.* h. *in margine additum est:* id est Reinesburg.

792 Dampnavit Felix prius infeliciter a se
Ortam perfidiae sectam; meruitque reverti
Ad propriae rursus retinendum sedis honorem.
At Baioaricis aestivum tempus in horis
Dum rex duxisset, suprema pericula poene
Incurrit; nisi quod pietas divina, resistens
Ausibus humanis, saevas everterat iras.
Horror inest animis, tales recolentibus ausus:
Quod fuerit rutilum Francorum tam prope lumen
Extinctum, facinus vel concepisse malignos
Tantum mente viros. Carolum nam tradere morti
Omnimodis satagunt; hinc coniuratio fertur
Inter Francorum proceres crudeliter acta.
Precipue regis maior de[a] sanguine cretus[b],
Sed plus nequitia morum quam degener ortu,
Auctorem sceleris demens se prebuit huius.
Non tamen hoc odium regem meruisse, vel ipse
Hostis iure queri poterat; regina sed atrox
Ac saevum gestans animi Fastrada tumorem
. . . .[c]
Insidiatores partim suspenderat illos
Informis loeti laqueus. Natoque pepercit[1]
Rex tantum proprio, tonsumque monasteriali
Proposito purgare scelus iussit meditatum.
In Baioarica vero regione moratus,
Instabat princeps navalem condere pontem,
Qui per Danubium bello prodesset agendo,
Quod contra saevos olim susceperat Hunos.
Hinc et natalem Domini celebraverat illic
Ipsius et merito clarissima festa triumpho,
Quo pariter vicit mortem mortisque ministrum.

a. maior de *scripsi pro* materno *cod.* V. Annales Einharto ascripti 792: „facta est contra illum coniuratio a filio suo maiore, nomine Pippino". Cf. Virg. Aen. IV 191: „Aenean, Troiano a sanguine cretum". b. *in margine* natus *additum est.* c. *hic versus aliquot excidisse patet.*

1. Cf. Einharti Vita Caroli c. 20 supra p. 528.

ANNO DCCXCIII. INDICTIONE XV.

Cum rex ad coeptum statuisset conficiendum 793
Belli certamen Hunos invadere rursus,
Comperit, extinctas Theodricus dux legiones
Quas per Fresonum pagum Hriustri vocitatum
Ducebat. Nam Saxonum periere dolosis
Insidiis captae Wisure prope litora pulchra[a].
Dissimulans igitur tanti infortunia dampni,
Intermisit[b] iter, quo disponebat adire
Pannonias et cum Hunis committere pugnam.
Interea suasere, sibi qui nota ferebant
Talia[1]: quod fluvios inter, Radantia quorum
Unus habet nomen sed et Alcmona dicitur alter,
Si fieret tantus — fossa tellure — paratus
Alveus, inductis ambos dum tangeret amnes
Gurgitibus, posset puppes ut ferre natantes,
In Rhenum de Danubio celer efficeretur
Et facilis cursus ratibus. Radantia namque
Se Moino[c], Moinus Rheno miscere probatur;
Alcmona Danubii rabidis illabitur undis.
Consilium credens igitur sibi dantibus istud,
Ipse locum princeps operi quem credidit aptum
Expetiit tanto; multis quoque milibus illuc
Conductis operatorum, simul omnia poene
Autumni studio consumpsit tempora casso.
Attamen in longum passus duo milia ducta
Fossa fuit, pedibus tercentum lata patebat.
Sed non perfectum poterat consistere prorsus
Hoc opus, assiduus quoniam nimis offuit imber
Et naturalis terram dissolverat humor;
Egestumque fuit quantum sudore diurno,
Rursus humi tantum rediit sub nocte relapsa.

a. pulchrae *c.* b. dimisit *est in margine appositum.* c. Se Moino *correctum est in cod. in:* Illic sq.

1. Annales Einharto ascripti 793: „qui id sibi compertum esse dicebant“.

793 Cumque lutum semper madidis incresceret arvis
Alveus et firmo constaret litore nusquam,
Ima petens inmensa palus per lubrica fluxit
Ac densum scrobibus caenum subsedit in altis.
Cum tamen in coepto persisteret ipse labore,
Hunc tristi tandem fama revocante reliquit.
Est totius enim subito defectio gentis
Saxonum rursus bellum narrata moventis.
Preterea Sarraceni permaxima damna
Intulerant; quedam regni confinia ferro
Vastantes, ducibus Francorum denique caesis,
Cum spoliis loetoque nimis rediere tropheo.
Tum rex, adversis commotus talibus, inde
Ad Francos rediit, natalis gaudia Christi
Devote celebrans Moini prope clara fluenta,
Qua locus insignis Kiliani martyris almi
Nomine seu meritis fulget. Sanctum quoque pascha
Est in Franconoford magno veneratus honore.

ANNO DCCXCIIII. INDICTIONE I.

794 Dira venenifere conatus semina sectae,
Quae Felix infelici male sparserat ausu,
Vellere de sacro Domini radicitus agro,
Catholicus princeps synodum celebrare vocatos
Undique pontifices iam dictam fecit ad aulam.
Nec non affuerat Stephanus cum Theophilacto;
Nam fuit antistes sedis legatus uterque
Romane, quos papa sacer mittens Adrianus
Rite suam servare vicem mandaverat illic.
Tunc igitur cuncti cum decreto generali
Hanc condemnarunt heresim; scriptusque libellus
Est illam contra, quem confirmaverat ille
Pontificum coetus simul et subscripserat omnis.
Annis praeterea synodum non pluribus ante
Constantinopoli celebrari fecit in urbe
Grecorum princeps, qui Constantinus habebat

Nomen, et eiusdem genetrix Herena vocata, 794
Et condixerunt, ut septima seu generalis
Appellaretur. Sed eam non nomine tali
Dignam concilium pariter cognoverat istud,
Utque supervacuam spernendam censuit esse[a].
  Tunc ibi regalis Fastrada migraverat uxor
Hac ex luce, diem tandem sortita supremum.
Cuius in Albani speciosa martyris aede,
Iuncta Mogontiacae fulget quae moenibus urbis,
Cum magno fecit sepeliri corpus honore.
  Atque dehinc Carolus, cunctis hoc ordine gestis,
Foedifragis[b] rursum Saxonibus intulit arma.
Ac geminis exercitibus decreverat ipsos
Instructis terrore simul ferroque domare;
Ut cito gens bellis succumberet una duobus,
Ex quibus haud unum pęnitus sufferre valeret.
Regis ab australi properabant agmina parte,
Saxonum miseras late vastantia terras;
Filius ipsius Carolus traiecerat undas
Rheni, quem comitabatur delecta iuventus,
Invadens ex occidua regione rebelles.
Quos statim terror merito pervaserat ingens.
Et magni quamvis campi per plana Sinothfeld
Collecti pugnaque forent certare parati,
Hoc animi cecidere metu; nec spes erat illis
Ulla resistendi Francis, quos, tot populorum
Agminibus fultos, vinci non posse videbant.
Protinus omisso sese certamine belli
Subiciunt regi, iuramentis quoque firmant
Obsidibusque datis haec foedera deditionis.
  Ipse regressus Aquasgrani — sic regia sedes
Inclita nomen habet[c], nec non vocitatur Aquensis —
Illic more suo celebravit tempora sancta,

a. iste *c.* b. *in margine legitur:* infidelibus. c. habet *om. c.*

794 In quibus est unita Deo substantia nostra
Morsque redemptoris mundum reparaverat omnem.

ANNO DCCXCV. INDICTIONE II.

795 Cum nimium suspecta foret gens facta rebellis
Saxonum totiens, crebro quoque foedere rupto
Sub iusta regis ditione quiescere nolens,
Haud ullum respirandi dare censuit illi
Atque rebellandi spacium fortissimus archos.
Sed rursum terram populans hostiliter ipsam,
Eius in extremo tandem prope limite castris
Consedit positis, vicus qua nobilis extat,
Nomine Bardonwich dictus; quo iusserat ad se
Pergere Sclavorum proceres sibi foedere iunctos.
Illic adventum quorum dum forte maneret
Operiens[a], ex his extinctum comperit unum.
Rex Abodritorum fuit is, cognomine Witzun;
Iussus et ut fuerat, regem dum vellet adire,
Incidit insidias, illi quas ante pararunt
Saxones; quoniam Francis novere fidelem.
Hinc irae stimulis animo commotus amaris,
Eiusdem regionis agros villasque feroci
Quam late ferro populari iussit et igni.
Tunc ex Hunorum quidam primoribus illuc,
Tudun habens nomen, venit[1] per[b] longa viarum;
Velle fatebatur regi qui subdere sese
Et Christo domino devota credere mente.
Hinc in Aquasgrani Carolus remeaverat aulam
Ac memorata prius supplex ibi festa peregit.

ANNO DCCXCVI. INDICTIONE III.

796 Sedis apostolicae sublimis culmine praesul
Hoc Adrianus ab hac vita decesserat anno.
Post quem sortitus summum Leo pontificatum

a. *superscriptum est:* id est expectans. b. pro *c.*

1. Annales Einharto ascripti 795: „venerunt ad eum legati de Pannonia unius ex primoribus Hunorum, qui apud suos Thudun vocatur“.

Confestim claves, quibus est confessio sancti 796
Conservata Petri, vexillaque miserat urbis
Romuleae Carolo pariterque decentia dona.
Admonuitque piis precibus, quo mittere vellet
Ex propriis aliquos primoribus ac sibi plebem
Subdere Romanam, servandae foedera cogens
Hanc fidei sacramentis promittere magnis.
Missus ad hoc Angilbertus, qui corpore sancti
Richarii clare decoratam rexerat abbas
Ecclesiam; pariter regalia detulit illuc
Devote sancto misit que munera Petro.
Nam spoliata fuit Hunorum regia[a], Hringum
Quam vocitant. Hanc dux Erichus hoc ceperat anno;
Multimodos etiam regi devexerat inde
Thesauros, aevo quos collegere vetusto,
Innumeris crebro spoliatis gentibus, Huni.
Ex quibus est Romam tunc maxima copia missa;
De reliquo summos proceres aulaeque ministros
Multum larga manus ditavit principis omnes.
His gestis, iterum rex Saxonum regiones
Invadens late vastaverat. Atque reversus
Victor Aquisgrani brumali tempore mansit.
At dux Italiae Pippinus, regia proles,
Adiunctis Baioaricis legionibus illi,
Hunis intulerat bellum, sic patre iubente.
Cum quibus eventu certamina prospera laeto[b]
Trans fluvium Tizan gessit; cunctisque fugatis
Hostibus, a Francis Hunorum regia tota
Est aequata solo, quam Hringum diximus ante.
Cuius poene gazae gentis tunc funditus omnes,
Magnus erat quarum numerus, cunctaeque priorum
Diripiuntur opes regum; quas, depopulantes
Plures in variis sacras regionibus aedes,
Temporibus multis male congessisse feruntur.

a. regia *corr. in* regio *cod.* b. lato *c.*

796 Tunc quibus ablatis, tam clari iure triumphi
Ad patrem victor memorata venit in aula
Pippinus; regni cui thesauros spoliati
Attulit exuviasque ducum vexillaque capta.
  Cum quo iam dictus Tudun quoque venerat illuc,
Promissisque fidem propriis adhibere sategit;
Cum toto comitum numero baptisma suorum
Percipiens, etiam per sacramenta spopondit,
Se fore subiectum Francis fidumque per aevum.
Sed postquam rediit, mutans promissa fidemque,
Perfidiae luerat parvo post tempore poenas.
  At rex sollempni voto celebraverat illic
Tempora, quae Christus nascens moriensque sacravit.

ANNO DCCXCVII. INDICTIONE IIII.

797 Cum pulchro renitens ortu claresceret aestas,
Ad regem Sarracenus cognomine Zatus
Adveniens, a se pervasam reddidit urbem,
Barzinona cui nomen. Nam limite structa
Constat in Hispano, vario cogenteque casu
Nunc Sarracenis fuerat nunc subdita Francis;
Perque ducem tandem memoratum reddita, qui se
Sponte sua pariter Carolo permisit et urbem,
Francorum subiecta fuit post haec ditioni.
Inde suum gnatum Hludowicum nomine, regem
Tunc[a] Aquitanorum, direxit ad obsidionem
Oscae; nomen habet sic urbs Hispanica quedam.
  Ipseque more suo rursum Saxonibus arma
Intulit, auderent duras ne forte levare
Cervices iterum. Quorum vastaverat omnes
Extremos etiam fines, quos Albia claudit,
Et qua diffuso miscent se gurgite salsis
Fluctibus oceani Wisurae praeclara fluenta.
  Cumque rediret Aquisgrani, devotus adivit
Regis Abinmage Maurorum filius illum,

a. *sequitur* ad *in cod.*

Abdelle cui nomen erat. Quem rex ibi clemens 797
Cum suscepisset[a], collegerat inde senatum
Et, quo conficeret tandem Saxonica bella,
Consilium prudens iniit, quo tempore toto
Instantis brumae regione maneret in ipsa.
Ergo suo secum comitatu protinus omni
Assumpto, Wisurae positis in litore castris
Sedit; Heristellique locum iussit vocitari,
Hactenus hoc et habet nomen. Terramque per ipsam
Adductos secum populos diviserat, atque
Indigenas licet invitos dare compulit ipsis
Hibernas sedes simul et stipendia cunctis.
Huc ex Italia venit Pippinus ad ipsum;
Hispanis etiam rediens Hludowicus ab horis.
Hunorum quoque legati nec non Hadefonsi,
Asturiae regis, quam maxima dona ferentes,
Ex tam longinquis Carolum terris adierunt.
Hinc est in regnum proprium dimissus uterque
Regalis natus. Misit quoque cum Hludowico
Abdellam, qui post patriam deductus et illis
Est commissus, ad hoc quos tunc elegerat ipse
Et quorum fidei se credere non dubitavit.
Rex autem, residens in Saxonum regione
Prefatoque loco, sanctissima festa peregit,
In quibus indutus processit corpore Christus
Et posuit carnem moriens sumpsitque resurgens.

ANNO DCCXCVIII. INDICTIONE V.

Veris in initio facinus commiserat atrox 798
Saxonum populus quidam, quos claudit ab austro
Albia seiunctim positos aquilonis ad axem;
Hos Northalbingos patrio sermone vocamus.
Nam pro iustitia legali more gerenda
Cum rex legatos illuc transmitteret, ipsos
Impia foedifrage iugulavit[b] factio gentis.

a. suscipisset c. b. iugalavit c.

798 Cumque Godescalcus, regis legatus et ipse
Ante dies missus paucos ad regna tenentem
Danorum, Sigifridus erat cui nomen, in ipso
Tempore regrediens foret interceptus ab illis[a],
Auctores huius fuerant qui seditionis,
Pertulerat mortem pariter pro crimine nullo.
His rex commotus Wisuram properavit ad amnem
Inque loco, quem Munda vocant, sua castra locavit.
Atque necis legatorum iustissimus ultor,
In desertores irae laxavit habenas,
Vastari late sparsis legionibus illam
Precipiens terram. Tum sevus ubique furebat
Miles, ubique cruor rivis madefecerat arva,
Omnibus atque locis increverat horrida clades.
Vulnera, mors, luctus, clamor, fuga, flamma, rapinae,
Omnia complebant, donec conpescuit altis
Albia gurgitibus procedere longius arma.
At Northalbingi, missos inpune peremptos
A se cernentes Caroli — nam regia castra
Haud traiecerunt fluvium — superaddere magnos
Disponunt ausus. Abodritos denique, Francis
Qui tunc subiecti fuerant ac foedere iuncti,
Nisibus ex totis coepere lacescere bello.
Ast illis Abodritorum dux nomine Thasco,
Comperto tali motu, tulit obvia signa;
Consertaque loco pugna, quem Suentana dicunt,
Quattuor hostilis prostravit milia coetus
Ac victos fecit nimia cum clade reverti.
Cumque regressus Aquisgrani rex esset in aula,
Constantinopoli missos suscepit ab urbe
Legatos, augusta suis pro rebus ad ipsum
Quos misit Herena, prȩces ac dona ferentes.
Nam Constantinus, fuerat qui natus ab illa,
Cum foret inmensa morum gravis improbitate,

a. illis *scripsit Reineccius pro* hunis *c.*

A Grecis regni deiectus culmine, magnas 798
Nequitiae dederat privatus lumine poenas.
Unus erat missus Michael et presbiter alter
Theophilus; quibus est tandem poscentibus actum,
Ut magna regis pietate Sisinnius, olim
In bello captus, patriam dimissus abiret.
Is germanus erat praefate praesulis urbis,
Que caput imperii Grecorum nobile fulget.
His quoque dimissis, Hadefonsi regis ab horis
Hispanis venere viri, qui munera magno
Attulerant Carolo, renovantes foedus avitum,
Semper amicitia reges quod iunxerat ipsos.
Magna quibus dederat susceptis dona benigne,
Ac patriam tali laetos dimisit honore.
Insule invase Baleares esse feruntur
Hoc anno, quarum Maiorica dicitur una,
Altera nomen habet sermone Minorica prisco[1].
Has etenim Mauri devastavere pyrate.
At rex praefata tempus celebravit in aula,
Quo nasci voluit caeli terraeque creator,
Et quo mors mortis fuit infernumque momordit
Reddidit et nobis vitam de morte resurgens.

ANNO DCCXCVIIII. INDICTIONE VI.

O quam triste nefas mortalia pectora crebro 799
Concipiunt, quam precipiti summersa profundo
Nequitiae! Dum non leges non iura verentur,
Horrificos nimium caeci labuntur in actus.
Testis hic est annus, quo res indigna relatu
Crimine Romuleam saevo maculaverat urbem.
Nam sacer antistes, mundo venerabilis omni,
Civibus a propriis poenas Lęo sumpsit atroces.
Credidimus tormenta quidem cessasse piorum,
Iam dudum saevis tortoribus igne gehenne

1. imo non prisco. Annales Einharto ascripti 798: „quae nunc ab incolis earum Maiorica et Minorica vocitantur“.

799 Damnatis, quos, imperii dum sceptra tenerent[a],
Fecerat elatos inmensa potentia secli,
Martyribus cesis qui[b] implerunt sanguine Romam.
Nunc in pace novi sceleratis ausibus orti
Carnifices ibidem — longe licet inferiores
Iure potestatis, simili sed mente feroces —
Temporibus tantum scelus admisere modernis.
Indicto cum iustitio se, publica vota
Cum prȩcibus solvens, plebs castigare fidelis
Deberet pariterque suos purgare reatus[1],
Tum celebrare volens Christi mysteria cunctis
Pro sibi commissis, sollempni more sacerdos
Vectus equo, Lateranensi processit ab aula,
Ad tua Laurenti pergens sacra limina martyr;
Qua decus ecclesiae lectus modo ferreus auget,
Virtutis monimenta tuae clarissima praebens,
Quod superimpositus prunis contempseris ignes,
Corporis ardescens Christi magis intus amore.
Sed neque tale tuum meritum sedare furores
Hostiles potuit, quin, ad tua dum properaret
Antistes summus suffragia sancta petenda,
Insidias illi simul et tormenta pararent.
Cum celeraret iter, turba vallatus iniqua
Crudelesque manus tolerans, amiserat ipsum
Effossis oculis lumen; linguam quoque tortor
Praecidit; nudumque dehinc liquere iacentem
Seminecemque foris, foedatum sanguine multo.
Inque monasterium post haec deductus Herasmi
Martyris — auctores facti sic nempe iubebant —
Curandi specie fuerat servatus in ipso.
Donec cognoscens Wingisus res ita gestas,
Dux Spoletanus, Romam festinus adivit,

a. tenentes *c.* b. qui *addidi.*

1. sc. letaniis agendis. V. Annales Einharto ascripti: „Leo papa, cum letaniam processurus“ cet.

Nocteque sublato per murum praesule sacro, 799
In sua cum iustis deduxit honoribus ipsum.
Qui miserante Deo, transacto tempore pauco,
Amissum recipit visum pariterque loquelam;
Seu quia festinans tortor trepidansque nefandis,
Dum concurrentes metuit non talia turbas
Passuras sed velle suum defendere papam,
Non quantum voluit, crudelia facta peregit;
Seu, quod credendum magis est, antiqua redemptor
Per meritum magni renovans miracula Petri
Sanari successorem donaverat eius.
Haec Winigisus ut ad Caroli dux detulit aures,
Admonitus probitate viri summęque colendo
Ordine sedis apostolicae, rex iussit, ut ad se
Glorifico presul deductus honore veniret.
  Egit iter tamen ipse suum, decrevit ut ante,
Saxonum terras adiens; ibidemque locatis
Ad Pađarbrunnon multo cum milite castris,
Opperiebatur non parvo tempore summi
Praesulis adventum. Carolus quoque, regia proles,
A patre missus ad eiusdem confinia gentis
Perrexit, lato qua profluit Albia cursu,
Disponenda forent dum forte negotia quaedam
Cum Wiltis et Abodritis ac suscipiendi
Saxones aliqui[a], qui se de partibus illis
Iam delegerunt fidei committere regis.
  Haec satis egregie peragens dum cuncta moratus
Iunior esset in his Carolus, spectatque reversum
Dum videat natum patrio rex magnus amore,
Venit apostolicus, terrarum poene supremas
Iam penetrans horas. Illi via tanta peracta
Visa brevis fuerat; quia compensaverat omnes
Intuitu Caroli, quos pertulit ante, labores;
A quo cunctorum solamina digna malorum

a. aliqui *corr. in* aliquos *cod.*

799 Danda sibi merito spe certa credidit olim.
Namque propinquantem cum primum noverat, illi
Obvius ipse loco de castrorum memorato,
Stipatus multis populorum milibus, ibat.
Pontificemque vicem Petri, cui claudere caelos
Et reserare licet verbo, sedemque tenentem
Suscepit cum magnifico reverenter honore.
Cumque dies aliquot laetos ibi duceret, idem
Insinuans praesul sua quaeque negotia regi,
Illius facilem cognovit ad omnia mentem
Concedenda pie, voluit quaecumque prȩcari.
Inde reducendum digne primoribus illum
Francorum commendavit. Qui, iussa replentes,
Ingressi pariter Romam sua restituerunt
Omnia pontifici rursum, quo iura regendae
Sedis apostolicae iustosque teneret honores.
Et post discessum papae rex duxit eodem
Tempora pauca loco, subito cum tristis ad illum
Nuncius interitum procerum mortemque duorum
Detulit, insignes fecit quos maxima virtus.
Unus erat Baioariae comes isque vocatus
Geroldus; qui, cum, populum defendere Christi
Conatus, bello saevis obsisteret Hunis,
Finivit vitam fragilem sumpsitque perennem.
Italici vero fuerat dux limitis alter,
Nomen habens Erichus; qui post bene plurima gesta
Praelia, post crebro sumptos ex hoste triumphos,
Oppugnare Liburnorum contenderat urbem
Tharsaticam; civesque loci, quem robore semper
Invictum novere, dolis ac fraude necarunt.
At Carolus, quantum tempus permiserat illud,
Saxonum rebus certo moderamine cunctis
Dispositis, in Aquisgrani se contulit aulam.
Ad quem Wido comes, cui Brettonum regiones
Commissae fuerant gentis quam sepe rebellis,

Detulit arma ducum, proprio quae nomine quisque 799
Inscripto dederat; signum fore deditionis
Hoc statuere suae, Francis servire coacti.
Nam sociis comes ille suis cum pluribus ipsam
Hoc anno penitus terram lustraverat omnem,
Corda domans belli terrore ferocia grandi.
Et iam perpetuo Brettones iure subacti
Parerent Francis, si non promissa fidemque
Perfida fallacis mutassent pectora plebis.
Tunc quoque Sarracenus, Azan cognomine dictus,
Direxit Carolo claves, cui praefuit, urbis
Oscae — sic illam vocitavit barbara lingua —
Magnaque dona simul mittens, hanc tradere sese
Promisit, si tempus ad hoc contingeret aptum.
Tunc Hierosolima monachus directus ab urbe,
Inmenso nimium spacio terraeque marisque
Transcurso, regi munus preciosius omni
Auro detulerat, mittente pio patriarcha[a]
Pignera sancta loci, Christus quo, carne sepultus,
Morte resurrexit victa, quo gaudia mundo
Angelus haec caeli missus narravit ab arce.
Rex quoque natalem Domini celebravit in aula
Iam dicta, monachumque dehinc remeare volentem
Absolvit, comitemque simul coniunxerat illi
Zachariam, regalis erat qui presbiter aulae.
Per quem magna locis misit donaria sanctis,
Atque viris inopem vitam ducentibus illic
Et mala perpessis mundi sub nomine Christi[1].

ANNO DCCC. INDICTIONE VII.

Martia cum medios explessent tempora cursus, 800
Phebus et initium mundi totius et anni,
Arietis aetherii gradiens in signa, tonaret,
Florigerum rediit hiemis ver aspera pellens,

a. pariarcha *c.*
1. Cf. Einharti vita Caroli cap. 27 supra p. 532.

800 Frondibus exornans silvas et prata virenti
Gramine, dans avibus voces, augmenta diebus,
Tum decus egregium mundi, lux clara moderni
Temporis, ex aula Carolus progressus Aquensi,
Oceani litus, nomen cui Gallicus extat,
Lustrabat. Classemque mari perfecit in ipso,
Infestum quod Northmanni fecere pyrate[a],
Iam tunc Francorum nimium gens noxia[b] regno.
Inque monasterio, sancti quo membra quiescunt
Richarii, celebravit ovans sollempnia paschae.
Tramite tum cepto properans, pervenit ad urbem
Turonicam. Martine tuam sanctissime tumbam,
Qui confessor apostolica virtute choruscus
Effulges, adiit, quaerens suffragia supplex.
Coniugis hic illum tristis valitudo morari
Compulit; extremas ibi vitae clauserat horas,
Moribus et vitae merito laudabilis omni,
Cui nomen Liudgardis erat. Tum funere digne
Illic curato tumulique decore peracto,
Ipse Mogontiacum rediit; primisque suorum
Undique collectis, ibi conventum generalem
Fecerat Augusti circa primordia mensis.
Tunc et in Italiam multis iter aggrediendum
Condixit populis, illuc quos pergere secum
Decrevit. Quod distulerat non tempore longo;
Agmine delecto sed eo comitante profectus,
Moenia famosae petiit praeclara Ravennae.
Cumque dies esset septem non amplius illic,
Pippinum regem gentis cum milite multo
In Beneventanae direxerat oppida terrae.
Ipseque Romanas ibat devotus ad arces.
Obvius huic ad Nomentum Leo papa sacratus
Venerat, et gaudens multum veneransque recepit,
Quem defensorem solum sibi senserat olim.

a. *in margine* ashmen *additum est.* b. noxa *c.*

Dulcibus alloquiis ibi tunc epulisque peractis, 800
Antistes summus regem praecessit ad urbem.
Postera cumque dies celebris festivaque praebens
Gaudia Romanis, qua suscipiendus ab illis
Rex tantus fuerat, solis fulgesceret ortu,
Pontifices clerumque suum collegerat omnem
Papa. Quibus secum sumptis, ad limina magnae
Basilice Petri, qui summus apostolus[a] extat,
Venit et in gradibus templi stipante sacrato
Constitit ipse choro. Carolum sic advenientem
Suscepit, laudum modulamina dulcia cantans
Atque Deo grates ex toto corde rependens,
Quod moderatorem defensoremque dedisset
Ecclesiae talem; cui non ea noverat aetas
Mortalem similem, vel sic virtute valentem,
Omne bonum vel devota sic mente volentem.
Tantus honor, talis Francorum gloria regem
Magnaque Romanae comitantur gaudia plebis,
Aecclesiam Petri puro cum pectore magni
Intraret; fusis lacrimis humilique precatu
Implorans tanti suffragia sancta patroni.
Iam quoque solstitii glacialis tempore crescens
Asperitas brumae tandem cogebat, ut illic
Militibus hiberna quies optata daretur.

LIBER QUARTUS[b].

(ANNO DCCCI. INDICTIONE VIII)

Festa dies caelis, eadem celeberrima terris, 800 Dec. 25
Virginei partus Christique refulserat ortus,
Post octingentos ex quo processerat annos
Tectus servilis Dominus velamine formae;
Et iam natalis tanti cumulaverat omnem

a. aplīs *c.* b. LIBER QUARTUS *addidi. In codice haec habentur:* INCIPIT LIBELLUS IIII ANNALIUM DE GESTIS CAROLI MAGNI IMPERATORIS.

800 Dec. 25 Laeticiam Romae[a] Caroli praesentia regis;
Hic, cum missarum sacro sollempnia ritu
Incipienda forent, magnam processit in aulam,
Quae corpus mundo venerandum continet omni
Petri, cui claves Christus dedit ipse polorum.
Eius et ante sacros artus cum, mente fideli
Effusis precibus, sese rex inde levaret,
Ipsius imposuit capiti Leo papa coronam.
Conclamat pariter populus, sacra personat aedes
Ingenti iubilo, vox fertur ad aethera plebis
Romanae, sic concordi simul ore canentis:
Augusto Carolo magno, pacemque ferenti,
Imperii merito Romani scęptra tenenti,
Gloria, prosperitas, regnum, pax, vita, triumphus!
Post laudes igitur dictas et summus eundem
Praesul adoravit, sicut mos debitus olim
Principibus fuit antiquis. Ac nomine dempto
Patricii, quo dictus erat prius, inde vocari
Augustus meruit pius, imperii quoque princeps.
Tempore paucorum post haec abeunte dierum;
Ipse suum Carolus praeceperat ante tribunal
Duci iudiciumque viros legale subire,
Per quos praeterito fuerat tot cladibus anno
Affectus sacer antistes. Legemque secundum
Romanam, maiestatis cogente reatu,
Dampnavit poena merito cunctos capitali.
Sed licet indignis, interveniente benigno
Praesule, concessit vitam; tamen, esset inultum
Ne tantum scelus, exilio relegaverat[b] omnes.
801 Festaque transegit postquam paschalia Rome,
Egressus Spoletanam perrexit in urbem.
Augustus vero quo tempore manserat illic,
Aprilis horam cum nox extrema secundam
Obscuram nimium tenebris involveret atris,

a. Romae *correctum est in* Roma *in cod.* b. religaverat *c.*

Ingenti subito tellus exterrita motu 801
Contremuit sonitusque graves nimis et metuendos
Ediderat; stabilem cui sustulit ira quietem
Caelestis, grandi sub mole latentia mundi
Intima concutiens impulsu viscera diro.
Cumque procellosus penetrans et turbo cavernas
Occultas ac venarum loca tecta sub alto
Terrarum gremio, ne qua prorumperet inde
Vis venti, patulos usquam reperiret hiatus,
Quassatis fluctus quosdam generavit in arvis.
Iamque domi maior quam gurgite terror in ullo
Naufragii fuerat, tremulo sua culmine quisque
Dum fugeret subitam minitantia tecta ruinam.
Moenia cuncta simul tetro sonuere tumultu,
Pendula crispanti stridunt ut lintea flatu;
Aut dum, quae tenui squalebant pulvere, vela
Exagitant famuli certatim discutientes,
Haud aliter muros omnes tremuisse videres.
Hic tamen Italiam terror specialiter omnem
Perculerat, cuius plures subverterat urbes,
Avulsosque ruit montes radicibus imis.
Tum Romae cecidere trabes venerabilis aedis,
Pigneribus propriis quam Paulus apostolus ornat.
Gallia nec tantae fuit aut Germania cladis
Immunis; circa Rhenum loca denique motu
Plurima terrifico nimium concussa fuerunt.
Audiri quoque mugitus e montibus altis,
Et tetri sonitus reddi variique boatus,
Morborumque lues fieri permaxima coepit.
At Spoletanis Carolus regressus ab horis,
Ad Ticinum rediit, cui nunc est Papia nomen.

(ANNO DCCCII. INDICTIONE IX)

Italie[a] linquens fines augustus, Aquensem[b] 802

a. *Verbi* Italiae *prima littera* I *in codice maxima facta est, ut palam fiat, hoc loco novi anni memoriam inchoari.* b. Aquenses *c.*

802 Expetiit sedem, mansitque quietus hoc anno[1].
Perque sui partes regni direxerat omnes
Legatos, aequo legum moderamine mandans
Iusticias facere et varias componere lites,
Reddere ius civile bonis, terrere malignos;
Divinas mundique pias ex ordine leges
Tunc exerceri mandaverat et renovari.
Hoc de longinquis elephans regionibus anno[2]
Primitus adductus, mira spectacula regno
Francorum. Dederat[3] Persarum denique princeps
Hunc Aaron. Idem — fuerat cui subditus, Indis
Exceptis, oriens totus — curaverat ultro
Eius amicitiae se foedere iungere firmo;
Ac dignum duxit pre cunctis regibus ipsum
Temporis illius solum, cui munera larga
Praecipui causa transmittere vellet honoris.
Nam gemmas, aurum, vestes et aromata crebro,
Ac reliquas orientis opes direxerat illi,
Ascribique locum sanctum Hierosolimorum
Concessit propriae Caroli semper dicioni.

(ANNO DCCCIII. INDICTIONE X)

803 Nobilis hic annus longi certamina belli
Tandem, Saxones inter Francosque peracti,
Firmo perpetuae conclusit foedere pacis[4].
Augustus pius ad sedem Salz nomine dictam
Venerat. Huc omni Saxonum nobilitate
Collecta, simul has pacis leges inierunt,
Ut, toto penitus cultu rituque relicto
Gentili, quem daemonica prius arte colebant
Decepti, post haec fidei se subdere vellent

1. Annales Lauresham. (Mon. Germ. SS. I 38) 802: „Eo anno demoravit domnus caesar Carolus apud Aquis palatium quietus" cet. 2. Annales Lauresham. (l. l. p. 39) 802: „Et eo anno pervenit elefas in Francia". 3. Cf. Einharti Vit. Caroli c. 16. 4. De adumbrata hac pace Salzensi cf. Simson Der Poeta Saxo und der Friede zu Salz in Forschungen zur deutschen Geschichte I 308 sq.

Catholicae Christoque deo servire per aevum. 803
At vero censum Francorum regibus ullum
Solvere ne pęnitus deberent atque tributum,
Cunctorum pariter statuit sententia concors[a];
Sed tantum decimas divina lege statutas
Offerrent, ac presulibus parere studerent
Ipsorumque simul clero, qui dogmata sacra
Quique fidem Domino placitam vitamque doceret.
Tum — sub iudicibus, quos rex inponeret ipsis,
Legatisque suis permissi legibus uti
Saxones patriis et libertatis honore —
Hoc sunt postremo sociati foedere Francis:
Ut gens et populus fieret concorditer unus
Ac semper regi parens aequaliter uni.
Si tamen hoc dubium cuiquam fortasse videtur,
De vita scriptum Caroli legat ipse libellum,
Quem Francos inter clarus veraxque relator
Ac[b] summe prudens Einhardus nomine scripsit[1].
Hac igitur pacis sub conditione fideles
Se Carolo natisque suis stirpique nepotum
Ipsius iuraverunt per saecla futuros.
Quos per ter denos et tres tam duriter annos
Linquere protracti penitus conamina belli
Plus regis pietas et munificentia fecit
Quam terror. Nam se quisquis commiserat eius
Egregiae fidei, ritus spernendo profanos,
Hunc, opibus ditans, ornabat honoribus amplis.
Copia pauperibus Saxonibus agnita primum
Tunc fuerat rerum, quas[c] Gallia fert opulenta,
Praedia praestiterat cum rex compluribus[d] illic,
Ex quibus acciperent preciosae tegmina vestis,
Argenti cumulos[e] dulcisque fluenta Liei.
His ubi primores donis illexerat, omnes

a. consors *c.* b. A *c.* c. que *c.* d. cumpluribus *c.* e. cumolos *c.*
1. V. Einharti vita Caroli c. 7 supra p. 516.

803 Subiectos sibimet reliquos obtriverat armis,
Et multis experta modis innotuit eius
Tam dulcis pietas quam formidabilis ira,
Praefatum statuere fide servare perenni
Foedus. Et ulterius non id mutasse probantur.

(ANNO DCCCIIII. INDICTIONE XI)

804 Praesul apostolicus Roma perrexit ab urbe
Augusti Leo flagranti deductus amore;
Aecclesiae quoque pro causis, quibus imperiali
Esse videbat opus munimine, rursus adire
Francorum terras satagens per longa viarum.
Hic ubi terribiles primum transcenderat Alpes,
Adventasse virum tantum, rumore volucri[a]
Indice compererat statim prope Gallia tota.
Protinus hoc etiam laetus cognovit et illi
Obvius augustus Remensem venit ad urbem;
Susceptumque satis digno veneratus honore
Duxerat ad sedem, cui nomen Carisiacus.
Natalis Domini festis ibi rite peractis,
Sedis Aquensis abhinc petierunt moenia pulchre.
805 Ian. 6 Glorificeque simul celebrato tempore sancto,
Quo stella monstrante Magi cognoscere veri
In terris nati meruerunt luminis ortum,
Colloquioque dehinc, pro quo praesul venerandus
Venerat, expleto, rex inclitus obtulit illi
Munera, digna simul danti seu suscipienti;
Hic cum pontificum clarissimus illeque regum
Temporis illius, nullo dubitante, fuissent.
His gestis, propriam praesul remeavit ad urbem;
Seque viri seiunxerunt ibi corpore solo,
Mentis amore pio iuncti sine fine manentes.

(ANNO DCCCV. INDICTIONE XII)

805 Natio Sclavorum studio satis aspera belli,
Quos Behemos vocitant, in se levitate procaci

a. uolueri *c.*

Irritans Francos, Caroli commoverat iram. 805
Quos contra missus multis cum milibus, eius
Natus et aequivocus bellum virtute sagaci
Commisit; celeri victor quod fine peregit.

(ANNO DCCCVI. INDICTIONE XIII)

Cum pius augustus, Domini munimine fultus, 806
Legitimo cunctos tanti moderamine fines
Imperii servans, placidam daret undique pacem,
Sollerti meditabatur depellere causas
Mente simultatum, populo quas posse fideli
Tempore discidium vidit generare futuro.
Unde suos inter natos ne gignere posset
Post aliquam litem patrii divisio regni,
Certas ipse dedit partes ut cuique volebat.
Italico regi Baioariam simul omnem[1]
Pippino addiderat; nec non Burgundia, quantum
Parte sub extrema celsas interiacet Alpes,
Cum paucis Alamannorum quoque finibus illi
Traditur. At Carolo reliquos donans Alamannos,
Saxones ac Fresones subiecit eidem;
Cui simul ex magna fertur data Gallia parte,
Oceani donec vastis concluditur undis.
Hunc in Francorum sibimet succedere regnum
Disposuit, si non aliter Domino placuisset.
Subicitur vero sceptris Burgundia paene
Tota pii regis Hludowici, iure tenentis
Post haec imperium; nec non Aquitania cuncta,
Quae commissa prius fuerat, nunc traditur illi
In regnum proprium stabili dicione regendum.
Hinc omnes obtestatus multumque precatus,
Admonuit: servare fidem nec spernere pacem;
Ne proprio quisquam transgresso limite causas
Rixarum bellique daret, fusique cruoris
Christicolae plebis merito reus esset in aevum;

1. Cf. Annales Laurissenses minores (Cod. Rem.); Mon. Germ. SS. I 120.

806 Sed facerent, inter sese quo firma maneret
Debita fraternas socians concordia mentes.
Ipse dehinc princeps in sede manebat Aquensi,
Nec post militiae solitos exercuit usus
Aut aliquos ivit bellum gesturus in hostes[1].
Nam nec opus fuerat nec eum permiserat aetas,
Iam quibus exsaciatus erat, renovare labores,
Cui gravis inrepens et per momenta senectus
Singula succrescens faceret decrescere vires.

(ANNO DCCCVII. INDICTIONE XIIII)

807 Rex Sarracenae[a] gentis nimium truculentae,
Atque gravis late mundo terraque marique,
Muneribus tamen augustum veneratur[b] opimis;
Transmittens etiam quoddam mirabile donum,
Denique tunc inter tentoria qualibet arte
Facta dedit maius cunctis et pulcrius unum.
Fama solet veterum quicquam si dicere verum
Mirandum, collecta forent ubi carbasa tanta
Aut quibus orta seges lini tam fertilis agris,
Materies operi quae posset idonea tanto
Affore, non hominum tantam nisi milia molem
Erigerent. Spacium campi concluserat amplum
Textilis excelsis paries herendo columnis;
Nec summi culmen tecti superare volatu
Viribus impulsae magnis potuere sagittae.
Intus erant multi generis habitacula pulchra,
Quilibet ingrediens ut non haec esse putaret
Vela movenda loco sed moenia nobilis aulae.
Inter ea Northmannorum dux Alfdeni dictus,
Augusto, magna sese comitante caterva,
Subdidit atque fidem studuit firmare perennem.

a. arracenae *c.* b. venerator *c.*

1. Cf. Einharti vita Caroli c. 22 supra p. 529: „Aquisgrani regiam exstruxit, ibique extremis vitae annis usque ad obitum perpetim habitavit“.

(ANNO DCCCVIII. INDICTIONE XV)

Sunt Sclavi quidam, Lini cognomine dicti. 808
Hos contra, genitore suo mittente, profectus
Iunior est Carolus. Cuius non Albia lata
Praepediebat iter; sed Francorum legiones,
Fluminis eiusdem traiecto gurgite, laetis
Auspiciis usus, memoratos duxit in hostes,
Signaque gaudenti retulit victricia patri.

(ANNO DCCCVIIII. INDICTIONE I)

Undique praesentis pax laetificaverat anni 809
Cunctos imperii fines, sed tristia quaedam
Multis contigerant terris. Nam sevior omni
Hoste nefanda lues pecudum genus omne peremit.
Nam cum pastores agerent armenta gregesque
Mane foras laetos in prata virentia, sero
Aegra domum rediit vix pars paucissima, dirae
Signa gerens pestis macie mortisque propinquae;
At maior numerus campi per plana iacebat,
Qua dulces animas virides efflavit ad herbas.
Iamque cadaveribus foetebant pascua stratis;
Extractis etiam praesepia quaeque labore
Purgari multo poterant. Cum[a] qui, moriturum
Cernentes animal, magis id prosternere ferro
Eligerent, statim stillans e vulnere tabo
Prodiderat toto concretum corpore virus.
Noricus ista sinus fertur specialiter esse
Perpessus cum vicinis regionibus illi.
Praeterea steriles hoc factae tempore vites
Impenso sibimet nulla mercede labori
Respondent. Spes est avidi frustrata coloni,
Dum vineta carere[b] suo pubentia foetu
Conspicit, et vanę silvescit inutilis arbor,
Palmite diffuso nullas dum pampinus uvas
Contegit et fructu vacua stat vinea lata.

a. tum *c.* b. carere *addidit Pertzius.*

809 Partibus in multis regni sic omine tristi
Bachica non solito perierunt pocula damno.
Tempore nimirum tanto licet ante, per orbem
Augusto[a] luctum terris abeunte futurum,
Iam ostendebat casus tristissimus iste.

(ANNO DCCCX. INDICTIONE II)

810 Pippinus rex Italiae, ...
Francorum nitido, laetum cum duceret aevum,
Flore vigens simul aetatis mentisque decore,
Cui praeclara fuit virtus, cui gloria summa,
Omnia fallacis pariter cui prospera mundi
Tunc aderant, morbo vitam finivit acerbo.
Immaturus huic obitus iocundaque vita
Extitit; unde suo nimium de funere patri
Omnibus et Francis gemitum luctumque reliquit.

ANNO DCCCXI. (INDICTIONE III)

811 Rursus, ut omnipotens caros sibi sepe flagellis
Erudit, aeternae det ut illis gaudia vitae,
Augusto vis iudicii veneranda superni
Omnem praeteriti luctum geminaverat anni.
Ipsius assumens alium de corpore natum
Mortalisque iubens vitae finire tumultus.
Hic patris equivocus fuerat; nec nomine solo
Indole sed mentis clara probitateque morum
Omnimodaque patrem virtutum dote referret,
Si rectore frui meruisset Francia tali.
Hoc quoque Bernhardo regnum concesserat anno
Italicum pius augustus; nam filius idem
Pippini merito patri successerat heres.

ANNO DCCCXII. (INDICTIONE IIII)

812 Maxima[b] longinquis terrarum venit ab horis
Grecorum de principibus legatio missa.
A quibus augustus pacem donare rogatus,
Iure piis prȩcibus, multum quas novit utrique

a. Angusto *c.* b. Maxma *c.*

Proficuas regno, consenserat ilico clemens; 812
Foedus et inter se fidei pacisque tenendae
Iurando partes firmarunt protinus ambe[a].

ANNO DCCCXIII. (INDICTIONE V).

Iam gravis augusto morbus simul atque senectus 813
Corpore sustulerant solitum marcente vigorem[1].
Curarumque, quibus res publica tanta regenda
Ac servanda fuit, non se sufferre valere
Immodicum pondus, placidae sed sola quietis
Otia supremo labentis tempore vitae
Vidit amanda sibi; quo procurare migranti
Hinc animae requiem propriae veniamque studeret.
  Unde duces ac primores sollempniter omnes
Atque magistratus ad concilium generale
Undique collegit; natoque suo Hludowico
Cunctorum cum consilio ius omne regendi
Tradidit imperii, successoremque paterni
Imposito designavit diademate regni,
Consortemque sui factum totius honoris
Augustum pariter vocitari iusserat ipsum.
Quod cum magnifico satis accepere favore
Consilium cuncti, cum prorsus id utile regno
Multimodis intellegerent. Hinc aucta refulsit
Maiestas Caroli. Concordia facta futuris
Hinc est temporibus, cum tot caput extitit unum,
Unanimi populis monstratum mente sequendum.
Hinc metus externis incussus gentibus ingens.
Nil sperare dedit Caroli de morte propinqua,
Quo minui posset status et rectissimus ordo
Regni Francorum, cuius non ante reliquid
Tam clarus princeps regimen, quam sumpsit id alter;
Quem merito patri similem virtute putarent,
A quo non dubium, quin armis regna subacta

a. ambo *c*.

1. Cf. Einharti vita Caroli c. 30, supra p. 535.

813 Cuncta simul miti regeret moderantę sophia.
Ut quondam magnus pariter rex atque propheta,
Qui[a], lyrico modulante melo, caelestia doctus
Carmina divino completus pangere flatu,
Nunc cytharis David digitos fidibusque canoris
Nunc capulis aptare manus armisque solebat,
Innumeras postquam gentes hostesque triumphis
Subdiderat propriis, meritis maturus et annis,
Se vivente, suus iussit quo filius omni
Haebrei Salomon regni frueretur honore;
Sic Carolus noster — solitus tractare vicissim
Proelia, daemonicos etiam subvertere cultus,
Catholicam firmare fidem damnareque sectas
Perversas, ut doctrinae caelestis ubique
Cordae concordes in Christi laude sonarent —
Magnifice bellis regnum nimis amplificatum
Prudenti nato pacemque reliquit amanti,
Quique labore patris bona conquisita quietus
Sumeret, exercens divini dogmata cultus.
Haec ita dum fierent, passim permixta videres
Gaudia tristitiae. Nam res ex ordine gesta
Et ratione pia multis cum iure placeret,
Amplius angebant cunctos tamen intus amari
Mestitiae stimuli: quod, carni debitus omni,
Ex oculis carum Carolum rapturus adesset
Terminus. Id valitudo simul cogebat et aetas.
Utque solet fieri, quotiens amittitur[b] ulla
Res bona, tunc melius cogit dolor ipse videri:
Ipsius utilitas qualis preciumque fuisset;
Sic morum probitas, animi sic maxima virtus,
Sic pietas Caroli, cunctorum mentibus herens,
Tunc perspecta magis fuerat, cum principe tali
Sese cernebant carituros esse per aevum.
Multorumque graves sapientum pectora curae

a. Quin *c*. b. ammittitur *c*.

Mordebant, in deterius iam iamque timentum 813
Lapsuras res Francorum, multas quoque clades
Post obitum tanti venturas principis esse.
Ut sub fine cadit tum[a] longior umbra diei;
Et sol oceani properans se tinguere fluctu
Pergit in cubitum, tegit et ferrugine vultum
Lucigenum, mixto maculis pallore nigellis,
Signa procellose dat noctis abinde sequentis,
Quamvis succedens, dum tramite fertur eodem,
Orbe valet pleno sublustrem reddere luna;
Haud aliter tum prudentes sensere futuras
Bellorum tempestates meritoque gemendas
Regni Francorum, Carolo moriente, ruinas.
  Solvitur interea populi conventus. Et inde
Qui fuerant proceres redituri tramite longo
Ad sedes proprias, sibimet iam conicientes[b],
Cari conspectum domini hunc esse supremum,
Interni gemitus dederant animique dolentis
Pallenti signum facie meroreque pressa.
Composito plures vultu dum fingere laetos
Se cupiunt, quo suspectum[c] reperiret in illis
Nil novus augustus, tamen et ridere volentum
Ora madent lacrimis falsa inter gaudia veris[d].
Non aulam tunc more suo complebat Aquensem
Laeticiae sonus; auditur vox musica nusquam;
Alloquitur socium vix saltem murmure tristi
Quisque suum, prodens tacitus quid pectore gestet,
Cum dolor imponit gemebunda silentia multis.

LIBER QUINTUS[e].

(ANNO DCCCXIIII. INDICTIONE VI)

Pangite iam lacerae carmen lugubre Camene, 814

a. cum *c.* b. putantes *in margine additum est.* c. *in margine est* dubium *appositum.* d. feris *c.* e. LIBER QUINTUS *addidi. Codex praebet haec:* ANNALIUM DE GESTIS CAROLI MAGNI IMPERATORIS LIBER QUARTUS EXPLICIT; INCIPIT QUINTUS DE VITA ET OBITU EIUSDEM.

814 Dignus enim multis annus hic est lacrimis.
Ecce quater denis ternisque prioribus annis
Quid nisi prosperitas dicta fuit Caroli?
Annua cum variis ipsius gesta triumphis
Tum placuit laeto connumerare stilo.
At modo lugentes obitum nos admonet ordo
Et tempus tanti commemorare viri.
Hic veri plangunt elegi; nil fingere mestum
Est opus, affectus res habet ipsa suos.
Quis recolens, qualis fuerit, modo defore terris
Tale decus, nimium non gemat et doleat?
Sed quia res consolatur haec sola fideles,
Caros forte suos mors quibus abstulerit:
Pro iustis ut eos feliciter actibus esse
Confidant regni participes superi;
Idcirco meritum, pro quo modo credimus illum
Vivere cum Christo, iure libet canere.
Materiem tantam nimis audax barbara lingua
Ingenii tenuis viribus aggreditur;
Sed me magnus amor, praesentis carminis auctor,
Ignarum fandi, non reticere sinit.
Denique sum Carolo semper flagrantis amoris,
Sum quoque perpetui debitor obsequii;
Is gentem nostram fidei cognoscere lucem
Fecerat, abiectis perfidiae tenebris,
Quam bellando diu, quam multa pericula passus,
Quam sudore gravi, quam studio vigili!
Poene recordantur populi hoc hactenus omnes
Europae, tanti participes operis.
Nempe sui vires regni collegerat omnes,
Ut nos demonicis cultibus abstraheret.
Denique barbariem quisnam mollire ferocem
Posset adhortantis dogmatis alloquio?
Ob hoc per Carolum clemens Deus est operatus
Id, quod tunc aliter non potuit fieri.

Usus enim gemina Saxonum saxea corda
Arte suadebat subdere se Domino:
Nunc terrens bello, nunc donis alliciendo,
Illic magnanimus, hic quoque munificus.
Nec prius abstiterat, Saxonia quam simul omnis,
Idola proiciens, facta fidelis erat.
Quas igitur grates illi modo possumus omnes,
Vel quas quisque suo solvere pro modulo?
Si qua meam scripturarum scintillula mentem
Artis et illustrat si qua scientiola,
Nonne dabit iuste Carolo praeconia laudum,
Per quem nancisci[a] tale bonum merui?
Nostri non solum fidei documenta parentes
Sed penitus cunctos nescierant apices;
Per Carolum nuper nobis est huius honestas
Ac pariter vitae spes data perpetuae.
Ergo tibi primum dignas nos dicere laudes
Da, Deus, omnimodi fons et origo boni.
Muneris inde tui quamcumque retexere partem
Nos in eo, nostri dux animi, tribue,
Quem, pie Christe, tuo multorum more saluti
Prospiciens, talem praestiteras fieri.
Nam nostrae miserans naturae conditionem,
Serpentis postquam fraus vitiavit eam,
Contuleras[b] hominum generi solacia crebro
Per claros homines atque tibi placitos;
Efficiens fortes, per quos fragiles regerentur,
Doctos, qui reliquos instruerent stolidos;
Ut lux illorum tenebras depelleret horum,
Errantes revocans restituensque viae,
[c]Stantes erigerent lapsos, miserisque piorum
Virtus exemplo esset et auxilio.
Et tales semper dederas ab origine mundi,
Apti salvandis qui fuerant aliis.

a. nasscisci *c*. b. Contulerat *c*. c. *in margine* ut *additum est*.

Inprimis patriarcharum sacer ordo, deinde
Legifer et vatum missus ad hoc chorus est.
Nec non in variis imitabile gentibus olim
Exemplar iusti, te quoque teste, dabant.
Sed quis per servos servis te consuluisse
Miretur, donum sit licet eximium,
Cum per te, mundi dominus, plus egeris immo
Sis passus minimis maxima pro famulis.
Pro quibus iniustis iustus, pro sontibus insons
In mortem propriam tradideras animam.
Tanta, redemptor, erat nostrae tibi cura salutis,
Perdita ne fieret prorsus imago tui.
Unde tibi laudes modulentur cuncta creata,
Atque genu flectant inferus, arva, poli.
Nam neque, dum complevit opus tua gratia tantum,
Cessavit, sine qua deperit omnis homo,
Sed post haec eadem lucrandis omnibus extat
Cura, per électos gentibus exhibita.
Oris apostolici terram sonus ivit in omnem,
Verba per extremas intonuere plagas;
Cui dedit, aetherea caeli demissus ab arce,
Flammantes linguas Spiritus omnipotens.
O quam multorum, purgatas sorde reatus,
Mentes ardentes fecit amore tuo!
Ordinis eiusdem nec non virtutis honore
Et studio plures post fuerant similes;
Qui simul exemplis animas et dogmate sacro
Multas caelesti reddiderant patriae.
Quid memorem, quanti, pro te tormenta necemque
Passi, lucrati hinc alios fuerint!
Hos animus constans[a], illos miracula visa
Credere haec danti commonuere tibi.
Mille modis tua magna, Deus, clementia gentes
Salvat per sanctos egregiosque viros.

a. *alia manus superscripsit* commonuit.

Nec reges facis expertes fore muneris huius,
Dum per eos animas corrigis atque doces.
Temporibus Carolus rex, te donante, modernis
Quam multis summae causa salutis erat,
Credentum[a] pulcre[b] moderandis moribus aptus,
Et mutare pie perfida corda potens.
Cuius nunc insigne genus si pandere coner,
Compellor[c] regum scribere catalogum.
Sed non est opus; excelsum quia non genus illi,
Sed summo generi addidit ipse decus.
De claris genitus, fulsit praeclarior; atque
Patribus invictis fortior enituit.
Est quoque iam notum: vulgaria carmina[1] magnis
Laudibus eius avos et proavos celebrant;
Pippinos, Carolos, Hludowicos et Theodricos[2]
Et Carlomannos Hlothariosque canunt.
Attamen hic quanto plus fecerit omnibus illis,
Dicet praesentis sermo sequens operis.
Unum commemorem tanto de germine parem,
Quem sanctum Christi praedicat aecclesia;
Scilicet Arnulfum, Francorum qui fuit olim
Princeps, ac presul post satis egregius;
Ductus amore Dei qui spreverat omnia mundi,
Quae mulcent oculos queque trahunt animos,
Malens divinas mundi quam tradere leges,
Esse Dei famulus quam populi dominus.
Nunc ovat in caelis, praebens miracula terris,
Sublimis meriti signa decora sui;
Indeque nostrorum totam seriem dominorum,
Stirpem nempe suam, protegit atque fovet.

a. credendi *c.; ubi* ndi *in litura.* b. pulcræ *c.* c. *an* Compellar?

1. Cf. Müllenhoff Die austrasische Dietrichssage ap. Haupt Zeitschrift für deutsches Alterthum VI 435 sq. 2. Theodricum I regem, Chlodovei I filium hoc loco intelligendum esse, protulit Müllenhoff l. l.

Prae cunctis igitur tibi cura nepotibus una,
Quaesumus, Arnulfus sit, tuus omonimus.
Fac, ut regnanti Christus sit previus auctor,
Quo nimis ipsius indiget aecclesia;
Cui[a] modo iustificus rex est, defensor et unus
Inter tot clades, nunc quibus atteritur.
Ex illo nobis igitur tam principe sancto
Hactenus est dominans inclita progenies.
In quam descendit sancti benedictio Iacob,
Quam Iudae pandens, ipse futura[b] dedit:
Ut non deficeret de germine sceptriger eius,
Sed foret inde manens longa ducum series[1].
Sic electa Deo mansit iam tempore longo
Haec stirps in regno, atque diu maneat.
De qua non quisquam fortem pietateque plenum
Miretur regem progenitum Carolum.
Cuius ut exterior virtus roburque parentes
Sic satis ornabat religionis amor;
Et quo maior eis provenit gloria mundi,
Mens humilis tanto plus fuit ante Deum.
Sed huic naturae quicquid bene praestitit ortus,
Hoc exercitio auxerat assiduo,
Intentus semper rebus constanter agendis
Et disponendis consilio stabili.
Unde nec in bellis quisquam felicior illo,
Tempore nec pacis plus moderatus erat;
Et quod suscepit florens et nobile regnum,
Reddiderat duplo latius et melius[2].
Sicque suos, licet invictos, vicisse parentes
Noscitur; hac multo re magis egregius.
Nam plures unus terras populosque subegit,

a. Cui *correctum est in* Qui *in cod.* b. *in margine additum est* benediccionem.

1. Gen. 49, 10: „Non auferetur sceptrum de Iuda, et dux de femore eius". 2. V. Einharti vita Caroli c. 15 supra p. 521.

Quam totus regum vicerit ordo prior.
Regnabant inter Rhenum Ligeremque priores;
Ad boream fuerat terminus oceanus,
Australemque dabant Balearica litora finem
Alpes et tectae perpetuis nivibus.
Et Francos orientales nec non Alamannos
Ac Baioarios iam tenuere prius;
Fresones etiam, simul et rexere Thoringos;
Et regnum Caroli hoc habuere patres.
Pippino patre defuncto[1], cum fratre regebat 768
Id Carolomanno, sorte fruente sua.
Atque simultates illum rixasque moventem
Hic semper multum pertulerat paciens;
Ut mirum multis fuerit, quod viderit ira
Commotum causis nemo licet gravibus.
Annis sic geminis decesserat ille peractis,
Et regnum soli iure datur Carolo. 771
Quod primo victis Aquitanis gentibus auxit[2],
Wasconumque simul subiciens populum.
Et iuga cuncta Pyrenei superavit, Hiberum
Donec ad fluvium tenderet imperium.
Italicasque dehinc regiones subdidit omnes,
Dicere quas certo quis valeat numero?
In longum decies centenis milibus atque
Amplius, ut fertur, tenditur Italia.
Tum, quibus est ex non modica Germania parte
Subdita, Saxones addidit imperio;
Ex hac[3] in latum duplo plus denique Francis,
In longum partem paene parem retinent[a].
Pannonias etiam victor subiecit utrasque;
Is[b] cum vicinis urbibus innumeris
Arva Liburnorum, vel que vocitantur ab Histro,

a. renitent *c.* b. His *corr. in* Is *cod.*

1. Einharti vit. Car. c. 18 supra p. 525. 2. ibid. c. 15. 3. Germania.

Nec non Dalmatiam subdidit et Daciam.
Sclavorum populos censum sibi solvere fecit
Plures, quam quisquam dinumerare queat.
Gesserit ista quibus bellis, signando priores
Quattuor annales iam retulere libri.

Nunc, studium mores ususque domesticus eius
Corporis et habitus quae fuerint, referam[1].
Que quicumque sciet, iam non mirabitur, illi
Cur sic contigerint omnia laeta foris.
Nam quod scire decet homines meminisseque cunctos,
Hic quoque lectorem commoneam breviter;
Audiat hoc omnis rector, vel praemia gestis
Pro laudabilibus quisquis habere cupit.
Interius radix operum latet exteriorum,
Mens moresque viri facta palam generant.
Qui solet esse domi constans prudensque decenter,
Perficit is crebro facta decora foris;
Intra se vitiis dominans rationeque pollens
Exteriora sibi nulla nocere sinit.
Fortiter in cunctis facienti seu pacienti
Pro meritis animi gloria proveniet;
At cui mens torpet, mores neque corrigit in se,
Illum iure manet dedecus exterius.
Sic regnum terret cunctos extrinsecus hostes
In se quod pacem iusticiamque tenet;
At contra, si quod scelus et discordia foedat,
Raptores avidos clade sua faciat.
Ergo domi Carolum rationis iura secutum
Est comitata foris gloria magna satis;
Assuescens potuit virtutibus exuperare
Ferręque consilio cuncta pericla sua.
Et quia iusticia pacatum reddidit intus,
Externis regnum cladibus eripuit.

1. Einharti vit. Car. c. 5.

Artibus ipse quidem cunctis instructus honestis,
Harum doctores magnifice coluit[1].
A sene levita quodam cognomine Petro
Curavit primo discere grammaticam.
Artis rethoricae, seu cui dialectica nomen,
Sumpsit ab Alquini dogmate noticiam;
Hic etiam levita gradu multumque peritus,
Ex Anglis veniens, Saxo fuit genere.
A quo precipue studuit totam rationem
Et legem cursus noscere siderei[a].
In causis iudex iustissimus, audiit ipsas
Sepius et finem litibus imposuit[2].
In sermone[3] satis dulci facundia[b] abundans,
Nec patrio tantum claruit eloquio;
Sed solitus lingua sepe est orare Latina.
Nec Grece prorsus nescius extiterat;
Intellexit eam melius, quam proprietates
Illius posset voce sonare sua.
Legerat assiduae scripturae dicta sacrate[4],
Quosque libros sancti composuere patres;
Quos Augustinus caeli de civibus almis
Scripsit, amanter eos crebrius audierat.
Scribere temptabat[5]. Nam circumferre solebat
Secum cum parvis codicibus tabulas,
Ac ponens ipsas ad cervicalia lecti
Regalis, numquam fecit abesse sibi.
Inter tot curas tantique negotia regni
Rex exercuerat his animum studiis.
Cuius ut ingenium multum resplenduit acre,
Sic omnis motus optima temperies[6].
Non umquam[c] nimium laetus, non valde remissus,
Non multum tristis atque severus erat;

a. sidereos *c*. b. dulcis facundas *c*. c. Nonnumquam *c*.

1. Einh. vit. Car. c. 25. 2. ibid. c. 24. 3. ibid. c. 25. 4. ibid. c. 24. 5. ibid. c. 25. 6. ibid. c. 18.

Non lenis hominum vitiis, non turbidus ira,
Plectebat iusta cum ratione reos.
Quod terrore magis fieri quam morte volebat,
Ni cum dira rei cogeret impietas.
O qualis probitas, quam constantissimus ordo
In cunctis eius moribus enituit!
Fortis in adversis rebus cautusque secundis,
Perpetuae tenuit sobrietatis iter.
Tantum, cum natos sibi Pippinum Carolumque
Mors auferret, ob hoc ipse nimis doluit[1].
Nec non Rhuottrudis, reliquis quae filia natu
Maior erat, flevit valde gemens obitum.
Hanc et Grecorum luxerunt ditia regna,
Quod non hac tali digna forent domina;
Sponsa fuit Constantini nam, sceptra regentis
Illius semper nobilis imperii;
Inclita Constantinopolis de germine nostri
Optabat Caroli nobilior fieri.
Tantum contigerant haec infortunia regi
In his, quae genuit pignora clara satis.
Tum concertabat constantia cum pietate
In Carolo; virtus utraque non modica.
Haec casus omnes iussit tolerare decenter,
Illaque dilectae commonuit[a] sobolis;
Ista magnanimus fulsit virtute, sed illa
Non minus ardebat plenus amore pio.
Quocirca vicit pietas in morte suorum
Et regem largas compulit ad lacrimas.
Nec non Romani mortem sibi flevit amici
Pontificis; nomen huic Adrianus erat.
Nam velut in reliquis rebus, sic optimus eius
Laudatur merito mos in amicitiis;

a. *alia manus super* commonuit *scripsit:* s. tol. mortē.

1. Einh. vit. Car. c. 19.

Admittebat eas caute, sed firmiter immo
  Sancte[a] servavit foedere perpetuo.
Unde decus regni factis et nomen amicis
  Auxerat externis regibus et populis[1].
Ex quibus unus erat Hadefonsus nomine dictus,
  Qui rex Asturiae Galliciaeque fuit;
Qui, dum legatos et munera mitteret illi,
  Mandabat, dici se proprium[b] Caroli.
Scottorum reges ipsum dominum vocitabant,
  Ac se subiectos ipsius et famulos.
Hoc apices ab eis missi testantur ad illum,
  Quorum claret amor maximus alloquio.
Persarum princeps illi devinctus amore
  Precipuo fuerat, nomen habens Aaron;
Gratia cui Caroli prae cunctis regibus atque
  Illo principibus tempore cara fuit.
Augustis cum Grecorum poscentibus ultro
  Dignatus pactum pacis inire fuit;
Unde suos ad eum legatos mittere crebro
  Curavere Leo, Niciforus, Michahel.
Transgredimur moetas, dum designamus amicos;
  Monstrandus magis est ipse stilo Carolus.
Hic se venatu nec non equitando frequenter[2]
  Fecerat ignarum desidiae poenitus.
Vix illi glatialis hiemps auferre valebat
  Usus castrenses gestaque militiae.
Praeterea solitus fuit exercere natatum[c],
  Qua tunc arte magis nemo peritus erat.
Et naturali fontes fervore calentes
  Illi praestabant grata lavacra nimis;
Unde locum sedis sibimet delegit Aquensis,
  Plurima quo manat copia talis aquae,

a. Ex se *c.* b. servum *superscriptum est.* c. natum *corr. in* $\overset{ue}{\text{natum}}$ *cod.*; natatum *scribendum esse docuit Simson. Cf. Einharti vit. Car. c.* 22: „frequenti natatu".

1. Einharti vit. Car. c. 16. 2. ibid. c. 22.

Balnea qua multo condens iocunda decore,
Annis extremis mansit ibi iugiter.
Ac secum fecit natos proceresque lavari,
Quodque sui custos corporis agmen erat;
Eiusdem nam commoditas spatiosa[a] lavacri
Centenos homines plusque valet capere.

Corpore robusto fuit ipse decenter et amplo,
Incessu firmus, vividus atque agilis,
Egregie procerus, et hoc moderamine iusto;
Septem namque suis longus erat pedibus.
Ipse rotundus apex capitis, cervix[b] et obesa,
Naris plus paulo quam mediocris erat;
Late fulgentes oculi, facies quoque laeta,
Et vox clara satis, pulcraque canities.

Usus vestitu patrio, semper peregrinum
Respuerat[1], quamvis pulcher et ipse foret.
Bis tantum Romae, summis rogitantibus ipsum
Praesulibus, longa usus erat tunica;
Tunc etiam clamidis speciosae sumpsit amictum
Moreque Romano tegmina facta pedum.
Regalis habitus tantum gestabat honorem,
Cum celebraretur valde sacrata dies,
Aut quotiens aderant missi, mandata ferentes,
Ex longe positis gentibus et ducibus.
Tunc[c] auro textam nectebat fibula vestem
Aurea, coimebat gemma pedes varia,
Distinctum viridi gessit diadema smaragdo,
Stellatus radiis iaspidis ensis erat.
Distabatque parum reliquis in veste diebus
A solito procerum vel populi habitu.

Felici semper valitudine laetus ad annos
Suprȩmos vitae poene suae fuerat[2];

a. spetiosa *c.* b. cervix *addidit Pertzius.* c. Tū *c.*

1. Einharti vit. Car. c. 23. 2. ibid. c. 22.

Nam servavit eam, victu sumens moderato[1]
Solum, quod sensit esse salubre sibi.
Si tamen adversum leviter quicquam pateretur,
Quod iam crescenti contigerat senio,
Non admittebat medicos[2], sibi nempe perosos;
Plus arbitratu cuncta suo faciens.
Cum reliquis vitiis specialiter oderat illud,
Quo vertunt mentis pocula multa statum[3];
Hinc vinum parce potum quoque sumpserat omnem.
Atque cibis paulo aegrius[a] abstinuit;
Nam vix ferre suum poterat ieiunia corpus,
Quae sibi nonnumquam noxia questus erat;
Cum numero solitus hominum convivia grandi,
Sed tantum festis praecipuis, agere.
Porro quaterna iugem praebebant fercula caenam,
Praeter venantum que labor attulerat;
Assam qui verubus[b] longis inferre solebant.
Illi gratus erat plus aliis cibus hic.
Caenanti lector recitans non defuit umquam,
Perque vices aliquod audiit acroama;
Res antiquorum gestas regumque priorum
Ipse legi sibimet fecerat assidue.
Indulgere parum somno[c] permiserat illum
Mens, semper magnis dedita consiliis;
Et res magnificas iugiter meditatio volvens
Reddiderat curis multimodis vigilem.
Ob hoc nocte quater fertur vel sepius, omni
Somno depulso, membra levasse toro.
O quantum curis res publica creverat illis;
Quam conservatum floruit imperium!
Nam bene previdit, ne qua ratione pateret
In regnum variis hostibus introitus.
Gallica praestruxit nec non Germanica classe

a. aegregius *c.* b. ueribus *c.* c. sommo *c.*
1. Einharti vit. Car. c. 24. 2. ibid. c. 22. 3. ibid. c. 24.

Litora[1], qua fluvios suscipit oceanus.
Atque quod Europam pelagus seiungit[a] ab Afris[b]
Et dirimit terras gurgitibus medium[c]
Qua rapidos[d] ex Gallorum regionibus amnes
Aut capit ex magnae partibus Italiae,
Hostia seu portus, positis stationibus, omnes
Fecit inaccessos hostibus omnimodis.
Hinc nec eo Mauri quicquam vivente nocebant
Nec Northmannorum tunc metus ullus erat;
Ni Centumcellae — sic urbs Etrusca vocatur —
Quod tunc a Mauris depopulata fuit,
Et quod, Northmannis vastantibus, insula quaedam
Parvula Fresonum dampna tulit gravia.
Ve tibi, vae tali modo defensore carenti
Frantia; quam variis cladibus opprimeris!
Gentibus ecce pates populantibus undique saevis,
Et quondam felix, nunc nimis es misera.
Quippe tuis hilares exultant fletibus, hostes
Ditanturque tuis assidue spoliis;
Milia cesorum; captivaque turba tuorum
Amplior est numero, quam sit harena maris.
Nam, Carolo moriente, tuum decus et honor omnis
Ex illo sensim fugit et interiit.
Nunc tamen Arnulfo merito sub principe gaudes.
Qui similis tanto moribus est abavo,
Denique, magnanimus clemens promptusque, labore
Pervigili lapsum corrigit imperium,
Francorumque movet veteri virtute lacertos
Atque vocat resides rursus in arma viros.
Sed moles immensa, diu quae corruit ante,
Non restaurari se subito patitur.
Illi det vitam, qui virtutem dedit amplam;
Et magne nobis causa salutis erit.

a. *in margine est* secessit *additum*. b. astris *c*. c. media *c*. d. rapidas *c*.
1. Einharti vit. Car. c. 17.

Vos, que de Carolo restant dicenda, Camenae,
Strictim veloci carmine concinite.
Cum fuerit regno tam clarus in amplificando[1],
Intentus bellis continuis animo,
Ornatus operum varios tamen et decus ingens
Fecerat et visu moenia pulcra nimis.
Ex quibus inprimis merito laudatur Aquensis
Sedis mirifice condita basilica,
Quam, pię Christę, tibi sanctaeque tuae genetrici
Ad laudem studuit perpetuam facere.
Ingylemhem dictus locus est, ubi condidit aulam,
Aetas cui vidit nostra parem minime.
Quorum multiplicem si quis describere laudem
Curabit, longum texet opus nimium.
Ad quae marmoreas praestabat Roma columnas,
Quasdam praecipuas pulcra Ravenna dedit[2];
De tam longinqua potuit regione potestas
Illius ornatum, Francia, ferre tibi.
Preterea Rheni constravit ponte fluenta[3],
Commoda dans urbi tanta Mogontiace.
Est ibidem latus quingentis passibus amnis,
Ut pondus tanti scire queas operis.
Quodque magis stupeas, firmaverat ordine recto
Colles ingentes fluctibus in mediis;
Supposuit basibus haec fundamenta locandis
Et supra celsam struxerat inde viam.
Hoc opus extremis illius poene sub annis
Consumpsit subito flamma vorax poenitus.
Quod reparare volens, fieret quo saxeus illic
Pons, ubi constructus ligneus ante fuit,
Pro dolor! est obitu praeventus; opusque remansit
Hoc imperfectum, sic quoque semper erit.
Virtutis monimenta manent tamen eius in aevum,
In vastis stantes gurgitibus tumuli.

1. Einharti vit. Car. c. 17. 2. ibid. c. 26. 3. ibid. c. 17.

Congestae saxis etenim tellureque moles
Parent, elatis flumine verticibus;
Aggeribusque pari spacio distantibus, ordo
Metitur, lati terga decens pelagi[a].

Condidit et Domino perplurima templa dicanda,
Exornans eadem sumptibus ex propriis.
Neglectu dilapsa prius vel tempore longo
In regno reparans cuncta suo noviter.
Religionis enim sanctae studiosus amator,
Sectatorque fuit catholicae fidei[1].
Tempore namque suo hereses extinxerat ortas,
Quod iam praemissis diximus ante libris.
Aecclesiam certis intraverat impiger horis,
Fundens devotas nocte dieque preces;
Eius et omne ministerium cum vestibus atque
Vasis ornatu composuit nimio.
Verus quippe Dei cultor, praeponere sancto
Eius nil umquam servitio voluit.

Nam regnum terrestre tenens, caelestis amore
Plus multo flagrans extitit et cupidus;
Quod sibi, prae cunctis clemens et largus egenis,
Curavit donis assiduis emere[2].
Nemo peregrinos illo plus fertur amasse,
Nemo pari cura suscipiebat eos[3].
In quo paene modum pietas excesserat eius —
Si quid in hoc nimium quisque potest facere —
Cum non regali solum foret advena turba
Aulae, sed toto iam gravis imperio.
Ipse pius compensabat dispendia rerum,
Mercedis laeto perpetis intuitu.
Hac invitati fama cum partibus orbis
De cunctis ad eum confluerent inopes,
Non tamen in proprio satis exercere putabat[4]

a. pelagii *c.*
1. Einh. vit. Car. c. 26. 2. ibid. c. 27. 3. ibid. c. 21. 4. ibid. c. 27.

Regno gratuite largitionis opus,
Sed per legatos mittebat ad extera regna
Christicolis crebro munera pauperibus.
Quos Aegyptus Alexandrique ex nomine dicta
Urbs inopes habuit, iuvit eos opibus.
Africa munificum Cartagoque senserat illum;
Est experta satis largifluum Syria.
Ad Hierosolimám, seu cetera quae loca Christi
Gestis corporeis sanctificata manent,
Sepius indiguis donanda fidelibus auri
Misit et argenti pondera non modica.
Trans mare gentiles positos solum sibi reges
Ad hoc firmata iunxit amicitia,
Quatinus, illorum qui sub ditione fideles
Essent, perciperent inde refrigerium.

Praeque locis sanctis aliis specialiter eius
Menti Romanae sedis inhaesit amor.
Nam sanctum venerans Petrum, qui claviger extat
Caeli quique chori primus apostolici,
Eius ad aecclesiam, donaria maxima sepe
Mittens, thesauros contulit innumeros.
Atque sui magis in toto nil tempore regni
Curavit, maius non habuit studium,
Quam sedes Romana, suo munimine fulta,
Ut veteri pollens nobilitate[a] foret.
Et tamen ipse quater tantum pervenerat illo,
Vota precesque pia solvere mente volens.

Ultimus adventus hac causa contigit eius[1], 800
Quod turbatus erat tunc status ecclesiae,
Scilicet eiecto simul et tormenta Leone
Praesulę perpesso civibus a propriis.
Hoc quasi naufragio suprema pericula passum
Vexatumque loci sedicione statum

a. id est libertate *in margine additum est.*
1. Einharti vit. Car. c. 28.

Ad portum placidae statuit revocare quietis;
Illic per totam poene manens hiemem.
Tunc ibidem culmen susceperat imperiale,
Ordine quo quarto diximus ante libro[1];
Quod tamen invitus papa cogente recoepit
Et multis populi Romulei prçcibus.
Qui, si consilium praescisset[a] praesulis ante,
Tunc se subtraheret prorsus ab aecclesia,
Denique sic multis coram iuraverat ipse,
Quamvis illa dies valde foret celebris.
Videris, hoc illi tantum cur displicuisset,
Quod mos est aliis regibus appetere.
Ipse decem post haec et ternos circiter annos
Augusto laetus[b] vixit in imperio.
In quibus antiquas leges correxit[2], in ipsis
Uniri mandans, dissona que fuerant.
Addidit his etiam noviter, quae congrua duxit,
Pauca quidem numero, valde sed utilia;
Cunctorumque sui regni leges populorum
Collegit, plures inde libros faciens.
Nec non, quae veterum depromunt proelia regum,
Barbara mandavit carmina litterulis.
Coepit et ingenii totis cum viribus acris
In linguam propriam vertere grammaticam;
Ardua phylosophis etiam res haec foret, artem
Ad hanc sermonem cogere barbaricum.
Talibus a studiis non regni maxima cura,
Non aetas gravior tum revocavit eum.
Computus[c] annalis fuerat notissimus illi,
Quem rimabatur mente satis vigili;
Sidereos ortus cursus obitusque notabat,
Nullus eum punctus zodiaci latuit.
Et ventis bis sex, totidem quoque mensibus ipse

a. p̄cisset c. b. loetus c. c. Compotus c.

1. supra p. 593 sq. 2. Einharti vit. Car. c. 29.

Francorum lingua nomina composuit.
Illi namque prius menses dixere Latinis
Et partim linguae nominibus propriae;
Ventorum vero proferre vocabula tantum
Norant[a] eloquio quattuor ante suo.
Nonne — videns[b], quantum sudarit in artibus istis —
Proelia vix ab eo quaelibet acta putes?
Rursus, si numeres eiusdem bella, triumphos,
Armis tot regna subdita, tot populos[c],
Otia mireris quando vel parva legendi
Vel quid discendi contigerit spacium.

Cum operis differs huius finire laborem,
Dum Caroli trepidas dicere, mens, obitum,
Sit licet hoc nobis mestum, sit triste, sed ordo
Exigit; idque nihil nos reticere iuvat.
Quin potius dulces lacrimae lugentibus esse
Atque sui gemitus ipsa querela solet.
Ipsius ut regni Hludowicus filius heres[1] 813
Et consors factus, patre iubente, fuit —
Namque hunc augustum sumpto diademate dici
Ut regeret secum iusserat imperium —
Ipse dehinc morbo pariter defessus et aevo,
Alterius vitae tendit ad introitum.
Venatum tamen ex aula perrexit Aquensi,
Autumni lapso tempore iam medio.
Hinc in praedictam rediens se contulit aulam,
Disponens in eo tunc hiemare loco.
At mensis veniens Iani[d] de nomine dictus 814
Acribus hunc subito febribus inplicuit. Ian.
Abstinuitque cibis statim, sic pellere morbos
Vel saltim levius ferre suos solitus.
Sed dolor accedens lateris, iam tempus adesse

a. Norunt *c.* b. videns *correctum est in* vides *in cod.* c. populis *c.* d. iam *c.*

1. Einharti vit. Car. c. 30.

814 Eius decessus, fecerat[a] haud dubium.
Cumque dies senos decumberet, inde secutus
Ian. 28 Septimus huic vitae ultimus extiterat,
In quo, percepto venerando corpore Christi,
Adiungi meruit civibus aethereis.
In templo situs est ibidem, quod condidit ipse;
Quali cum luctu nemo referre valet.
Post octingentos Christi nascentis ab ortu
Hic annus quartus extitit et decimus;
Ipse die quinta decesserat ante Kalendas
Mensis, quo Numa rex februa statuit[b].
Multa propinquantis fuerant praesagia finis[1]
Atque rei tantae congrua prodigia.
Denique defectus solis luneque frequenter
Annis continuis contigit ante tribus.
Septenis ater[c] color est in sole diebus
Visus, lucigenam commaculans faciem.
Porticus immensae molis collapsa repente
Aulae iam dictae omne decus minuit.
Quemque decem Rheni pontem construxerat annis,
Horis consumpsit flamma tribus poenitus;
Nam, nisi quae labens fluvius subtraxerat igni,
Astula nec saltem parva superfuerat.
Ipseque Danorum contra regem Godefridum
Ultima disponens bella senex agere,
Ibat per patriam multo cum milite nostram,
Exiit et castris exoriente die;
Nam tum pallenti spargebat luce serenum
Aera sol superis partibus appropians.
Cernitur a cunctis subito delapsa ruisse
De caelo species sideris ignivomi
Vibratamque facem longo traxisse volatu,
Donec in laevam decidit ipsa plagam.

a. fecere *c*. b. constituit *c*. c. āt *c*.
1. Einharti vit. Car. c. 32.

Hoc admirantem sonipes, quo vectus abibat,
Elisit casu praecipiti graviter;
Denique regalis clamidis hinc fibula rupta
Disruptusque simul balteus est gladii;
Excussumque manu telum, quod forte gerebat,
Invitus longum iecerat in spacium.
Preterea tremor hoc aulae praedixit Aquensis,
Terrificans cunctos motibus insolitis.
Idque domus regis crepitu laquearia[a] crebro
Tactaque signabat fulmine basilica.
In qua per gyrum lucens epygramma canebat,
Aedem quis tantam condiderit Domino,
Idcirco *Carolus princeps* ibi commemoratus
Extremi versus in serie fuerat;
Sed quibus est scriptum *princeps*, mirabile dictu,
Sponte sua poenitus dispereunt apices
Deletique sui vestigia nulla relinquunt
Mensibus haud multis ipsius ante obitum.
Quod quia vis quaedam cunctis incognita fecit,
Tristiciam multis omen hoc intulerat.
Iure mori doluit signis exterritus orbis
Hunc, cui post similem non habiturus erat.
Sed nec in antiquis ducibus seu regibus illo
Omnimodis quisquam clarior enituit.
Romani multis ducibus multisque sub annis
Italiae populos vix sibi subdiderant;
Unus hic in spacio perpauci temporis omnes[b]
Subiecit victor, disposuit dominus.
Adde tot Europae populos, quos ipse subegit,
Quorum Romani nomina nescierant.
Ob hoc, mirificos Karoli qui legeris actus,
Desine mirari historias veterum.
Non Decii, non Scipiadae, non ipse Camillus,

a. laquearia *c.* b. omnē *c.*

Non Cato, non Caesar maior eo fuerat;
Non Pompeius huic merito, vel gens Fabiorum[a]
Praefertur, pariter mortua pro patria.
Terrea forsan eis[b] fuerit par gloria; sed nunc
Caelestis Carolus culmen honoris habet.
Illic Daviticae pollet virtutis honore
Cum Constantino atque Theodosio;
Illic antiquum gaudet quod vicerit hostem,
Eripiens multos ipsius a laqueis;
Illic congaudent illi salvata per ipsum
Munere, Christe, tuo milia spirituum.
Quis numeret: quantas animas, dum credere fecit
Saxonum populos, reddiderit Domino.
Quot nunc aecclesiae fulgent, ubi fana colebant
Antiqui; quot sunt structa monasteria;
Quot laudes in eis vel quot tibi vota fideles
Reddunt, tot Carolo praemia, Christe[c], dabis.
Iudiciique dies cum venerit ultima magni,
Qua reddes omni quod meruit homini,
O quam laetus erit, sibimet commissa talenta
Praesentans grandi multiplicata lucro.
Nullus apostolicis tunc iure propinquior illo,
Ut res ipsa docet, caetibus esse valet.
Nam cum Iudaico processerit agmine Petrus
Stipatus, cuius dogmate crediderat;
Paulus totius, liceat[d] si dicere, mundi
Gentes salvatas duxerit ore suo;
Andreas populos post se producet Achivos;
Iohannes Asiae proferet aecclesias;
Matheus Aethiopes niveos baptismate factos;
Indorum Thomas ducet ad astra greges;
Tum Carolum gaudens Saxonum turma sequetur,
Illi perpetuae gloria laeticiae.

a. fabriorum *c*. b. his *c*. c. xpāe *c*. d. licet *c*.

O utinam vel cunctorum sequar ultimus horum,
  Qui nostro[a] salvi de populo fuerint.
O si, Christe[b], velis haedum transferre sinistrum,
  Me pius ut dextris consocies ovibus;
Quo non mortalis psallam tibi carminis odas,
  Sed laudem valeam dicere perpetuam. Amen.

a. nr̄i *c.* b. xp̄e *c.*

MONACHUS SANGALLENSIS

DE CAROLO MAGNO.

Fabula ut nullo tempore abest a rebus gestis hominum, ita praeclarissimorum virorum actis uberrime succrescere solet, quod quanto latius stupor admiratioque sparguntur, tanto diversius vera rerum memoria obscuratur et inani exsuperatione et auditione prava et fingendi credendique temeritate. Unde minime mirabile est, de Carolo Magno, cuius nomine nullum unquam in terris illustrius fuit, peramplam relationum commenticiarum copiam procedente tempore genitam esse, quin imo iam eodem, quo vivere desierat, saeculo fere prorsus fabulosum de eo exstitisse librum.

Erat enim vergente saeculo illo nono in Sancti Galli coenobio cum aliis viris perfecte eruditis monachus[1] natu grandior[2], non tam sincerae rerum veterum historiae gnarus quam iucundis narratiunculis salsisque dictis refertus. Qui Carolo (Crasso) III imperatori, pronepoti Caroli Magni, mense Decembri anni 883 triduum in monasterio versanti[3], de proavi tem-

1. Scriptor, quem sub „domno Grimaldo“ (abbate S. Galli ab a. 841—872, v. L. I c. 8) et sub „abbate Hartmuto“ (ab a. 872 ad m. Dec. a. 883 abbate eiusdem coenobii, v. L. II c. 10) fuisse constat, sese in L. I c. 38 sic appellat: „ego inclusus“. Et inclusus quidem is monachus vocabatur, qui ex cella sua non excedebat. 2. V. L. II c. 17: „ego balbus et edentulus“. 3. Ratperti casus S. Galli (Mon. Germ. SS. II 74): „contigit domnum imperatorem, de Italia redeuntem, nostrum intrare monasterium; — ipse etiam laetus triduo ibidem permansit“. Concessit tum Carolus, ut Hartmuto abbatia abscedenti die 6 Decembris Bernhardus successor daretur „circa finem anni 883, 6 feria, 8 Id. Dec.“

poribus fabulando haud mediocrem delectationem attulisse videtur. Nam eiusdem imperatoris mandato[1] *complures, quas de illo tenebat, historias conscripsit spatio annorum 884—887*[2]. *Et in tres quidem partes distinxit opus, quae ex totidem auctoribus arcessitae esse feruntur*[3]. *Prima pars enim, quae est „de religiositate et ecclesiastica domini Karoli cura", Werinberti sacerdotis relatui attribuitur*[4]; *alteram „de bellicis rebus" partem effectam esse refert scriptor ex narrationibus quondam sibi puerulo factis ab eiusdem Werinberti patre Adelberto, ante annum 800 Keroldi Hildigardae reginae fratris castra secuto*[5]; *tertia pars „cottidianae Caroli conversationi" destinata*[6], *cuius quis auctor fuerit ignoramus, aut omnino non confecta est aut una cum totius operis praefatione et secundae partis exitu evanuit. Atque quamquam omnis hic scriptor, qui lectores non docere potius quam oblectare vult, in ipsis historicis annumerari non debet, idcirco tamen lectu sane utilis est, quia et magnum argumentum affert, quam vehementer etiam posterorum animi fama Caroli afficerentur, et quandam materiam quoque habet ad res Ludovici I imperatoris et Ludovici II Germanici cognoscendas et mores denique ac proprietates illius aetatis collustrandos.*

Quae antehac factae sunt operis huius editiones[7], *ex una*

1. L. I c. 18: „Nimium pertimesco, o domne imperator Karole, ne, dum iussionem vestram implere cupio" cet. 2. Opusculum post diem 6 Dec. 883 scriptum esse, ex L. II c. 10 intelligimus, ubi sic est: „abba noster Hartmutus, nunc autem vester inclusus (cf. p. 628 n. 3). Proinde, cum Carolum Crassum sciamus m. Novembri a. 887 deiectum esse, illum diem 30 Maii, quo librum in manibus sibi esse protulit scriptor L. I c. 34, ad annorum 884—887 intervallum pertinere patet. 3. L. I c. 34: „In praefatione opusculi tres tantum auctores me secuturum spopondi". 4. L. I c. 34: „terminus libelli istius, qui ex sacerdotis eiusdem (Werinberti) ore de religiositate et ecclesiastica domini Karoli cura processit". 5. L. I c. 34: „Sequens vero (libellus) de bellicis rebus acerrimi Karoli ex narratione Adalberti — cudatur". 6. L. II c. 16: „Sed si bellicis rebus ab eo gestis (cf. supra n. 5) aliquid non subtraxerimus, numquam ad cottidianam eius conversationem revolvendam perducimur". 7. Principem editionem paravit anno 1601 Canisius (Antiquae lectionis T. I 360—428); ceteras anno 1636 Duchesne (Hist. Franc. Script. T. II 107—135), anno 1725 Basnage (Thesaurus monumentorum T. II III 57—84),

codicum manu scriptorum classe pendent, qui quidem Einharti vitam Caroli et annales Einharto ascriptos et monachi Sangallensis laborem coniunctos exhibent ut „Gestorum Caroli“ aut tres aut quatuor libros. Optimus horum codicum, ex quo potissimum novissima editio Pertzii fluxit, est

(H) *codex bibliothecae regiae Hannoveranae, signatus* XIII 858, *membranaceus saec. XII, forma quadrata, ubi Einharti vita Caroli et annales Einharto attributi „liber primus gestorum Karoli“ dicuntur, monachique opus eorundem gestorum liber secundus et tertius. Neque hunc codicem, liberaliter ad me missum, consulere neglexi.*

Praeterea mihi contigit, ut ad alius classis ante id tempus ab editoribus non consultae codices duos aditum haberem, quae a priore classe non verbis modo magnopere differt sed res quasdam etiam complectitur illic deficientes[1]. *Sunt autem hi:*

(Z) *codex quondam Zwifaltensis, hodie bibliothecae regiae Stuttgartensis, membranaceus saec. XII, forma quadrata, notatus* Theol. et Phil. 4 N. 242; *quem ut Berolini usurparem, Chr. Fr. de Stälin voluntate gratissima largitus est;*

(W) *codex olim Wiblingensis*[2], *nunc Sancti Floriani, membranaceus saec. XV, forma quadrata; quo in evolvendo dies aliquot consumpsi superioris anni mense Septembri, usus admodum benevolo suavique Iodoci Stülz reverendissimi S. Floriani praepositi hospitio*[3].

Sed cum neutram codicum classem eiusmodi esse intellexis-

anno 1726 Hahn (Coll. monumentorum veterum T. II 534—598), anno 1744 Bouquet (Recueil des histor. T. V 106—135), anno 1829 Pertz (Monum. Germ. SS. T. II 731—763).

1. Cf. inprimis L. I c. 10 et 26 et L. II c. 7. 2. In eo insunt Hieronymi et Gennadii libri de viris illustribus et monachi Sangallensis opus cum hoc titulo: „Incipiunt gesta Karoli magni regis quondam Francie. postea imperatoris Romanorum, de ferventissimo amatore sapiencie divine ac studii humani et de duobus Scottis de Hibernia ad litus Gallie venientibus et de aliis multis, ut patet intuenti“. 3. Ex codicis S. Floriani lectione desumpsit aliquid Wilhelmus Wattenbach, librum monachi Sangallensis Germanice reddens: Der Mönch von Sanct Gallen über die Thaten Karls des Großen, Berlin 1850.

sem, quae alteram supervacaneam redderet, ex utraque hanc editionem sic efficiendam statui, ut pro earum virtutibus ad posterioris classis codices primus operis liber, et secundus ad codicem prioris classis revocaretur praecipue.

Berolini Nonis Augustis 1867.

LIBER PRIMUS.

I. Omnipotens rerum[a] dispositor ordinatorque regnorum et temporum, cum illius admirandae statuae pedes ferreos vel testaceos comminuisset[1] in Romanis, alterius non minus admirabilis statuae caput aureum per illustrem Karolum erexit in Francis. Ipse enim[b] cum in occiduis mundi partibus solus regnare cepisset, et studia litterarum in omni regno suo[c] propemodum essent in oblivione ideoque verae deitatis cultura teperet, contigit duos Scottos de Hibernia cum mercatoribus Britannis[d] ad litus Galliae devenire, viros et in secularibus et in sacris scripturis incomparabiliter eruditos. Qui cottidie[e], cum nichil ostenderent venale, ad convenientes emendi gratia turbas clamare solebant: *Si quis sapientiae cupidus est, veniat ad nos et accipiat eam; nam venalis est apud nos.* Quam tamen idcirco venalem se habere professi sunt, quoniam[f] populum non gratuita sed venalia querere[g] viderunt; ut vel sic[h] sapientiae sicut ceteris rebus coemendis eos incitarent vel, sicut sequentia comprobant, per tale praeconium in admirationem verterentur[i] et stuporem. Denique tam diu conclamata[k] sunt ista, donec ab admirantibus vel insanos illos putantibus ad aures Karoli regis, semper amatoris et cupidissimi sapientiae, perlata fuissent. Qui sub[l] omni celeritate ad suam eos praesentiam evocatos interrogavit, si veram quidem, ut fama ipse compererit[m], sapientiam secum haberent. Qui dixerunt: *Et habemus eam et in nomine Domini digne*

a. rex *Z.* b. Qui *H. pro* Ipse enim. c. ubique *H. pro* in omni regno suo. d. Britannis *Z.* e. *om. H.* f. quia *H.* g. mercari *H.* h. sic vel *H.* i. verterent *H.* k. clamata *H.* l. cum *H.* m. ceperit *Z,* si vere, ut ipse fama comperit *H.*

1. V. Dan. 2, 31—34.

querentibus dare parati sumus. Qui cum inquisisset ab eis[a], quid pro ipsa precii[b] peterent, responderunt: *Non[c] precium quidem, sed loca tantum oportuna et animas ingeniosas[d], o rex[e], petimus; et sine quibus ista[f] peregrinatio transigi non potest, alimenta quidem et quibus tegamur.* Quo ille ab eis responso percepto[g], ingenti gaudio repletus[h], primum quidem apud se utrumque parvo tempore tenuit. Postea vero, cum ad expeditiones bellicas urgeretur, unum eorum nomine Clementem in Gallia residere fecit[i]; cui et pueros nobilissimos mediocres et infimos satis multos commendavit, et eis, prout necessarium habuerunt, victualia ministrari praecepit, habitaculis oportunis ad meditandum[k] deputatis. Alterum vero in Italiam direxit, cui et monasterium sancti Augustini iuxta Ticinensem urbem delegavit, ut illuc[l] ad eum, qui voluissent, ad discendum congregari potuissent.

II. Audito autem Albinus quidam[m] de natione Anglorum, quod[n] gratanter sapientes viros religiosissimus imperator[o] Karolus susciperet, conscensa navi venit ad eum. Ipse enim[p] erat in omnibus scripturis[q] supra caeteros modernorum temporum exercitatus, ut puta discipulus doctissimi Bedae presbiteri, peritissimi quidem post sanctum Gregorium in scripturis[r] tractatoris. Quem benigne susceptum[s] usque ad finem vitae iugiter secum retinuit, nisi quando copiis[t] ut solebat ad ingentia[u] bella processit; adeo ut semet[v] discipulum eius et ipsum magistrum suum appellari voluisset. Dedit autem illi regimen abbatiae[w] sancti Martini iuxta Turonicam civitatem; ut, quando ipse absens esset, illic requiesceret et ad se confluentes doceret[x]. Cuius in tantum doctrina[y] in discipulis suis[z] fructificavit, ut moderni Galli sive Franci antiquis Romanis vel[a] Atheniensibus equarentur[b].

a. illis *H.* b. *om. H.* c. Non — sed *om. H.* d. animos ingeniosos *H.* e. o rex petimus *om. H.* f. *om. H.* g. accepto *Z;* ab eis responso *om. H.* h. repletur *Z, W.* i. praecepit *H.* k. habitandum *H.* l. illic *W.* m. *om. H.* n. quam *H.* o. regum *H.* p. Qui *H. pro* Ipse enim. q. in omni latitudine scripturarum *H.* r. presbiteri .. peritissimi quidem .. in scripturis *om. H.* s. benigne susceptum *om. H.* t. copiis ut solebat *om. H.;* copiis *om. W.* u. ingruentia *H.* v. se *H.* w. abbatiam *H. pro* regimen abbatiae. x. requiescere — docere deberet *H.* y. sua *add. W.* z. in discipulis suis *om. H.* a. et *H.* b. equaretur *Z.*

III. Cumque victoriosissimus Karolus post longum tempus in Gallias[a] reverteretur, praecepit ad se venire pueros, quos Clementi commendaverat, et offerre sibi epistolas et carmina sua. Mediocres igitur et infimi praeter spem omnibus sapientiae condimentis dulcoratas[b] obtulerunt; nobiles vero omni fatuitate tepentes praesentarunt. Tunc sapientissimus Karolus, aeterni iudicis iusticiam imitatus, bene operatos ad dexteram segregatos his verbis alloquitur[c]: *Multas gratias habete, filii, quoniam*[d] *iussionem meam et utilitatem vestram iuxta possibilitatem exequi intenti fuistis. Nunc ergo ad perfectum attingere studete; et dabo vobis episcopia et monasteria permagnifica, et semper honorabiles eritis in oculis meis.* Deinde ad sinistros magna cum severitate[e] vultum contorquens et flammante intuitu conscientias[f] eorum concutiens, yronice haec terribilia verba[g] tonando potius quam loquendo iaculatus est in illos: *Vos nobiles, vos primorum filii, vos delicati et formosi*[h], *in natalibus vestris et possessionibus*[i] *confisi, mandatum meum et glorificationem vestram flocci pendentes*[k], *litterarum studiis neglectis, luxuriae*[l] *ludo et inerciae vel inanibus exercitiis indulsistis.* Et his praemissis, sub iuramento[m] augustum caput et invictam dexteram ad caelos[n] convertens, sic in eos[o] fulminavit: *Per*[p] *regem celorum! non ego magni pendo nobilitatem et pulchritudinem vestram, licet in his*[q] *alii vos admirentur; et hoc pro certo*[r] *scitote, quia, nisi cito priorem neglegentiam vigilanti studio recuperaveritis, apud Karolum nunquam boni aliquid*[s] *acquiretis.*

IV. De pauperibus ergo supra dictis quendam optimum dictatorem et scriptorem in capellam suam assumpsit; quo nomine Francorum reges propter cappam sancti Martini, quam secum propter[t] sui tuicionem et hostium oppressionem iugiter ad bella[u] portabant, sancta sua appellare solebant. Qui puer[v] —

a. Galliam *H.* b. dulcoratos *Z.* c. allocutus est *H.* d. quia *H.* e. animadversione *H.* f. concientias *Z.* g. *om. H.* h. formosuli *H.* i. in natales vestros et possessiones *H.* k. postponentes *H.* l. *om. W.* m. solitum iuramentum *H.* n. oculos *add. Z, W.* o. sic in eos *om. H.* p. Pre *W.* q. in his *om. H.* r. procul dubio *H.* s. nihil unquam boni *H.* t. ob *H.* u. ad bella *om. Z, W.* v. A quo puero *W.*

cum providissimo[a] regi Karolo quidam episcopus defunctus nunciaretur, et ille interrogaret, utrum de rebus quas possedit pro anima donaverit aliqua[b], legatusque responderet[c]: *Domine, non amplius quam duas libras de argento* — suspirans[d] et vaporem mentis intra pectus continere[e] non valens, audiente rege in hanc vocem prorupit dicens[f]: *Parvum viaticum ad iter longinquum et diuturnum.* Cum[g] moderatissimus hominum Karolus secum[h] deliberasset, dixit ad puerum[i]: *Putasne, quoniam*[k], *si episcopatum illum tu acceperis, plura ad illud longum iter dirigere curabis?* Ille confestim, haec pendentia verba quasi praematuras uvas in os hiantis decidentes devorans, cecidit ad pedes eius et dixit[l]: *Domine*[m], *in Dei nutu et vestra potestate situm est.* Cui[n] rex: *Sta* inquit *post cortinam, quae pendet ad dorsum meum; et ausculta, quot*[o] *adiutores honoris istius habiturus sis*[p]. Audientes itaque palatini recessum episcopi, semper casibus aut certe mortibus aliorum insidiantes, per familiares imperatori personas unus quisque, morarum impatiens et alterutrum[q] invidentes, sibimet episcopatum[r] acquirere satagebant. Sed ille, in consilii sui immutabilitate[s] persistens, denegavit omnibus: dicens, se iuvenculo illi nolle mentiri. Tandem Hildigarda regina misit proceres regni primum, postea vero per se ipsam accessit ad regem, ut impetraret episcopium illud cuidam[t] clerico suo. Cumque[u] peticionem eius iocundissime susciperet dicens, se nihil ei velle aut posse denegare, nisi quod clericulum[v] illum fallere dedignaretur, ut est omnium consuetudo feminarum, ut consilium suum et votum virorum decretis praeponderare velint, dissimulata iracundia mente concepta[w] et grossa voce in exilem[x] conversa, gestibusque languidulis[y] inconvulsos imperatoris animos emollire conata[z], dixit ad eum: *Domine mi rex, quid puero illi*

a. providentissimo *H.* b. de rebus vel laboribus suis ante se praemitteret aliqua *H.* c. legatus respondit *Z, W.* d. et suspirans *W,* ergo puer ille *add. H.* e. recontinere *Z.* f. invitus erupit *H. pro* prorupit dicens. g. Cumque *H.* h. parum *H.* i. eum *H.* k. Putasque ne, quia *H.* l. ei *add. W.* m. hoc *add. H.* n. Et dixit *H. pro* Cui — inquit. o. quantos *H.,* quod *Z.* p. habeas *H.* q. alter alteri *H.* r. *om. H.* s. immobilitate *H.* t. *om. H* u. ille *add. H.* v. clericum *W.* w. recepta *W.* x. exiliē *Z.* y. languidilis *Z.* z. temptata *H.*

episcopatus ille[a] *ad perdendum? Sed obsecro, domine dulcissime, gloria mea et refugium meum, ut detis illum*[b] *famulo vestro fideli, clerico illi meo.* Tunc adolescens ille, quem post cortinam, iuxta quam rex consederat, stare praecepit, ut audiret quomodo singuli supplicarent, cum ipsa cortina eum[c] circumplexus, in hos questus erupit: *Domine rex, tene fortitudinem tuam, ne potestatem*[d] *a Deo tibi collatam de manibus tuis quisquam extorqueat.* Tunc vocavit eum in palam fortissimus veritatis amator, et dixit illi[e]: *Habeas illud volo episcopium*[f]*; et provideas*[g] *diligenter, ut maiores expensas et viaticum ad illud iter longum et inrevocabile ante me et te praemittas.*

V. Erat quidam clericus in comitatu regis vilis et abiectus et scientia litterarum non satis instructus. Quem piissimus Karolus, paupertati eius compassus, licet omnes eum odio haberent et expellere niterentur, nunquam tamen ullius suasu abiecit vel a conspectu suo amovit[h]. Accidit autem, ut in vigilia sancti Martini quidam episcopus imperatori nunciaretur defunctus. Qui vocavit ad se unum de clericis suis, nobilitate et doctrina non mediocriter praeditum, et dedit illi episcopatum illum[i]. Qui, laeticia resolutus, convocavit ad mansionem suam multos de palatinis; plurimos etiam, de parrochia illa venientes ad se, cum grandi fastu suscepit; et cunctis permagnificum fecit[k] convivium. Dapibus igitur praegravatus, mero ingurgitatus vinoque sepultus, nocte illa[l] sanctissima ad nocturnas vigilias venire neglexit. Fuit autem consuetudo, ut magister scolae designaret pridie[m] singulis, quod responsorium cantare deberent in nocte. Huic autem, qui iam episcopatum manu tenebat[n], responsorium: *Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius*[o] erat iniunctum. Cum ergo defuisset ille, et post lectionem diuturnum silentium transiret, et ad sublevandum responsorium se alterutrum cohortarentur, et alius atque alius se sibi traditum[p] debere cantare Nov. 10

a. episcopatum illum *H.* b. illud *Z, W.* c. ipsum *H.* d. tuam *add. Z, W.* e. ei *H.* f. Habeas episcopatum illum *H.* g. provide *H.* h. nunquam tamen persuaderi potuit, ut ipse illum abiceret vel a sectatu suo removeret *H.* i. suum *Z, W.* k. parari *add. H.* l. *om. Z.* m. *om. Z, W.* n. qui episcopatum iam quasi in manu retinebat *H.* o. sum necessarius *om. H.* p. suum *H. pro* sibi traditum.

diceret responsorium, tandem[a] imperator: *Cantet* ait *aliquis vestrum*[b]. Tunc abiectus ille, numine divino confortatus et tali auctoritate roboratus, responsorium[b] imposuit. Mox clementissimus rex, non sperans quod[c] totum canere nosset, iussit eum adiuvari[d]. Cumque omnes instanter[e] cantarent et ille miserabilis a nullo versum perdiscere potuisset, finito[f] responsorio, coepit orationem dominicam congrua modulatione[g] psallere. Omnibus autem[h] illum tanquam fallentem[i] impedire volentibus, probare volens sapientissimus Karolus ad quem finem ille venturus esset[k], prohibuit, ne quis ei molestus esset. Quo versum in haec verba concludente: *Adveniat regnum tuum*, caeteri vellent nollent respondere coacti sunt: *Fiat voluntas tua.* Finitis[l] matutinis laudibus, cum rex ad palatium vel caminatam dormitoriam calefaciendi et ornandi se gratia propter instantem[m] festivitatis honorem rediret, praecepit ad se venire[n] illum abiectum famulum[o] sed novum cantorem, et ait illi: *Quis te iussit responsorium illud cantare*[p]*?* Pavefactus[q] ille respondit: *Domine, vos praecepistis ut cantaret*[r] *aliquis.* Et dixit rex — quod nomen imperii veteribus in usu fuit —: *Quis de his*[s] *demonstravit tibi versum illum?* Tunc ille verba, quibus eo tempore superiores ab inferioribus honorari demulcerique vel adulari solebant, instinctu Dei ut creditur animatus, hoc modo labravit[t]: *Laete vir domine, laetifice rex, cum a nullo versum alium exquirere*[u] *potuissem, cogitavi in mente mea, si aliquem incongruum arripuissem, offensam dominationis vestrae incurrerem. Idcirco eum cantare disposui, cuius finis iuxta consuetudinem penultimis conveniret responsorii.* Tunc moderatissimus imperator, sensim arridens illi, pronunciavit coram principibus suis: *Superbus ille, qui nec Deum nec praecipuum eius*[v] *amicum timuit nec*[w] *honoravit, ut se vel ad unam noctem a luxuria sua refre-*

a. aliquando dixit *add. H.* b. *om. H.* c. putans quia *H.* d. adiuvare *H.* e. Cumque alii *H.* f. cantato *H.* g. mudulatissime *H. pro* congrua modulatione. h. vero *H.* i. tanquam fallentem *om. H.* k. perveniret *H.* l. autem *add. H.* m. pro tantae festivitatis honore *H.* n. vocare *H.* o. veterem illum famulum *H.* p. canere *H.* q. Pavefactus — aliquis *om. Z.* r. cantet *H.* s. Bene! atque addidit: Quis *H.* t. liberavit *Z,* hoc modo se liberavit *W.* u. inquirere *H.* v. illius *H.* w. vel *H.*

naret, quatenus responsorium, quod sicut audio debuit cantare, saltim incipere occurrisset, divino et meo iudicio careat episcopatu; et tu illum, Deo donante et me concedente, iuxta canonicam et apostolicam auctoritatem regere curato.

VI. Defuncto quoque alio pontifice, quendam iuvenem in loco[a] eius substituit imperator. Qui cum laetus ad abeundum exiret, et ministri eius iuxta gravitatem episcopalem caballum et[b] ad ascensionem[c] gradus adducerent, indignatus ille, quod quasi pro infirmo eum habere voluissent, de plana terra ita super eum assiliit[d], ut vix se retineret in eo, ne in alteram[e] partem decideret. Quod per cancellos palatii rex prospiciens, cito illum ad se vocari praecepit, et sic eum[f] allocutus est: *Bone vir, celer es et agilis, pernix et praepes. Utique[g] ipse nosti, multis bellorum turbinibus undique serenitatem[h] nostri imperii turbari. Idcirco opus habeo clerico tali in comitatu meo. Esto igitur interim socius laborum nostrorum, dum tam celeriter ascendere potes caballum tuum.*

VII. Quod de ordinatione lectionum oblitus sum dicere, cum de responsoriorum[i] dispositione narrarem[k], hic paucis liceat absolvere. Nullus in basilica doctissimi Karoli lectiones cuiquam recitandas iniunxit, nullus ad terminum vel ceram imposuit vel[l] saltim unguibus quantulumcumque signum impressit; sed cuncti omnia, quae legenda erant, ita sibi nota facere curaverunt, ut, quando inopinato legere iuberentur, inreprehensibiles apud eum invenirentur. Digito autem vel baculo protento, vel ex latere suo ad procul sedentes aliquo directo, demonstravit, quem legere[m] voluisset. Finem vero lectionis sono gutturis designavit. Ad quem universi ita intente suspensi sunt, ut, sive finita sententia sive in media distinctione sive subdistinctione significaret, nullus sequentium[n] superius aut inferius[o] incipere praesumeret, quantumcumque incongruum inicium vel finis videretur[p]. Et hoc modo

a. locum *H.* b. et *scripsi pro* ei *Z, W,* eius *H.* c. ascensionum *H.* d. ascendit *H.* e. ulteriorem *H.* f. illum *H.* g. Utque ipse tu nosti *H.* h. serenitas — turbatur *H.* i. responsorii *H.* k. notarem *W.* l. vel — impressit *om. Z, W.* m. oporteret vel *add. Z, W.* n. sequens *H.* o. *om.* *Z, W.* p. incongrua finis aut initium viderentur *H.*

factum est, ut, etiamsi non intellegerent, omnes in[a] palatio lectores optimi fuissent. Nullus alienus, nullus etiam notus, non[b] legere sciens et cantare[c], chorum eius ausus est intrare.

VIII. Cum autem itinerando venisset Karolus[d] ad quandam grandem basilicam, et quidam clericus de circumcellionibus ignarus disciplinae Karoli chorum[e] intraret et nihil unquam de talibus omnino didicisset, in medio cantantium mutus et amens constitit. Ad quem paraphonista levato peniculo ictum ei, nisi cantaret, minabatur. Tunc[f] ille, nesciens quid ageret quove se verteret[g], foras exire non ausus[h], cervicem in modum circuli contorquens et dissolutis maxillis[i] hians, cantandi qualitatem iuxta possibilitatem imitari conabatur. Caeteris ergo[d] risum tenere non valentibus, fortissimus imperator, qui ne ad magnas[k] quidem res a statu mentis suae moveretur, quasi gestum cantationis[l] eius non adverteret, ordinatissime finem praestolabatur missae. Postea vero, vocato ad se[m] misero illo, miseratus[n] labores et angustias illius, hoc modo consolatus est eum: *Multas gratias habeas, bone clerice, pro cantu et laboribus tuis.* Tunc ad sublevandam paupertatem eius iussit ei dari[o] libram argenti.

IX. Ne vero oblivisci vel neglegere videar de Albino[p], hoc vere de industria vel meritis eius agnovi: quod de discipulis eius nullus remansit, qui non[q] abba sanctissimus vel antistes extiterit clarissimus[r]. Apud quem et domnus meus G(rimaldus)[s][1] primo in Gallia, post vero in Italia, liberalibus est disciplinis imbutus. Set ne a scientibus rerum illarum arguar mendacii, quoniam[t] nullum exceperim, fuerunt in scolis[u] eius duo molinariorum filii de familia sancti Columbani, quos quia non congruit ad episcopiorum vel cenobiorum regimen[v] sublevari, tamen, per merita ut creditur magistri sui, praeposituram Bobiensis monasterii unus post unum strennuissime gubernaverunt.

a. eius *add. H.* b. nisi *H.* c. canere *H.* d. *om. Z, W.* e. a chorum ultro *H.* f. Tum *H.* g. vertere posset *H.* h. est *add. Z, W* i. malis *H.* k. parvas *W.* l. coactionis *H.* m. ad se *om. Z, W.* n. a seratusque *H.* o. unam *add. H.* p. de Albino *om. H.* q. vel *add. H* r. sanctissimus *H.* s. G. *om. Z, W.* t. quia *H.* u. scola *H.* v. ta men vel *add. Z, W.*

1. abbas S. Galli 841—872.

Gloriosissimus itaque Karolus, per totum regnum suum studia litterarum florere conspiciens[a] sed ad maturitatem patrum praecedentium non pervenire dolens[b] et plus quam mortalis[c] laborans, in hanc tediatus vocem erupit: *O utinam haberem duodecim clericos tales*[d], *ita doctos et*[e] *omni sapientia tam perfecte instructos, ut fuerunt Hieronimus et Augustinus!* Ad quod doctissimus Albinus, ex ipsorum comparatione merito indoctissimum se[f] iudicans, in quantum nullus mortalium in conspectu terribilis Karoli audere praesumeret, maxima indignatione concepta sed parumper ostensa, respondit: *Creator coeli et terrae similes illis plures non habuit, et tu vis habere duodecim!*

X. Referendum hoc in loco videtur, quod tamen a[g] nostri temporis hominibus difficile credatur, cum et ego ipse, qui scribo, propter nimiam dissimilitudinem nostrae et Romanae[h] cantilenae non satis adhuc credam, nisi quod patrum veritati plus credendum est quam modernae ignaviae falsitati. Igitur indefessus divinae servitutis amator Karolus, voti sui compotem se[i] quantum fieri potuit in litterarum scientia effectum esse[k] gratulatus, sed adhuc omnes provincias immo regiones vel civitates in laudibus divinis, hoc est in cantilenae modulationibus, ab invicem dissonare perdolens, a beatae memoriae Stephano papa — qui, deposito et decalvato ignavissimo Francorum rege Hilderico[1], se[l] ad regni gubernacula antiquorum more patrum perunxit — aliquos carminum divinorum peritissimos clericos impetrare curavit. Qui, bonae illius voluntati et studiis divinitus inspiratis assensum praebens, secundum numerum duodecim apostolorum de sede apostolica duodecim clericos doctissimos cantilenae ad eum in Franciam direxit. Franciam vero interdum cum nominavero, omnes cisalpinas[m] provincias significo. Quia, sicut scriptum est: *In die illa apprehendent decem viri ex omnibus linguis gentium fimbriam viri Iudei*[2], in illo tempore propter excellentiam glorio-

a. concupiscens *Z, W.* b. condolens *H.* c. mortale *H.* d. *om. H.* e. et — instructos *om. H.* f. *om. Z.* g. *om. Z, W.* h. Romanorum *H.* i. *om. H.* k. se *H.* l. qui se *Z, W.* m. cisappinas *Z.*

1. Cf. Einharti Vit. Caroli c. 1 supra p. 510 n. 3. 2. Zachar. 8, 23.

sissimi Karoli Galli[a] Aquitani[b] Edui Hispani Alamanni Baioarii[c] non parum se[d] insignitos gloriabantur, si vel nomine Francorum sevorum[e] censeri mererentur. Cum ergo supra dicti clerici Roma[f] digrederentur — ut semper omnes Graeci et Romani invidia Francorum gloriae carpebantur[g] — consiliati sunt inter se, quomodo ita cantum[h] variare potuissent, ut nunquam unitate[i] et consonantia[k] eius in regno et provincia[l] sua letarentur[m]. Venientes autem ad Karolum, honorifice suscepti et ad praeminentissima loca sunt[n] dispersi; et singuli in locis singulis diversissime, et quam corruptissime excogitare poterant, et ipsi canere et sic alios docere laborabant. Cum vero[o] ingeniosissimus Karolus quodam anno festivitates[p] nativitatis et apparitionis Domini apud[q] Treverense vel Metense oppidum celebrasset, et vigilantissime immo acutissime[r] vim carminum deprehendisset vel potius penetrasset, sequenti vero anno easdem solemnitates Parisius vel Turonis[s] ageret et nihil illius soni audisset, quem priori anno in supradictis locis expertus fuerat, sed et illos quos ad alia loca disperserat[t] cum tempore procedente ab invicem discordare sentiret[u], sanctae recordationis Leoni papae, successori Stephani, rem detulit. Qui vocatos Romam vel exilio vel perpetuis damnavit ergastulis; et dixit illustri Karolo: *Si alios tibi praestitero, simili ut anteriores invidentia caecati, non*[v] *praetermittent*[w] *illudere tibi. Sed hoc modo studiis tuis satisfacere curabo: Da mihi de latere tuo duos ingeniosissimos clericos — ut non advertant, qui mecum sunt, quod ad te pertineant — et perfectam scientiam, Deo volente, in hac re quam postulas assequentur.* Factumque est ita. Et ecce post modicum tempus[x] optime instructos remisit ad Karolum. Qui unum secum retinuit; alterum vero, petente filio suo, Truogone episcopo Metensi[1], ad ipsam direxit aeccle-

a. et Galli et Aquitani — et Hispani — et Baioarii *H.* b. Equitani *Z.* c. Bewarii *W,* Beuouuarii *Z,* Baioarii *H.* d. gloriantes *add. Z, W.* e. sevorum *W. corr. in* suevorum *Z,* servorum *H.* f. Roma — Graeci et *om. Z, W.* g. carperentur *Z, W.* h. *om. Z.* i. unitas *H.* k. conscientia *Z, W.* l. non *add. H.* m. latarentur *H.* n. *om. H.* o. ergo *W.* p. festivitatis *Z.* festivitatem *W.* q. *om. Z.* r. ac citissime *W.* s. Turinis *Z.* t. direxerat *H.* u. comperisset *H.* v. *om. Z, W.* w. permittuntur *Z,* permittentur *W.* x. *om. Z, W.*

1. 823—855.

siam. Cuius industria non solum in eodem loco pollere sed etiam[a] per totam Franciam in tantum coepit propagari, ut nunc usque apud eos, qui in his regionibus Latino sermone utuntur, aecclesiastica cantilena dicatur Metensis, apud nos vero[b], qui Teutonica sive Teuthisca lingua loquimur, Mette[c], vel secundum Grecam dirivationem usitato vocabulo Mettisca nominetur. Sed et[d] piissimus imperator cantorem illum sibi allatum[e], Petrum[1] quidem nomine, Sancti Galli cenobio immorari aliquantisper iusserat. Illic enim et cantarîam[f], sicut hodie est, cum autentico antiphonario locans, Romane cantari doceri et discere[g], quoniam Sancti Galli fautor validissimus fuit, sollicite monuit. Cui etiam in denariis[h] et praediis plura contradidit, mâssilis quidem et raûtinis et alia quaedam; insignem quoque capsam cum reliquiis, quam ipsi Karoli vocant capellam, ex solido auro et gemmis conpactam.

XI. Religiosissimus et temperatissimus Karolus hanc consuetudinem habuit[i], ut in quadragesimae diebus septima[k] hora diei, missarum celebritate pariter cum vespertinis laudibus peracta, cibum sumeret, nec tamen idcirco ieiunium violaret, cum secundum Domini praeceptum ab hora ad horam comederet. Quod episcopus quidam, contra dictum[l] sapientis viri multum iustus et nimium stultus[2], improvide reprehendit. Sapientissimus autem Karolus, indignatione dissimulata, admonitionem eius humiliter suscepit, dicens: *Bene monuisti*[m], *laete vir episcope; ego autem tibi praecipio, ut nichil degustes, antequam extremi officiales, qui sunt in curte mea, reficiantur*[n]. Comedente autem Karolo, ministrabant duces et tiranni vel reges diversarum gentium. Post cuius convivium cum illi comederent, serviebant eis comites et praefecti vel diversarum dignitatum proceres. Ipsis quoque manducandi finem facientibus, militares viri vel scola-

a. et *H.* b. autem *H.* c. loquimur, aut vernacule Met aut Mette *H.* d. Sed et — conpactam *om. H.* e. allectum *Z,* allatum *W.* f. cantarium *Z,* cantarîam *W.* g. iusserat *add. W.* h. donariis *W.* i. habebat *H.* k. octava *H.* l. interdictum *H.* m. admonuisti *H.* n. reficiant *H.*

1. De quo v. Ekkehardi IV Cas. S. Galli, Mon. Germ. SS. II 102.
2. Eccle. 7, 18: „et noli esse stultus".

res[a] alae[b] reficiebantur. Post hos omnimodorum officiorum magistri, deinde ministri, post[c] inde vero eorundem ministrorum ministri; ita ut ultimi ante noctis medium non manducarent. Cumque iam prope finita esset quadragesima, et praefatus episcopus in tali castigatione permansisset, dixit ad illum clementissimus Karolus: *Ut puto, probasti episcope, quia non intemperate*[d] *sed providentiae gratia ante vespertinam horam convivor in quadragesima.*

XII. Ab[e] alio quoque episcopo cum benedictionem peteret, et ille, signato pane, primum sibi perciperet deinde honestissimo Karolo porrigere voluisset, dixit ei: *Habeas tibi totum panem illum.* Et sic, eo confuso, benedictionem illius accipere noluit.

XIII. Providentissimus Karolus nulli comitum, nisi his[f] qui in confinio vel termino barbarorum constituti erant, plus quam unum comitatum aliquando concessit; nulli episcoporum abbatiam[g] vel aecclesias ad ius regium pertinentes nisi ex certissimis causis unquam permisit. Cumque a consiliariis suis[h] sive a[h] familiaribus[i] interrogaretur, cur ita faceret, respondit: *Cum illo fisco vel curte, illa abbatiola vel aecclesia, aeque*[k] *bonum vel meliorem vasallum, quam ille comes aut episcopus sit*[l], *fidelem mihi facio*[m]. Ex certis[n] autem causis quibusdam plurima tribuit; ut puta Uodalrico, fratri magnae Hildigardae, genitricis regum et imperatorum. De quo, cum post obitum ipsius Hildigardae[1] pro quodam commisso a Karolo viduaretur honoribus, quidam scurra in auribus misericordissimi Karoli proclamavit: *Nunc habet Uodalricus honores perditos in oriente et occidente, defuncta sua sorore*[2]. Ad quae verba illacrimatus, ille pristinos honores statim fecit illi restitui. Ad sancta etiam loca, dictante

a. scalares *W.* b. *in nonnullis codicibus* aulae *legitur.* c. post inde — ministri *om. Z, W.* d. intemperantiae *H.* e. Ab alio — accipere noluit *om. Z, W.* f. *om. Z, W.* g. abbateiam *H.* h. *om. H.* i. suis *add. H.* k. tam *H.* l. est *H.* m. acquiro vel facio *Z, W.* n. Ex certis — apparebit *om. Z, W.*

1. mortuae d. 30 Apr. 783. 2. De his verbis cf. Müllenhoff und Scherer Denkmäler deutscher Poesie und Prosa p. 12 et 274.

iusticia, liberalissimas manus patenter aperuit; ut ex sequentibus apparebit.

XIV. Erat quoddam episcopium itineranti Karolo nimis obvium vel magis inevitabile. Episcopus vero loci illius, cupiens semper[a] satisfacere, cuncta quae habuit[b] in eius obsequium profligavit[c]. Cum autem quodam tempore insperato imperator veniret, tunc[d] episcopus[e] conturbatus, more hirundinis huc illucque discurrens et non solum basilicas vel domos sed et curtes ipsasque plateas verri faciens et purgari, valde lassus et indignatus obviam illi processit. Quod cum piissimus adverteret Karolus, oculos in diversa iaciens et singula quaeque perlustrans, dixit ad antistitem: *Semper, hospes optime, bene omnia ad nostrum introitum facis emundari.* Ille, quasi divinitus allocutus[f], conquiniscens[g] et invictam dexteram complexus et[h] deosculans, indignatione quantum potuit occultata, respondit: *Iustum est, domine, ut, quocumque veneritis vos, omnia expurgentur usque ad fundum.* Tunc sapientissimus regum Karolus[i], de aliis alia intellegens, dixit ad eum: *Si evacuare novi, et replere didici.* Et adiecit: *Habeas fiscum illum episcopio*[k] *tuo proximum et omnes successores tui usque in seculum.*

XV. In[l] eadem quoque profectione inopinato venit ad quendam episcopum in loco inevitabili constitutum. Cumque ipso die carnes quadrupedum aut volatilium comedere noluisset, quia sexta esset feria, pontifex ille iuxta facultatem loci ipsius, cum repente pisces invenire nequisset, optimum illi caseum et ex pinguedine canum iussit apponi. Moderatissimus autem Karolus ubique et in omnibus institutus, verecundiae praesulis parcens, nihil aliud requisivit; sed assumpto cultello, abhominabili ut sibi videbatur erugine proiecta, albore casei vescebatur. Episcopus autem, qui more famulorum propter astabat, propius accedens dixit: *Cur ita facis, domne imperator? Nam, quod proicis, illud optimum est.* Tunc ille, qui fallere nesciret et a nullo se falli

a. illi *H. pro* semper. b. habere potuit *H.* c. vel expendit *add. W.* d. tum vere *H.* e. ille *add. H.* f. *om. Z, W.* g. caput inclinans *add. W.* h. *om. H.* i. sapientissimus K. regum *Z;* Karolus *om. H.* k. episcopatui *H.* l. *caput* 15 *om. Z, W.*

posse putasset, iuxta suadelam episcopi eruginis illius partem in os proiecit et sensim masticans in modum butyri degluttivit. Et episcopi consilium probans, dixit: *Verum, bone hospes, dixisti;* addiditque: *Omnibus annis duas carradas talibus caseis plenas ad Aquasgrani mihi dirigere ne praetermittas.* Ad cuius impossibilitatem rei consternatus, episcopus, quasi in periculo status et ministerii sui constitutus, ei suggessit: *Domine, caseos acquirere possum; sed nescio, qui eiusmodi sunt, qui vero aliter. Et timeo, ne reprehensibilis inveniar apud vos.* Tum Karolus, quem insueta atque incognita nequaquam fugere vel latere potuissent, dixit episcopo, in talibus enutrito et adhuc earundem rerum nescio: *Incide omnes per medium; et quos tales perspexeris, acuminato ligno coniunge et in cubam missos dirige mihi; alios autem tibi et clero vel familiae tuae reserva.* Quod dum per duos annos factum fuisset, et rex talia munera dissimulanter accipi iuberet, tercio anno iam venit episcopus et per se ipsum tanto labore et tam longe adducta repraesentare curavit. Tunc equissimus Karolus, curis et laboribus eius compassus, dedit ad eundem episcopatum optimam curtem, unde frumentum et vinum ad suas et suorum necessitates ipse et successores eius habere potuissent.

XVI. Quia retulimus, quomodo sapientissimus Karolus humiles[a] exaltaverit, referamus etiam, qualiter superbos humiliaverit. Fuit quidam episcopus, vanae gloriae et inanium rerum valde[a] cupidus. Quod sagacissimus Karolus deprehendens, praecepit cuidam Iudeo mercatori, qui terram repromissionis sepius[a] adire et inde[a] ad cismarinas provincias multa preciosa et incognita solitus erat afferre, ut eundem episcopum[a] quolibet modo deciperet aut illuderet. Qui, comprehendens unum[a] murem domesticum, diversis aromatibus condivit et praefato episcopo venalem apportavit; dicens, se de Iudea illud preciosissimum animal et ante non visum adtulisse. Ille, ad rem tantam gaudio repletus, optulit ei tres libras de argento[b], ut carissimum illud munus deberet accipere. Tunc dixit Iudeus: *Quam decorum*

a. *om. Z, W.* b. de argento *om. Z, W.*

precium pro tam caro[a] *munere! Prius hoc in profundum maris proicio, quam quilibet hominum tam vili et*[b] *turpissimo precio illud acquirat.* Ille, qui multa habebat[c] et nichil pauperibus unquam praebuerat[d], promisit ei decem libras, ut incomparabilem illam[e] rem posset accipere. Tunc astutus homo ille[e], indignatione simulata, dixit[f]: *Nolit*[g] *Deus Abraham, ut ita perdam laborem meum*[h] *et subvectionem meam.* Tunc avarus ille episcopus[i], tam[k] carum munus inhians, proposuit ei viginti libras. Iudeus ergo turbidus[l], murem preciosissimo serico involvens, cepit abire. Episcopus vero[h], quasi deceptus sed vere decipiendus, revocavit eum[m] et dedit ei plenum modium de argento, ut preciosissimo illo munere potiri potuisset. Tandem igitur mercator ille, multis precibus ambitus, vix[n] concessit; et acceptum argentum imperatori pertulit et omnia supra dicta narravit. Post dies autem non multos convocavit rex omnes episcopos et proceres eiusdem provinciae ad colloquium suum; et post multa tractata[o] necessaria praecepit afferri totum illud argentum et in medio palacio poni. Tunc sic pronuntians ait: *Vos, patres et provisores nostri episcopi, pauperibus immo Christo in ipsis debuistis ministrare, non inanibus rebus inhiare. Nunc autem, in contrarium cuncta vertentes, cenodoxiae vel avariciae super omnes mortales intenditis.* Et adiecit[p]: *Unus vestrum*[q] *tantum argenti pro mure uno domestico pigmentato*[r] *cuidam dedit Iudeo.* Ille autem, qui tanto flagicio deceptus erat, ad pedes eius corruens, veniam pro commisso precabatur. Quem ipse, digna invectione coercitum, confusum[s] permisit abire.

XVII. Idem quoque episcopus, cum bellicosissimus Karolus in bello contra Hunos esset occupatus, ad custodiam gloriosissimae Hildigardae relictus est. Qui cum familiaritate illius animari coepisset, in tantam progressus est proterviam, ut virgam auream incomparabilis Karoli, quam ad statum suum fieri iussit,

a. decori *W, corr. in* dedecori *Z,* caro *H.* b. et turpissimo *om. Z, W.* c. haberet *H.* d. tribueret *H.* e. *om. Z, W.* f. profatus est *H.* g. Non velit *H.* h. *om. H.* i. clericus *H.* k. ad tam *W.* l. turpidus *H.* m. *om. Z.* n. egre *add. H.* o. necessaria pertractata *H.* p. Et adiecit *om. Z, W.* q. ex vobis *H.* r. pigmentis temperato *H.* s. *om. Z, W.*

feriatis diebus vice baculi ferendam pro episcopali ferula improbus[a] ambiret. Quae, illum callide deludens, dixit, non audere se eam cuilibet homini dare, sed tamen fidam se adlegationem[b] eius causae apud regem fore. Veniente autem eo, suggessit illa ilocalariter, quae amens postulavit episcopus. Cuius peticioni iocundissime[c] rex assentiens[d], promisit etiam, se plus facturum quam illa[e] peteret. Cum autem cuncta pene Europa ad triumphatorem tantae gentis Karolum convenisset[f], pronuntiavit haec in auribus maiorum et minorum: *Episcopi contemptores huius mundi debuerunt esse et alios exemplo sui ad appetenda celestia provocare. Nunc vero prae caeteris mortalibus tanta ambitione corrupti sunt, ut quidam ex eis, non contentus episcopatu, quem in prima sede Germaniae*[1] *retinet, sceptrum nostrum, quod pro significatione regiminis nostri aureum ferre solemus, pro pastorali baculo, nobis ignorantibus, sibi vendicare voluisset.* Reus, reatum suum cognoscens[g], indulgentia percepta, recessit.

XVIII. Nimium[h] pertimesco, o domne imperator Karole, ne, dum iussionem vestram implere cupio, omnium professionum et maxime summorum sacerdotum offensionem incurram. Sed tamen de his omnibus non grandis mihi cura est, si tantum vestra defensione non destituar.

Precepit aliquando[i] religiosissimus Karolus imperator, ut omnes episcopi per latissimum regnum suum aut ante praefinitum diem, quem ipse constituerat, in aecclesiasticae sedis basilica praedicarent aut, quicumque non faceret, episcopatus honore careret. Sed quid dico: *honore?*[k] cum apostolus protestetur: *Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*[2]. Sed vere vobis, serenissime regum[l], occulte fateor: quia magnus honor in eo; opus vero bonum nec minimum requiritur in illo[m]. Supra dictus igitur episcopus[n], primo[o] ad tale praeceptum conterritus, cum nichil aliud sciret nisi deliciis affluere et superbia[p],

a. improbis *Z.* b. allegationem *Z,* adlegationem *W,* legationem *H.* c. *om. Z, W.* d. assensus *H.* e. ille *H.* f. venisset *Z.* g. recognoscens *H.* h. Nimium — destituar *om. Z, W.* i. *om. H.* k. honorem *H.* l. serenissime regum *om. H.* m. in illo *om. H.* n. *om. H.* o. primas *H.* p. superbire *H.*

1. Moguntina. 2. 1 Timoth. 3, 1.

timens autem, ne, si episcopatu careret, luxuria sua pariter viduaretur, vocavit duos de primoribus palatinis ad diem festum, et post lectionem euangelii ascendit in[a] gradus, quasi ad alloquendum illum[b] populum. Cumque ad tam inopinatam rem omnes admirati concurrerent, excepto uno pauperculo valde rufo, galliculа[c], quia pilleum non habuit et de colore suo nimium[d] erubuit, caput induto, tunc[e] dixit — nominetenus[f] non re vera episcopus — ad hostiarium vel scarionem[1] suum, cuius[g] dignitatis aut ministerii viri apud antiquos Romanos ediliciorum[h] nomine censebantur: *Voca* ait[i] *ad me pilleatum illum hominem, qui stat iuxta ostium ecclesiae.* Festinans ille mandatum domini implere[k], apprehendens miserum, coepit trahere illum ad episcopum. Qui timens, ne gravi[h] multaretur vindicta, quod tecto capite stare in domo Dei praesumeret[l], totis viribus coepit reniti, ne quasi ad tribunal severissimi iudicis traheretur[m]. Tunc episcopus, de eminentioribus prospiciens et nunc vasallum suum alloquens nunc illum[h] misellum[n] increpitans[o], excelsa voce clamando[h] praedicavit: *Attrahe illum huc*[i]*; cave ne*[p] *dimittas! Velis nolis, huc debes venire.* Cum ergo aut vi aut metu devictus appropinquaret, dixit episcopus: *Accede propius; appropinqua*[q] *etiam!* Atque deinde apprehensum capitis tegmen abstraxit[r], et ad plebem proclamavit: *Ecce*[h] *videtis o populi; rufus iste ignavus est.* Et reversus ad altare, solemnia consecravit vel se[h] consecrare[s] simulavit. Talibus ergo missis ad finem perductis, ingrediuntur in aulam, variis tapetibus et omnigenis ornatam palliis; ubi oppipare[t] illud convivium, auro vel argento sive gemmeis vasis innisum[u], fastidio vel nausea laborantes in sui desiderium possit[v] allicere. Sedebat autem ipse super mollissimas plumas[w], preciosissimo serico vestitus[x], imperatoria purpura indutus, ita ut

a. ad *H.* b. *om. H.* c. caligula *Z, W.* d. nimius *Z, W.* e. *om. H.* f. nominetenus — episcopus *om. Z, W.* g. quo *W.* h. *om. Z, W.* i. *om. H.* k. complere *H.* l. praesumpserit *H.* m. duceretur *H.* n. suum *add. W.* o. increpans *Z, W.* p. *om. Z.* q. Appropinqua — Atque *om. Z, W.* r. extraxit *H.* s. consecrasse *H.* t. oppidare *Z,* opipare *W.* u. immissum *H.* v. posset *H.* w. ipse mollissimis plumis *H.* x. vestitis exstructus *H.*

1. Schergen. Cf. Grimm Deutsche Rechtsalterthümer (ed. 2) p. 882.

nichil illi nisi sceptrum[a] et nomen regium deesset; ditissimorum militum cohortibus septus, in quorum comparatione illi palatini, hoc est invictissimi[b] Karoli proceres, vilissimi sibimet ipsis viderentur. Qui[c] cum post admirabile illud et regibus inusitatum convivium licentiam abeundi peterent, ille, ut eis magnificentiam suam et[d] gloriam[e] manifestius ostenderet, iussit procedere peritissimos cantandi magistros cum omnibus organis[f] musicorum, de quorum vocibus et sonitu fortissima quoque[g] corda mollescerent[h] et liquidissima Reni fluenta durescerent[i]. Potuum vero diversissima genera, variis pigmentis aut medicaminibus contemperata, herbis et floribus, gemmarum vel auri fulgorem in se trahentibus suumque ruborem illis infundentibus, coronata[k], restagnantibus iam stomachis, tepebant in manibus. Interea vero pistores, lanii, coqui et[k] fartores plenis ventribus omnimoda[l] gulae irritamenta exquisitis artibus praeparabant, qualis nunquam coena magno Karolo composita est. Mane autem facto, cum aliquantisper ad sobrietatem rediret episcopus et luxum, quem pridie coram satellitibus imperatoris expenderat, perhorresceret[m], iussit eos adduci ad se; et regiis muneribus honoratos adiuravit: ut de se bona et modesta[n] apud terribilem Karolum narrare dignarentur et quia[o] publice in aecclesia ipsis[p] audientibus praedicaret[q]. Quos cum reversos imperator interrogaret, cur eos episcopus ille[r] vocaret, procidentes ad eius pedes dixerunt: *Domine, ut nos in vestro nomine supra mediocritatem nostram honoraret.* Et adiecerunt: *Fidelissimus vobis est et omnibus vestris optimus ille episcopus summoque sacerdotio dignissimus. Nam si nostrae vilitati credere dignamini*[s], *fatemur sublimitati vestrae, quoniam*[t] *declamatorie audivimus illum praedicare.* Cumque imperator, imperitiae illius non ignarus[u], de modo praedicationis interrogaret[v], illi, fallere non audentes[w], omnia

a. illud *add. H.* b. invicti *Z, W.* c. Cui *Z.* d. et et *W.* e. suam iterum *add. Z, W.* f. organicis *Z.* g. *om. H.* h. mollesceret *Z.* i. durescerct *Z.* k. *om. Z, W.* l. omnia *Z, W.* m. perhorrere coepisset *H.* n. modestia *Z.* o. quae *Z, W.* p. illis *Z, W.* q. non testari *add. Z, W.* r. *om. Z, W.* s. dignaremini *W.* t. quam *W.* u. eius imperitiae conscius *H.* v. inquireret *H.* w. et illi eum fallere non auderent *H.*

per ordinem retexuerunt. Tunc intellegens, timoris sui causa magis[a] aliquid illum loqui conatum quam praeceptum suum praetermittere ausum, licet indignum, retinere permisit episcopatum[b].

XIX. Post tempus vero non longum cum quidam iuvenis, cognatus regis, optime in quadam festivitate caneret Alleluia, dixit imperator ad eundem episcopum: *Bene cantavit modo ille noster clericus.* Qui, iuxta stulticiam suam ioculariter illa verba suscipiens, et illum imperatoris cognatum esse[c] nesciens, respondit: *Sic omnes perriparii[d] possunt bubus agricolantibus veternare[e].* Ad quod responsum improbissimum fulmineas in eum acies imperator intorquens attonitum terrae prostravit.

XX. Fuit alius episcopus parvissimae civitatulae, qui se, dum adhuc in carne viveret, non apostolorum et martyrum more intercessorem ad Deum haberi[f] sed ipse divinis cultibus voluit honorari. Sed talem superbiam hoc modo statuit[g] occultare, ut sanctus Dei[h] diceretur, ne omnibus abominabilis cum idolis gentium reputaretur. Hic habuit unum vasallum, non ignobilem civium suorum, valde strennuum et industrium[i]; cui tamen ille, non dicam aliquod beneficium, sed ne ullum quidem aliquando blandum sermonem impendit. Qui, nesciens quid agere posset ut immites eius animos placaret, excogitavit, ut, si aliquod signum in nomine illius se fecisse comprobaret, ad gratiam ipsius[k] pervenire valeret. Cum ergo de domo sua ad episcopum venire disponeret, assumpsit duas caniculas in manu sua, quas Gallica lingua veltres nuncupat[l], quae, agilitate sua vulpes et ceteras minores bestiolas facillime capientes, caras[m] etiam et alia volatilia ascensu celeriore sepe[n] deciperent[o]. Et dum in via vulpem muribus insidiantem videret, ex improviso canes illi tacitus immisit. Quae, volatu rapidissimo ruentes post illam, intra iactum[p] sagittae comprehenderunt. Ipse quoque[q] cursu praepeti subsecutus[r], vivam et sanam dentibus canum et[s] unguibus excussit.

a. *om. H.* b. pontificatum *H.* c. *om. H.* d. *in margine* pastores *add. W.* e. vetrenere *H.* f. habere *Z, W.* g. studuit *H.* h. *om. Z, W.* i. et industrium *om. Z, W.* k. illius *W.* l. nuncupant *H.* m. quacaras *H.* n. *om. Z.* o. fallerent *H.* p. ictum *W.* q. *om. Z, W.* r. consecutus *H.* s. vel *H.*

Canes autem ubi potuit abscondens, tripudians cum illo munere ad dominum suum introivit; et suppliciter infit: *Ecce, domine, quale munus ego pauperculus acquirere potui.* Tunc episcopus, parum arridens, interrogavit, quomodo illam ita sanam comprehenderet[a]. At[b] ille, propius accedens et per salutem ipsius domini sui[c] iurans quod veritatem non celaret, intulit: *Domine, per[d] campum istum caballicans, et vulpem istam non longinquam[e] aspiciens, laxis habenis post illam tendere coepi. Porro, cum ipsa tam perniciter[f] aufugeret, ut vix eam videre iam potuissem, elevata manu adiuravi illam dicens: „In nomine domini mei Rechonis[1] sta et non movearis ultra". Et ecce quasi catenis obligata stetit in loco fixa[g], donec eam quasi ovem derelictam[h] tollerem.* Tunc ille, inani gestione perflatus, dixit coram omnibus: *Nunc apparet sanctitas mea, nunc scio quis sim, nunc agnosco quid futurus sim.* Ex illo die exosum illum hominem super omnes familiares suos miro coluit amore.

XXI. Hec, quia ita se obtulit occasio, extrinsecus cum sint inserta[i], non ab re videtur, etiam caetera, quae hisdem temporibus memoria digna sunt gesta, stili[k] officio religare. Erat[l] quidam episcopus in Francia nova mirae sanctitatis et abstinentiae, incomparabilis etiam liberalitatis[m] et misericordiae. Cuius bonitate[n] invidus omnis iusticiae hostis antiquus[o] nimium exasperatus tale illi desiderium edendae carnis in diebus quadragesimae inmisit, ut absque recrastinatione se moriturum putaret, nisi eiusmodi recrearetur edulio. Consilio tamen[p] multorum sanctorum et venerabilium patrum[q] et sacerdotum roboratus, ut carnes pro recuperatione sanitatis acciperet et postea per totum annum more solito se maceraret, ne ipsis inoboediens et vitae suae perditor[r] inveniretur, eorum cedens auctoritati[s] et

a. comprehenderit *W.* b. Ad *Z.* c. domini sui *om. Z, W.* d. *om. Z, W.* e. longe *H.* f. pertinaciter *Z, W.* g. fixo *Z, W.* h. quasi ovum derelictum *H,* quasi derelictam *Z, W.* i. Hoc — extrinsecus inserto *H.* k. mei *add. Z.* l. autem *add. W.* m. liberalitatis et *om. Z, W.* n. bonitati *Z, W.* o. *om. Z, W.* p. tandem *H.* q. patrum et *om. H.* r. proditor *H.* s. auctoritate *Z.*

1. Rechonem tempore Caroli M. episcopum ecclesiae Argentinensis fuisse constat.

ultima necessitate coactus[a], parum quid de quadrupedante carne[b] misit in buccam. Quod cum masticare coepisset[c] et gustum illius sensu palati tenuissime percepisset, tanto mox[d] fastidio vel odio non solum carnium seu caeterarum escarum sed et lucis ipsius et vitae praesentis cum salutis suae desperatione correptus est, ut ultra nec manducare vellet nec[e] bibere, aut spem suam in salvatore perditorum ponere confideret. Cum autem haec prima ebdomada quadragesimae gererentur, suggerebant ei praefati patres, ut[f], quoniam diabolica se illusione deceptum cognosceret, acrioribus ieiuniis et contricione cordis elemosinarumque largitate momentaneum illud peccatum superducere extenuare vel abluere niteretur. Qui — ut erat optime institutus[g] cunctis[h], eorum consilio[i] parens, ut et diaboli maliciam confunderet et apud innocentiae restitutorem commissi veniam impetraret, biduanis vel triduanis ieiuniis se[k] affligens, somni quietem fugiens, pauperibus et peregrinis per se ipsum cottidie ministrans eorumque pedes abluens, vestesque et pecunias iuxta facultatem[l] illis offerens et ultra etiam[h] impendere volens — die sancto sabbati paschalis plurima dolia de tota[m] civitate postulavit, et[m] calidas balneas a mane usque ad vesperam cunctis indigentibus exhibere curavit, et colla singulorum ipse manu sua rasit, et purulentas scabies et hirsutorum[n] corporum vepres unguibus extraxit, et ungentis delibutos candidis vestibus quasi modo regeneratos induit. Cum autem sol appropinquaret occasui, et nullus iam maneret[o] qui talibus indigeret obsequiis, intravit ipse in balneum; et exiens, mundata conscientia, mundissimis opertus est lineis, ut iudicio sanctorum episcoporum solemnia populo celebraret. Cumque iam ad aecclesiam procederet, callidus adversarius — propositum illius violare cupiens, quasi[p] contra votum suum aliquem pauperem non lotum episcopus dimitteret — assumpta specie foedissimi luridissimique leprosi, sanie[q] fluvidi,

a. constrictus *H.* b. carnis *Z.* c. coepit *H.* d. tedio *H. pro* mox. e. aut *H.* f. *om. Z.* g. instructus *H.* h. *om. H.* i. consiliis *W.* k. se *om. Z.* l. suam *add. H.* m. *om. Z, W.* n. et purulentias scabiesque per hirsutorum *H.* o. remaneret *H.* p. ut *H.* q. sanie fluvidi *om. Z, W.*

tabo pannis rigentibus amicti, gressu[a] tremente nutabundi, nimia raucedine miserandi, ante limen aecclesiae[b] se illi obvium tulit. Tunc sanctus antistes, instinctu divino regressus, ut cognosceret, quali nuper inimico succumberet, extractis albis, aquam sine mora calefieri et ipsum misellum in ipsam fecit imponi. Assumptaque novacula, turpissimum[c] collum eius[d] coepit radere. Cumque ab una aure usque ad medias derasisset arterias, coepit ab alia, ut ad eundem locum rasuram perduceret. Illuc autem rasorio[d] perveniens, setas longiores quam absciderat, mira dictu[e], renatas invenit. Et cum hoc sepe fieret, et ille radere non cessaret, ecce inter manus radentis[d] episcopi — horresco[f] referens — oculus mirae magnitudinis in arteriarum medio coepit apparere. Tunc ille pavefactus a tali monstro prosiluit[g] et se in[d] Christi nomine cum ingenti clamore consignavit. Ante cuius invocationem fraudulentus hostis, ultra[h] fallaciam suam abscondere non valens, ceu fumus evanuit; et abscedens dixit: *Iste oculus vigilanter intendit, quando tu carnem in ieiunio*[i] *comedisti.*

XXII. In eadem quoque regione fuit alius episcopus[k] incomparabilis sanctitatis. Qui incauta securitate, iam quasi ignarus feminei sexus, sanctimoniales iuvenculas non minus quam grandevos[l] sacerdotes discendi gratia diversari[m] permisit secum. Cum autem in ipsa festivitate paschali post officium divinum, quod super mediam noctem protraxit, Alasatiensi illo Sigultario[n][1] se licentius indulsisset, et simul[o] cum illo fortiori Falerno cuiusdam venustissimae feminae vultus et meretricios gestus heu nimis enerviter in se pertraxisset, recedentibus caeteris, illam[p] ad lectum suum vocatam lugubriter stupravit[q]. Mane vero ruti-

a. gressu — miserandi *om. Z, W.* b. *om. Z, W.* c. turpidissimum *Z, W.* d. *om. H.* e. mira dictu *om. Z, W.* f. horresco referens *om. Z, W.* g. resilivit *H.* h. ultra — valens *om. Z, W.* i. quadragesima *H.* k. pontifex *H.* l. grandevi *Z, W.* m. conversari *H.* n. dapibus vinoque *Z, W. pro* Alasatiensi illo Sigultario. o. simul – Falerno *om. Z, W.* p. *om. W.* q. constupravit *H.*

1. vino Sigoltesheimensi. Müllenhoff me docuit, vinum hoc dictum esse „Sigultarium" pro „Sigoltesheimense", quemadmodum v. gr. dicebant „Gunisere marca" pro „Gunisheimer marca"; cf. Lachmann Zu den Nibelungen p. 142.

lante, citus[a] exurgens et iuxta gentiles noctem flumine purgans, ante inevitabiles[b] verae deitatis[c] oculos maculata conscientia[d] processit. Cumque, praemissis melodiis, ipse iuxta ministerium suum imponere debuisset[e] ymnum angelicum, pavefactus obstupuit; et sacri ministerii[f] vestes super altare posuit atque, ad populum conversus, reatum suum confessus est. Deinde corruens ad crepidinem altaris, inaestimabilibus ablutus est lacrimarum fluentis[g]. Populo vero[h] instante, ut exurgeret, et[i] se terribilibus sacramentis astringente, quod illa praecipua die non sibi ab alio aliquo quam ab ipso[k] pastore sacra[l] missarum celebrari paterentur[m], et ille[n] loco moveri non posset, atque haec concertatio per trium fere horarum spacia transiret[o]; tandem clementia Conditoris[p], et vota devoti[q] populi et contritum cor episcopi miserata[r], sic in pavimento iacentem revestivit et, de sua certioratum[s] indulgentia, ad contrectanda coelestia[t] et[u] metuenda misteria[v] — in exemplum verae poenitentiae vel cautelam[w] nusquam et nunquam in hoc seculo tutae sed[x] semper et ubique vanae securitatis — misericorditer animavit.

XXIII. In Francia quoque quae antiqua dicitur fuit alius episcopus supra[y] modum tenacitate constrictus. Cum autem sterilitas omnium terrae proventuum quodam anno insolito[z] orbem depopularetur universum, tunc avarus ille negotiator, omnium mortalium immo iam morientium ultima necessitate gavisus, repositoria sua praecepit aperire, nimium care venundanda. Tunc demon qui dicitur larva[a], cui curae est[b] ludicris hominum vel illusionibus vacare, fecit consuetudinem ad cuiusdam fabri ferrarii domum venire[c] et per noctes malleis et incudibus ludere. Cumque pater ille familias signo salutiferae crucis se suaque

a. cicius *W.* b. *om. Z, W.* c. divinae maiestatis *Z, W. pro* verae deitatis. d. scientia *Z.* e. deberet *Z.* f. sui *add. W.* g. fluminibus *Z, W.* h. *om. Z.* i. ne sibi *Z, W. pro* et se terribilibus — quod. k. a suo *Z, W. pro* ab ipso. l. solemnia *Z, W.* m. celebrarentur *Z, W. pro* celebrari paterentur. n. de *add. W.* o. pertransiret *Z, W.* p. divina clementia *Z, W.* q. supplicantis *Z, W.* r. respiciens *Z, W.* s. certificatum *Z, W.* t. celestis *Z,* coelestibus *H.* u. *om. Z.* v. ministeria *H.* w. cautelae *Z, W.* x. sed — misericorditer *om. Z, W.* y. ultra omnem *H.* z. insolita *H.* a. Tum daemon vel larva *H.* b. fuit *H.* c. veniendi *Z, W.*

munire conaretur, respondit pilosus[a]: *Mi compater, si non vetaveris*[b] *me in officina tua iocular*i[c], *appone hic poticulam*[d] *tuam; et cottidie plenam invenies illam*[e]. Tunc miser ille, plus penuriam metuens corporalem quam aeternam animae perditionem, fecit iuxta suasionem adversarii[f]. Qui, assumpto[g] pergrandi flascone, cellarium Bromii[h] vel Ditis[i] illius sepius[k] irrumpens, rapina perpetrata, reliqua in pavimentum fluere permisit. Cumque iam tali modo plurimae cuppe[l] exinanitae fuissent, animadvertens episcopus, quoniam daemonum fraude tanta[m] perissent, benedicta aqua cellam aspersit et invictae crucis signaculo tutavit. Nocte autem facta, iterum larva[n] cum flascone[o] venit, et cum vinaria vasa propter impressionem sanctae crucis non auderet attingere neque[p] ei liceret exire, in humana specie repertus et a custode domus alligatus, pro fure ad publicum ductus[q] et ad palam cesus, inter cedendum hoc solum proclamavit: *Ve mihi, quia poticulam*[r] *compatris mei perdidi!* Hoc[s], licet historia sit verum, iccirco protulerim, ut sciatur: cui proveniant abiurata et in diebus necessitatis abstrusa; et quantum valeat divini nominis invocatio, etiam per non bonos adhibita.

XXIV. Dum[t] autem[u] oculos ad Francorum caput intendo eiusque membra perlustro, reliquarum gentium summos et infimos post tergum reliqui. Sed[v] iam ad vicinos nostros Italos, una tantummodo macheria divisos, veniendum est. Erat ibi quidam episcopus, inanium rerum valde[w] cupidissimus. Quod diabolus advertens cuidam pauperculo avaritia tamen habundo[x] in humana se obvium tulit specie, pollicitus: non mediocriter illum esse ditandum, si societatis vinculo in perpetuum sibi delegisset adnecti. Quod cum miser profiteri non abnueret, dixit hostis callidus: *Converto me in mulum praestantissimum; tu vero*

a. *om. Z, W.* b. impedieris *H.* c. iocari *H.* d. potiunculam *Z*, ponciunculam *W.* e. *om. Z, W.* f. illius *Z, W.* g. assumpta *H.* h. Bromii vel *om. Z, W.* i. divitis *Z, W.* k. *om. H.* l. cubae *H.* m. *om. H.* n. *super* larva *posuit eadem manus* scrato *in Z;* cf. Grimm Deutsche Mythologie (ed. 3) I 447. o. furis antiqui callidus satelles cum vasculo suo *H. pro* iterum larva — venit. p. nec tamen *H.* q. productus *H.* r. potiunculam *Z*, ponciunculam *W.* s. Hoc — adhibita *om. Z, W.* t. Cum *Z, W.* u. *om. H.* v. Sed ad vicinos Italos iam veniendum est *Z, W.* w. *om. Z, W.* x. habundanti *W*, non evacuato *H.*

ascende super me, et perge[a] *ad curtim episcopi. Cum autem ille ad*[b] *mulum illum emendum*[b] *ceperit inhiare, tu rem*[b] *protrahe, differ, abnue, precium exaggera, indignationemque simulans, recedere para. Tum necesse est, ut ille mittat post te et plurima promittat. Tandem, precibus exoratus et infinita pecunia cumulatus, quasi non libenter et coacte*[c] *mulum illi trade*[d]*; et concitus aufugiens latibulum quacumque*[e] *require.* Quod cum factum fuisset, et episcopus, usque ad sequentem diem expectare non sustinens, in ipso fervore meridiano sonipedem ascendens, per urbem superbiens equitaret[f], in campum volitaturus exibat, ad fluvium refrigerandi gratia properabat. In cuius favorem omnis sequebatur aetas, ambulationem volubilissimam, cursum rapidissimum, natatumque delfinis simillimum cernere gestiens[g]. Et ecce antiquus ille Belial, velut chami[h] frenique inpatiens[i], et verae gehennae ignibus aestuans, in profundum gurgitis sese demergere[k] et secum episcopum trahere coepit; ita ut vix militari manu et industria piscatorum, qui prope navigabant, extraheretur.

XXV. Insidiarum etenim[l] peritus adversarius, in via qua[m] ambulamus laqueos nobis[n] abscondere solitus, alium quidem hoc alium vero alio vicio subplantare non desistit. Cuiusdam[o] episcopi sacerdoti — nomen[p] in tali re supprimendum est — fornicationis crimen imponebatur. Cumque hoc iam ita[q] in noticiam populorum devenisset, ut[r] a referentibus etiam episcoporum episcopo, religiosissimo[s] Karolo, notissimum fieret et ille sapientissimus[t], aliquandiu rem dissimulans, frivolis verbis fidem accommodare noluisset, sed

Fama malum, quo non velocius ullum
Mobilitate viget[1],

a. vade *H.* b. *om. H.* c. coactus *Z, W.* d. concede *H.* e. ubicumque *H.* f. equitabat *H.* g. gestientes *H.* h. hami *W.* i. non patiens *H.* k. coepit *sequitur in Z, W.* l. *om. H.* m. qua ambulamus *om. Z, W.* n. *om. Z, W.* o. Quisdam *W.* p. Cuidam sacerdoti, episcopi quippe nomen *H.* q. iam ita *om. Z, W.* r. ut — episcopo *om. Z, W.* s. et religiosissimo *Z, W.* t. sapientissime *Z, W.*

1. Virg. Aen. IV 174. 175.

de minima meisa[a][1] super aquilarum magnitudinem excresceret, ut nequaquam iam celari potuisset, districtissimus iusticiae inquisitor Karolus misit duos de palatinis; qui, ad proximum civitati locum vespere divertentes, mane primo ad sacerdotem inopinato[b] venirent et ipsum sibi missam celebrare postularent; et[c] si nimis[d] abnueret, illi ex suo nomine constringerent eum, quatinus per se ipsum sacrosancta misteria celebraret. Qui[e] nesciens quid ageret, quoniam et ante superni spectatoris oculos ipsa nocte peccasset[f] et illos offendere non auderet, plus tamen homines quam Deum metuens, frigidissimo fonte estuantia membra baptizans, ad afferenda terribilia sacramenta processit. Et ecce, vel conscientia cor quatiente[g] vel aqua venas penetrante, tanto frigore correptus est, ut nullo medicorum adminiculo posset[h] adiuvari, sed immanissima febrium valitudine perductus ad mortem, districti et aeterni iudicis decreto animam reddere cogeretur.

XXVI. Sed caeteris mortalibus his et huiuscemodi fraudibus a diabolo vel satellitibus eius illusis, libet intueri sententiam Domini, qua firmissimam sancti Petri confessionem remunerans ait: *Quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam*[2]. Quam videlicet ecclesiam in his etiam periculosissimis et nequissimis diebus inconcussam immobilemque dedit[k] permanere. Nam[k] ut inter emulos semper bachatur[l] invidia, sollemne Romanis et consuetudinarium fuit, ut omnes papatibus[k] alicuius momenti ad sedem apostolicam per tempora subrogatis iugiter essent infensi vel potius infesti. Unde contigit, ut quidam illorum, invidia cecati, sanctae recordationis Leoni papae, cuius supra mentionem fecimus, mortiferum crimen imponentes, eum cecare fuissent aggressi. Sed divino nutu conterriti sunt et[m] retracti, ut nequaquam[n] oculos eius eruerent, sed rasoriis per medios inciderent. Quod cum clanculo per familiares suos Michahelo imperatori

a. massa *W.* b. inopinatum *Z, W.* c. ille *add. Z, W.* d. minus *W.* e. Cui *Z.* f. peccaverat *W,* peccaret *Z.* g. cor quatiente scientia *Z, W.* h. possit *H.* i. Quam — ecclesiam *om. H.* k. *om. H.* l. debachatur *H.* m. et retracti *om. Z, W.* n. ne *H. pro* ut nequaquam.

1. Germ. meise (parus). 2. Matth. 16, 18.

Constantinopoleos indicari fecisset, et[a] omne ille auxilium abnueret[b] dicens: *Ille papa regnum habet per se, et nostro praestantius; ipse per se se[c] vindicet de adversariis suis,* tunc sanctus ille — divinam constitutionem secutus: ut, qui iam re ipsa rector et imperator plurimarum erat nationum, nomen quoque imperatoris caesaris et augusti apostolica auctoritate gloriosus[d] assequeretur — invictum Karolum Romam venire postulavit. Qui, ut semper in expeditione et praecinctu bellico erat[e], statim cum apparitoribus et scola tyronum, causae vocationis suae penitus ignarus, ipse[f] caput orbis ad quondam caput orbis absque mora perrexit. Cumque perditissimi populi inopinatum illius comperissent adventum, quasi[g] passeres a conspectu domini sui cognomine nuncupati solent celari, ita per diversa latibula criptas[h] et profugia sunt abstrusi[i]. Sed cum industriam eius et sagacitatem sub coelo non possent evitare, ad basilicam sancti Petri capti et catenati sunt perducti. Illic intemeratus pater Leo, assumens euangelium domini nostri Iesu Christi posuit super caput suum et in conspectu Karoli eiusque militum, assistentibus quoque persecutoribus suis, in haec verba iuravit: *Sic in die magni iudicii sim particeps euangelii, sicut immunis sum criminis, falso mihi ab istis obiecti.* Erant autem[k] plurimi inter vinctos, qui, se immunes huius criminis esse, in lecto sancti Petri se iurare rogabant permitti. Sed papa, levitatem illorum non ignorans, Karolo dixit: *Ne, queso, invicte Dei, eorum assenseris calliditati; ipsi enim sanctum Petrum ad veniam sciunt maxime flexibilem. Queratur ergo inter tumulos martyrum titulus[l], cui trecennis puer inscriptus[m] sit Pancratius; in eo enim si tibi iuraverint, securos habeto.* Factum est autem, ut papa voluerat. Plurimo autem populo fiducialiter accedente, quidam ipsorum supini riguerant, quidam satana arrepti insaniebant. Mox[n] terribilis Karolus dixit ad suos: *Cavete, ne quisquam[o] de illis evadat.*

a. et — dicens *om. W.* b. ab eo retraheret *H.* c. se *om. Z;* ipse se per se ipsum *H.* d. gloriosius *H.* e. positus erat *H.* f. *om. H.* g. quasi — celari *om. Z, W.* h. criptas et profugia *om. Z, W.* i. obstrusi *W.* k. Erant autem — insaniebant *om. H.* l. *om. Z.* m. inscrictus *Z.* n. Et mox *H.* o. quis *H.*

Omnes itaque[a] comprehensos vel diversis mortibus vel inremeabilibus[b] dampnavit exiliis. Cum autem ibidem aliquot diebus reparandi exercitus gratia moraretur, convocavit antistes apostolicus de vicinis partibus, quoscumque potuit, et coram positis illis et invictis[c] Karoli gloriosissimi comitibus, nichil minus suspicantem ipsum pronunciavit imperatorem defensoremque[d] ecclesiae Romanae. Quod cum ille non potuisset abnuere, quia divinitus sic[e] praedestinatum[f] crederet, non tamen gratanter suscepit; pro eo quod putaret: Grecos, maiore succensos invidia, aliquid incommodi regno Francorum machinaturos; immo potiori cautela provisuros, ne, sicut tunc fama ferebat, Karolus insperato veniens regnum illorum suo subiugaret imperio; et[g] maxime, quia pridem magnanimus Karolus, cum legati regis Bizantini venirent ad se et de domino suo illi suggererent, quia fidelis ipsi amicus esse voluisset et, si viciniores essent, eum filii loco nutrire et paupertatem illius relevare decrevisset, ferventissimo igne se intra pectus retinere non queunte[h], in haec verba prorupit: *O utinam non esset ille gurgitulus inter nos; forsitan divitias orientales aut partiremur aut pariter participando communiter haberemus.* Quod ignari paupertatis Africanae solent de Afrorum rege narrare. Innocentiam vero beati Leonis papae ita donator et restitutor[i] sanitatis approbavit Dominus[k], ut post illam poenalem[l] et crudelissimam incisionem clariores quam ante fuerint ei donaverit oculos; excepto[m], quod in signum virtutis illius pulcherrima cicatrix in modum fili tenuissimi turturinas acies niveo candore decorabat.

XXVII. Ne[n] vero ab imperitis arguar imperitiae, quia mare, quod nomine gurgituli maximus appellavit imperator, inter nos et Grecos ex eius ore situm retulerim, noverint qui volunt: adhuc Hunos et Bulgares et plures alias immanissimas gentes intactas et integras iter ad Greciam terrestre negare. Quas tamen

a. Tunc *Z, W. pro* Omnes itaque. b. iuremediabilibus *Z, W.* c. invictissimi *W.* d. defensatoremque *W.* e. sic̄ *Z.* f. procuratum *H.* g. et maxime — de Afrorum rege narrare *om. Z, W.* h. non ua queunte *H.* i. institutor *Z.* k. *om. H.* l. poenalem et *om. Z, W.* m. excepto — decorabat *om. Z, W.* n. *caput* 27 *om. Z, W.*

postea bellicosissimus Karolus vel terrae coaequavit, ut omne Sclavorum genus et Bulgarum, vel penitus eradicavit, ut ferreorum adamantinorumve progeniem et nomen Hunorum. De quibus mox docebo, si prius de edificiis, quae cesar augustus imperator Karolus apud Aquasgrani iuxta sapientissimi Salemonis exemplum Deo vel sibi vel omnibus episcopis abbatibus comitibus et cunctis de toto orbe venientibus hospitibus mirifice construxit, iuxta pauca satis et minima commemorem.

XXVIII. Cum strennuissimus imperator Karolus aliquam requiem habere potuit[a], non ocio torpere sed divinis servitiis voluit insudare; adeo ut, in genitali solo basilicam, antiquis Romanorum operibus praestantiorem, fabricare propria dispositione molitus, in brevi se compotem voti sui gauderet. Ad cuius fabricam de omnibus cismarinis regionibus magistros et opifices omnium id genus artium advocavit. Super quos quendam[b] abbatem cunctorum peritissimum ad[c] executionem operis, ignarus eius fraudium, constituit. Qui, mox ut augustus quoquam[d] secessit, precio accepto, quos volebat ad propria remisit. Qui vero se redimere nequiverunt vel a dominis suis absoluti non sunt, sicut quondam Egyptii populum Dei iniquis[e] operibus afflixerunt, ita inmensis laboribus[f] oppressit, ut nunquam eos aliquantulum requiescere pateretur. De tali igitur fraudulentia cum infinitum pondus auri vel[g] argenti sericorumque palliorum congregasset et, viliora queque[h] suspendens in camera, preciosiora queque in archis vel in scriniis absconsa concluderet, ecce repente domus eius inflammata a referentibus est illi nunciata. Qui, concitus accurrens et per medios flammarum globos in conclave, quo[i] scrinia auro plena servabantur, irrumpens et cum uno tantum exire nolens, singula singulis humeris imposuit et exire cepit. Inter ea trabes una pergrandis ignibus evicta cecidit super eum, et corpus quidem materiali combussit incendio, anima[k] vero ad inextinguibilem transiit ignem. Ita divinum

a. potuisset *H.* b. unum *H.* c. ad — operis *om. Z, W.* d. *om. Z, W.* e. iniquis operibus *om. Z, W.* f. ponderibus *Z, W.* g. et *H.* h. *om. H.* i. conclavim qua *Z, W.* k. animam vero transmisit ad ignem qui non succenditur *H.*

iudicium pro religiosissimo Karolo vigilavit, ubi ipse, regni negotiis occupatus, minus intendit.

XXIX. Erat ibidem alius opifex, in omni opere aeris et vitri[a] cunctis excellentior. Cumque Tancho[b], quondam[c] monachus Sancti Galli, campanum optimum conflaret et eius sonitum[d] imperator non mediocriter miraretur, dixit ille praestantissimus sed[e] infelicissimus in aere magister: *Domne imperator, iube mihi cuprum multum afferri, ut excoquam illud ad purum; et in vice stagni fac mihi, quantum opus est, de argento dari saltem centum libras; et fundo tibi tale[f] campanum, ut istud in eius comparatione sit mutum.* Tunc liberalissimus regum Karolus[g] — cui licet affluerent diviciae, cor tamen non apposuit[h][1] — facile iussit omnia quae petebat[i] exhibere. Quae miser ille assumens laetus exiit. Et aes quidem conflans et emundans, in locum argenti vero purgatissimum stagnum subiciens, multo melius approbato[k] illo de adulterato metallo campanum in brevi tempore perfecit, probatissimumque[l] cesari praesentavit. Quod ille propter incomparabilem conformationem satis admiratus, immisso pulsatorio ferro, iussit in campanario suspendi. Quod cum sine mora factum fuisset, et custos aecclesiae vel reliqui capellani nec non et erronei[m] tyrones, alii aliis succedentes, illud ad sonitum perducere niterentur et nichil efficere potuissent, tandem indignatus auctor operis et[n] commentor inauditae fraudis apprehenso fune attraxit[o] aeramentum. Et ecce ferrum de medio lapsum[p] in verticem ipsius cum iniquitate sua descendit et, per cadaver iam iamque defunctum transiens[q], ad terram cum intestinis et virilibus venit. Memoratum autem pondus argenti repertum praecepit iustissimus Karolus inter indigentes palatinos distribui[r].

XXX. Fuit[s] consuetudo in illis temporibus, ut, ubicumque aliquod[t] opus ex imperiali praecepto faciendum esset — siqui-

a. nitri *Z.* b. Tanco *H.* c. *om. H.* d. sonitu *Z.* e. sed infelicissimus *om. Z, W.* f. talē *Z.* g. *om. H.* h. ipse tamen cor illis non apponeret *H.* i. petebatur *H.* k. optimo *H.* l. probatumque *H.* m. *om. Z, W.* n. et — fraudis *om. Z, W.* o. traxit *H.* p. elapsum *H.* q. pertransiens *H.* r. dispergi *H.* s. *cap.* 30 *om. Z, W.* t. aliquid *H.*

1. Ps. 61, 11: „Divitiae si affluant, nolite cor apponere".

dem pontes vel naves aut traiecti sive purgatio seu stramentum vel impletio coenosorum itinerum — ea comites per vicarios et officiales suos exequerentur, in minoribus dumtaxat laboribus; a maioribus autem, et maxime noviter exstruendis, nullus ducum vel comitum, nullus episcoporum vel abbatum excusaretur aliquo modo. Cuius rei testes adhuc sunt arcae pontis Magontiacensis; quem tota Europa communi quidem sed ordinatissimae participationis opere perfecit, fraudulentia[a] vero quorundam malivolorum et de navium subvectione mercedès iniquissimas compilare volentium consumpsit. Si vero essent ecclesiae, ad ius regium proprie pertinentes, laquearibus vel muralibus adornandae picturis, id a vicinis episcopis aut abbatibus curabatur. Quodsi novae fuissent instituendae, omnes episcopi duces et comites, abbates etiam vel quicumque regalibus ecclesiis praesidentes cum universis, qui publica consecuti sunt beneficia, a fundamentis usque ad culmen instantissimo labore perduxerunt; sicut adhuc probat non solum basilica illa[b] divina sed et humana apud Aquasgrani et mansiones omnium cuiusquam dignitatis hominum, quae ita circa palatium peritissimi Karoli eius dispositione constructae sunt, ut ipse per cancellos solarii sui cuncta posset videre, quaecumque ab intrantibus vel exeuntibus quasi latenter fierent. Sed et ita omnia procerum habitacula a terra erant in sublime suspensa, ut sub eis non solum militum milites et eorum servitores sed omne genus hominum ab iniuriis imbrium vel nivium, gelu vel caumatis possent defendi, et nequaquam tamen ab oculis acutissimi Karoli valerent abscondi. Cuius edificii descriptionem ego inclusus absolutis cancellariis vestris relinquens, ad iudicium Dei, quod circa illud factum est, explicandum revertor.

XXXI. Providentissimus igitur Karolus[c] quibuscumque primoribus in proximo constitutis praecepit, ut opifices a se directos omni industria sustentare et cuncta ad opus illud necessaria[d]

a. fraudulentiā *H.* b. *om. H.* c. ad summam inponendam edificio basilicae apud Aquisgrani *add. Z, W.* d. et opes ad cuncta necessaria *Z, W. pro* et cuncta ad opus illud necessaria.

subministrare curarent. Qui vero ex longinquis partibus advenissent, commendavit eos praeposito domus suae nomine Liutfrido; ut eos de publicis rebus aleret et vestiret, sed et cuncta, quae ad constructionem illam pertinerent, sedulus impendere semper instaret[a]. Quod cum, illo in eodem loco sedente, aliquantulum faceret, recedente vero omnimodo cessaret[b], tantas pecunias idem praepositus de miserorum illorum cruciatibus aggregavit, ut eas mammonas[c] Pluto[d] atque[e] Dis non aliter quam vehiculo cameli possent[f] ad inferna perducere. Quod et ita mortalibus compertum est: Gloriosissimus Karolus ad nocturnas laudes pendulo et profundissimo pallio, cuius iam usus et nomen recessit, utebatur; expletis vero ymnis matutinalibus, ad caminatam reversus, imperialibus vestimentis pro tempore ornabatur. Clerici[g] vero cuncti ita parati ad antelucana veniebant officia, ut vel in ecclesia vel in porticu, que tunc curticula dicebatur, imperatorem ad missarum sollempnia processurum vigilantes expectarent aut, qui opus haberet, in sinu comparis sui caput paululum reclinaret. Quidam ergo pauperculus ex eis, qui domum supradicti Liutfridi[h] abluendarum seu resarciendarum[i], sicut exiguis opus est palatinis, vestium vel potius pannorum causa frequentare solebat, super genua socii sui dormiens, vidit gigantem Antoniano[k] illo adversario proceriorem de curte regia super[l] rivulum illum per traiectum ad domum illius properantem et camelum immanissimum, inaestimabili sarcina praegravatum, ad ulteriora[m] trahentem. Et obstupefactus in somnio quesivit ab eo, de qua regione veniret aut quo tendere voluisset. Qui respondit: *De domo regis ad domum Liutfridi pergo; et eum super hos fasces imponam et pariter in infernum cum eis dimergam.* Ad quam visionem expergefactus clericus et maiore metu conterritus, ne eum terribilis Karolus dormientem reperiret,

a. curaret *Z, W. pro* semper instaret. b. omnino evitaret *Z, W.* c. id est divicias *superscriptum est in Z.* d. ipse *add. Z.* e. atque Dis *om. Z, W.* f. posset *Z, W.* g. Cuncti vero clerici imperatorem expectantes, ad missarum solemnia processurum, veniebat in porticum, quae tunc corticula dicebatur, et si quis eorum necesse habuit, in sinum comparis sui se reclinavit *Z, W. pro* Clerici — reclinaret. h. ad *add. Z.* i. resarcinandarum *Z, W.* k. Antoniano — proceriorem *om. Z. W.* l. super — traiectum *om. Z, W.* m. post se *Z, W. pro* ad ulteriora.

mox caput elevans et caeteros ad vigilandum provocans, in haec verba prorupit: *Si vultis*[a], *audite*[b] *somnium meum*[c]. *Videbar mihi videre Poliphemum*[d] *illum*[e], *qui in terra gradiens alta pulsat sydera et in medio Ionio latera non tinguit ardua, de hac curte regia*[f] *ad domum Liutfridi cum onerario properantem camelo. Cumque causam*[g] *itineris eius inquisissem, dixit ille: „Liutfridum super*[h] *haec onera ponere et ad infernum contendo*[i] *perducere"*. Hac relatione nondum expleta, venit puella de domo eius, omnibus notissima, et ante pedes eorum procidit, implorans, ut memoriam amici sui Liutfridi dignarentur habere. Illis autem interrogantibus, quid causae haberet, dixit illa: *Domini mei, sanus ad latrinam exiit; et dum diutius ibi moraretur, egredientes defunctum invenimus illum*[k]. Cuius cum subitanea mors imperatori comperta fuisset, et ab opificibus et reliqua familia tenacia vel avaritia illius iam[l] libere proderetur, iussit thesauros eius perquiri. Qui cum inaestimabiles invenirentur sciretque iudex post Deum iustissimus, de quali[m] iniquitate congregati fuissent, publice pronunciavit: *Non potest aliquid ex his, quae ipse*[n] *iniuste fraudavit, ad liberationem illius miseri proficere. Dividantur itaque inter operarios huius aedificii nostri*[n] *et tenuiores palacii nostri.*

XXXII. Duo sunt adhuc referenda, quae in eodem loco contigerunt. Quidam diaconus, iuxta consuetudinem cisalpinorum contra naturam pugnare solitus, balneas intrans et[o] caput suum pressissime radi faciens, cutem expoliavit, ungues murcavit[p] capillosque brevissimos[q] quasi ad circinum tornando decurtavit, lineas et camisiam candidissimam induit, et quia vicem suam[r] devitare non potuit, quin[s] potius ut per hoc gloriosior appareret, sponte coram summo Deo et sanctis angelis et in conspectu severissimi regis et procerum eius euangelium, ut in[t] consequen-

a. Si vultis *om. Z, W.* b. audire *H.* c. *om. Z.* d. id est gygande *superscriptum est in Z.* e. immanem *Z, W. pro* illum, qui — ardua. f. *om. H.* g. causas *H.* h. volo *add. Z, W.* i. contendendo *Z, W,* ad inferna deducere contendo *H.* k. *om. Z, W.* l. iam libere *om. Z, W.* m. qua *H.* n. *om. H.* o. *om. H.* p. curtavit *W.* q. *om. Z, W.* r. vicem suam *om. H.* s. quin — sponte *om. Z, W.* t. ex *H.*

tibus patuit polluta conscientia, legere praesumpsit. Tunc[a] inter legendum[b] aranea, de laqueari[c] per fila sua[a] subito descendens, caput eius aculeo infecit[d] et se celerrime ad superiora[e] retraxit. Quod cum districtissimus Karolus secundo ac tercio videret[f] et dissimulando id fieri pateretur[g], clericus vero propter praesentiam illius aspectus se manu[h] defendere non auderet, maxime cum non araneam se impetere sed muscas inquietare putaret, euangelica lectione perlecta, reliquum etiam complevit officium. Egressus autem de basilica, mox intumuit; et infra unius horae spacium defecit. Religiosissimus vero Karolus, quia causam periculi eius vidit[i] et non prohibuit, quasi homicidii reum, publica se ipsum poenitentia multavit.

XXXIII. Habuit gloriosissimus[k] Karolus quendam in comitatu[l] incomparabilem clericum in omnibus. De quo illud ferebatur quod nunquam[m] de ullo mortalium: quia videlicet et scientia litterarum secularium atque divinarum cantileneque ecclesiasticae vel iocularis, novaque[n] carminum compositione sive modulatione, insuper et vocis dulcissima plenitudine inestimabilique delectatione cunctos praecelleret; cum et ipse legislator[o] ex instructione divina sapientissimus de gracilitate vocis vel dispendio linguae tardioris causetur[1] et discipulum, ex auctoritate inhabitantis in se Dei elementis celestibus imperantem[2], mittat ad consulta Eleazari[3]; dominus noster Christus eum, quo inter natos mulierum maiorem non surrexisse testatur[4], nullum in corpore signum operari concesserit; et eum, quem paterna revelatione se ipsum agnoscere voluit clavibusque regni celorum donavit[5], Pauli sapientiam mirari voluerit, discipulumque plus caeteris dilectum in tantam cadere trepidationem permiserit, ut in locum sepulchri eius ingredi non praesumpserit[6], cum illud

a. *om. H.* b. vero *add. H.* c. de laqueari *om. H.* d. percussit *H. pro* aculeo infecit. e. superna *H.* f. provideret *H.* g. permitteret *H.* h. propter timorem illius se defendere *H.* i. Karolus, pro eo quod vidit *H.* k. incomparabilis *H.* l. quendam in comitatu *om. H.* m. de nullo unquam *H.* n. vanaque *Z, W.* o. id est Moyses *superscriptum est in Z.*

1. Exod. 4, 10. 2. Iosue 10, 12. 3. Numeri 27, 22. 4. Matth. 11, 11. 5. Matth. 16, 18. 6. Luc. 24, 12.

inbecilles mulieres sepius frequentarent[1]. Sed illi[a], sicut scriptum est: *Omni habenti dabitur*[2], scientes a quo haberent, etiam, quae minus habuere, consecuti sunt; iste vero, nesciens unde haberet vel sciens, auctori donorum dignas[b] gratias non egit, unde[c] pariter cuncta amisit. Nam cum veluti familiarissimus[d] iuxta[e] gloriosissimum caesarem constitisset, subito non comparuit. Cumque ad tam inauditam et incredibilem rem invictissimus Karolus[f] imperator obstupefactus fuisset et[g] se cruce Domini consignaret, invenit in eodem[h] loco, in quo steterat ille, quasi carbonem[i] teterrimum et noviter[k] extinctum.

XXXIV. Nocturnum[l] illud atque pendulum augusti pallium adhuc nos a bellico procinctu retrahit. Erat antiquorum ornatus vel paratura Francorum: calciamenta forinsecus aurata, corrigiis tricubitalibus insignita, fasciolae crurales vermiculatae; et subtus eas tibialia vel coxalia linea, quamvis ex eodem colore tamen opere artificiosissimo variata. Super quae et fasciolas in crucis modum, intrinsecus et extrinsecus, ante et retro, longissimae illae corrigiae tendebantur. Deinde camisia clizana; post haec balteus spate colligatus. Quae spata primum vagina, secundo corio qualicunque, tercio lintheamine candidissimo cera lucidissima roborato ita cingebatur, ut per medium cruciculis eminentibus ad peremptionem gentilium duraretur. Ultimum habitus eorum erat pallium canum vel saphirinum, quadrangulum duplex; sic formatum, ut, cum imponeretur humeris, ante et retro pedes tangeret, de lateribus vero vix genua contegeret. Tunc baculus de arbore malo, nodis paribus admirabilis, rigidus et terribilis, cuspide manuali ex auro vel argento cum celaturis insignibus praefixo, portabatur in dextera. Quo habitu lentus ego et testudine tardior, cum in Franciam nunquam venirem, vidi caput Francorum[3] in monasterio sancti Galli praefulgens, duosque flores auricomos ex eius femoribus progressos; quorum qui prior egres-

a. *om. Z, W.* b. digne *H.* c. *om. H.* d. .K. *add. Z.* e. Karolum *add. W.* f. *om. Z, W.* g. sed tandem resipiscens *H. pro* et. h. eo *H.* i. scorpionem *W.* k. modo *H.* l. *Cap.* 34 *om. Z, W.*

1. Marc. 16, 1 sq., Luc. 24, 1 sq. 2. Matth. 25, 29. 3. Cf. Dümmler Gesch. des ostfränk. Reichs I 850 n. 7.

sus est, proceritatem illius adaequabat, posterior autem, paulatim excrescens, verticem stipitis sui summa gloria decoravit et transcendendo contexit. Sed ut se mos humani habet ingenii, cum inter Gallos Franci militantes virgatis eos sagulis lucere conspicerent, novitate gaudentes, antiquam consuetudinem dimiserunt et eos imitari coeperunt. Quod interim rigidissimus imperator idcirco non prohibuit, quia bellicis rebus aptior ille videretur habitus. Sed cum Fresones hac licentia abutentes adverteret et brevissima illa palliola sicut prius maxima vendere comperisset, praecepit: ut nullus ab eis nisi grandia latissimaque illa longissima pallia consuetudinario precio coemeret; adiciens: *Quid prosunt illa pittaciola? In lecto non possum eis cooperiri; caballicans contra ventos et pluvias nequeo defendi; ad necessaria naturae secedens, tibiarum congelatione deficio.*

In praefatione[1] huius opusculi tres tantum auctores me secuturum spopondi. Sed quia praecipuus eorum Werinbertus[2]
Mai. 24 septimo die[3] de hac vita recessit, et debemus hodie id est 3 die
Mai. 30 Kal. Iunii commemorationem illius — orbi filii discipulique — agere, hic fiat terminus libelli istius, qui ex sacerdotis eiusdem ore de religiositate et aecclesiastica domni Karoli cura processit. Sequens vero de bellicis rebus acerrimi Karoli ex narratione Adalberti, patris eiusdem Werinberti, cudatur; qui cum domino suo Keroldo[4] et Hunisco et Saxonico vel Sclavico bello interfuit et, cum valde senior parvulum me nutriret, renitentem et sepius effugientem, vi tandem coactum de his instruere solebat.

LIBER SECUNDUS.

I. Ex relatione[a] secularis hominis[5] et in scripturis minus eruditi sermonem hunc[b] facturi, non ab re credimus, si iuxta

a. revelatione cuiusdam *Z, W.* b. *om. H.*

1. quae non iam superest. 2. Misit „Otfridus Wizanburgensis monachus Hartmuate et Werinberto sancti Galli monasterii monachis“ poema Germanicum, quod edidit Kelle (Otfrids von Weifsenburg Evangelienbuch p. 389—394); isque hunc Werinbertum Otfridi amicum eundem ac nostri scriptoris praeceptorem Werinbertum fuisse censet l. l. p. 5 sq. 3. id est d. 24 m. Maii (784—787). 4. fratre Hildigardae reginae, qui a. 799 obiit. V. Einharti vita Caroli c. 13 supra p. 521 n. 1. 5. Adalberti, v. supra L. I c. 34.

scriptorum fidem pauca de superioribus ad memoriam revocemus. Cum Deo odibilis Iulianus in Persico bello celitus fuisset interemptus[a], et a Romanorum regno non solum transmarinae provinciae sed et proxima Pannonia Noricus Recia vel Germania Francique vel Galli defecissent, ipsique reges Gallorum vel Francorum propter interfectionem sancti Desiderii Viennensis episcopi et expulsionem sanctissimorum advenarum Columbani[b] et Galli retro labi cepissent, gens Hunorum, prius per Franciam et Equitaniam vel[c] Gallias sive Hispanias latrocinari solita, tota simul egressa quasi latissimum incendium cuncta devastans, reliquias, quae remanere poterant[d], ad tutissima latibula[e] comportavit. Quae[f] huiusmodi fuerunt, sicut praefatus Adalbertus[g] mihi narrare consueverat[h]: *Terra* inquiens *Hunorum novem*[i] *circulis cingebatur*[k]. Et cum ego, alios circulos nisi vimineos cogitare nescius, interrogarem[l]: *Quid illud miraculi fuit, domine?* respondit: *Novem hegin*[m] *muniebatur.* Cumque et illos alterius generis esse nescirem, nisi quales segetibus solent praetendi, inquisitus etiam de hoc, dixit: *Tam latus fuit unus circulus*[n], *hoc est tantum intra se*[o] *comprehendit, quantum spacium est de castro Turico*[p] *ad Constantiam; ita stipitibus quernis*[q] *faginis vel abiegnis*[r] *exstructus, ut de margine ad marginem 20 pedes tenderetur in latum, et totidem subrigeretur*[s] *in altum; cavitas*[t] *autem universa*[u] *aut durissimis lapidibus aut creta tenacissima*[v] *repleretur; porro superficies vallorum eorundem integerrimis cespitibus tegeretur*[w]. *Inter quorum confinia plantabantur arbusculae, quae, ut cernere solemus, abscisae atque proiectae comas caudicum foliorumque proferunt. Inter hos igitur aggeres ita vici et villae erant lo-*

a. peremptus *H.* b. videlicet *add. H.* c. vel — Hispanias *om. Z, W.* d. remanserant *Z, W.* e. tutissimas latebras *Z, W.* f. latebrae *add. Z, W.* g. sicut secularis ille Adalperdus (Adelbertus *W*) quidem nomine *Z, W.* h. consuevit *Z, W.* i. quatuor *W.* k. sepiebatur *Z, W.* l. Et ego, cum eum vimineos circulos dicere putarem, dixi *Z, W. pro* Et cum — interrogarem. m. haganis id est septis *Z, W.* n. circulus septi unius *Z,* circulus unus *W.* o. spacium *add. Z, W.* p. Turicino *Z, W.* q. quercinis *W.* r. abietinis *Z.* s. erigeretur *Z, W.* t. civitas *H. Pertzius scripsit* cavitas. u. Murus civitatis ipsorum *Z, W. pro* cavitas autem universa. v. durissima replebatur *Z, W.* w. tegebatur *Z, W.*

catae, ut de aliis ad alias vox humana posset audiri. Contra[a] *eadem vero aedificia*[a] *inter inexpugnabiles illos muros portae non satis amplae et*[b] *latae erant constitutae; per quas latrocinandi gratia non solum exteriores*[c] *sed etiam interiores*[d] *exire solebant. Item de secundo circulo, qui similiter ut primus erat exstructus, 20 miliaria Theutonica, quae sunt 40 Italica, ad tercium*[e] *usque tendebantur; similiter usque ad nonum*[f]*; quamvis ipsi circuli alius alio multo*[g] *contractiores fuerint. De circulo quoque ad circulum sic erant possessiones et habitacula undique*[h] *ordinata*[i]*, ut clangor tubarum inter singula posset cuiusque*[k] *rei significativus adverti.* Ad has ergo munitiones per ducentos et eo amplius annos qualescunque omnium occidentalium divitias Huni[l] congregantes[m], cum et Gothi et Wandali quietem mortalium perturbarent, orbem occiduum pene vacuum dimiserunt. Quos tamen[n] invictissimus[o] Karolus ita in annis octo[p] perdomuit, ut de eis ne[q] minimas quidem reliquias remanere permiserit. A Bulgaribus[r] vero ideo manum retraxit, quia, videlicet Hunis exstinctis, regno Francorum nichil nocituri viderentur. Porro praedam in Pannonia repertam per episcopia vel monasteria liberalissima divisione distribuit.

II. In bello autem Saxonico, cum per semet ipsum aliquando fuisset occupatus, duo[s] quidam privati[t] homines, quorum etiam nomina designarem nisi notam arrogantiae vitarem, testudine facta, muros firmissimae civitatis vel aggeris[u] acerrime destruebant. Quod videns, iustissimus Karolus primum illorum cum consensu domini sui Keroldi[v] praefectum inter Renum et alpes Italicas instituit, alterum[w] praediis admodum ditavit.

III. Ibidem[x] vero cum duorum ducum filii ad tentorium

a. Intra eadem quoque vallorum edificia et *Z, W. pro* Contra — aedificia. b. amplae et *om. H.* c. id est villani *Z super* exteriores, *W post* exteriores. d. id est urbani *Z super* interiores, *W post* interiores. e. id est circulum *Z super* tercium; *W:* tercium circulum. f. quartum *Z, W.* g. alteris alteri *Z, W.* h. versum *add. H.* i. ornata *W.* k. audiri *Z, W. pro* cuiusque — adverti. l. *om. H.* m. congregabant *Z, W, ubi* cum et Gothi — dimiserunt *desunt.* n. videlicet circulos *Z, W. pro* tamen; *in Z est super* circulos *scriptum* Hugios. o. invictus *Z, W.* p. VII *Z, W.* q. nec *Z, W.* r. Vulgaribus autem *Z, W.* s. *om. H.* t. id est servi *Z super* privati, *W post* homines. u. vel aggeris *om. Z, W.* v. *om. Z, W.* w. alterum — ditavit *om. H.* x. *cap.* 3 *om. Z, W.*

regis excubare deberent et potibus ingurgitati iacerent ut mortui, porro ille, iuxta consuetudinem suam sepius evigilans et castra circuiens, sensim et pene nullo cognoscente ad tabernaculum regressus est. Mane autem facto, convocatis ad se cunctis regni primoribus, interrogavit, qua poena dignus esset, qui caput Francorum in manus hostium tradidisset. Tunc praefati duces, earundem rerum penitus ignari, eiusmodi hominem condempnaverunt ad mortem. Ipso vero durissimis verbis coercitos dimisit inlesos.

IV. Erant quoque[a] ibi duo nothi, de genicio[b] Columbrensi procreati. Qui cum fortissime in bello[c] dimicarent, requisivit imperator[d] ab illis, qui et unde nati essent. Quo comperto, meridiano tempore eos ad tabernaculum suum vocatos[e] sic allocutus est: *Boni iuvenes, volo ut mihi non alii serviatis*[f]. Qui[g] cum se ad hoc venisse testarentur, ut vel ultimi in eius essent obsequio, dixit ille: *Ad cameram meam servire debetis.* Quod etiam dum[h] indignatione dissimulata[i] libenter se facturos esse[d] faterentur, captato tempore quo[k] imperator somno[l] quiescere coepisset, exierunt ad castra adversariorum et, tumultu concitato, suo vel hostium sanguine servitutis notam diluerunt.

V. Inter huiusmodi tamen occupationes nullo modo magnanimus praetermisit imperator, quin ad longinquissimarum partium reges alios atque alios dirigeret litterarum vel munerum portitores; a quibus illi omnium provinciarum sunt honores directi. Cum igitur de sede Saxonici belli legatos ad regem Constantinopoleos[m] destinaret, interrogavit ille: utrum pacatum esset[n] regnum filii sui Karoli vel si a finitimis gentibus incursaretur. Cumque missorum primus alias[o] omnia pacata referret, nisi quod gens quaedam, qui Saxones vocitantur[p], creberrimis latrociniis Francorum fines inquietarent, dixit homo torpens ocio nec utilis belli negocio: *Hiû*[q], *quare laborat filius meus contra hostes paucissimos nullius nominis nulliusque virtutis? Habeas tu*[r] *gentem*

a. etiam *Z, W.* b. genitio *Z, W.* c. in bello *om. H.* d. *om. Z, W.* e. ad sua tabernacula vocans *Z, W.* f. ut mihi in camera mea serviatis *Z, W.* g. Qui — debetis *om. Z, W.* h. Quod dum illi *Z, W.* i. simulata *Z, W.* k. captato consilio cum *Z, W.* l. *om. Z, W.* m. Constantinopolitanum *Z, W.* n. fuisset *Z, W.* o. alia *Z, W.* p. que — vocantur *Z, W.* q. Heu *H.* r. inquid *add. Z, W.*

illam cum omnibus ad eam pertinentibus. Quod cum reversus bellicosissimo Karolo nuntiaret, arridens[a] ille dixit ei: *Multo melius tibi rex ille consuluisset, si unum lineum femorale ad tantum iter tibi tribuisset.*

VI. Non videtur occultanda sapientia, quam sapienti[b] Greciae idem missus aperuit. Cum autumnali tempore ad urbem quondam[c] regiam cum sociis[d] venisset, aliis alio divisis, ipse cuidam episcopo commendatus est. Qui, cum ieiuniis et orationibus incessanter incumberet, legatum illum pene continua mortificavit inedia; vernali autem temperie iam aliquantulum arridente, praesentavit eum regi. Qui[e] interrogavit eum, qualis sibi idem videretur episcopus. At ille, ex imis praecordiis alta suspiria trahens[f]: *Sanctissimus est* ait *ille vester episcopus, quantum sine Deo possibile est.* Ad quod stupefactus rex: *Quomodo* inquit *sine Deo aliquis sanctus esse potest?* Tum ille: *Scriptum est* inquit *„Deus caritas est"; qua iste vacuus est.*

Tunc rex vocavit eum ad convivium suum et inter medios proceres collocavit. A quibus talis lex constituta erat: ut nullus in mensa regis, indigena sive[g] advena, aliquod animal vel corpus animalis in partem aliam[h] converteret; sed ita tantum[i], ut positum[k] erat, de superiori parte manducaret[l]. Allatus est autem piscis fluvialis[m] et pigmentis infusus, in[n] disco positus. Cumque hospes idem, consuetudinis illius[o] ignarus, piscem illum in partem alteram giraret, exurgentes omnes dixerunt[p] ad regem: *Domine, ita estis inhonorati*[q], *sicut nunquam anteriores vestri.* At ille[r] ingemiscens dixit ad legatum illum: *Obstare non possum istis, quin morti continuo tradaris. Aliud pete, quodcunque volueris; et complebo.* Tunc, parumper deliberans, cunctis audientibus[s] in haec verba prorupit: *Obsecro, domne imperator, ut secundum promissionem vestram concedatis mihi unam peticionem parvulam.*

a. deridens *Z, W.* b. sapientiam *Z, W.* c. quandam *Z, W.* d. suis *add. Z, W.* e. et *add. H.* f. dixit *Z, W, ubi om.* ait, ille. g. vel *Z, W.* h. alteram *Z, W, ubi additum est* in scutella in disco. i. *om. Z, W.* k. impositum *Z, W.* l. comederet *Z, W.* m. fluvialis et *om. Z, W.* n. et in disco ponebatur *Z, W.* o. *om. Z, W.* p. venerunt ad regem et dixerunt *Z, W.* q. inhonoratus hodie *Z, W.* r. rex *Z, W.* s. convenientibus *Z, W.*

Et rex ait: *Postula, quodcunque volueris, et impetrabis; praeter quod*[a] *contra legem Grecorum vitam tibi concedere non possum.* Tum ille: *Hoc* inquit *unum moriturus flagito: ut, quicunque me piscem illum girare*[b] *conspexit, oculorum lumine privetur.* Obstupefactus rex[c] ad talem conditionem, iuravit per Christum, quod ipse hoc non videret[d] sed tantum narrantibus crederet. Deinde regina ita se coepit excusare: *Per laetificam theotocon, sanctam Mariam, ego illud non adverti.* Post reliqui proceres, alius ante alium tali se periculo exuere cupientes, hic per clavigerum coeli, ille per doctorem gentium, reliqui per virtutes angelicas sanctorumque omnium turbas ab hac se noxa terribilibus sacramentis absolvere conabantur. Tum sapiens ille Francigena, vanissima Hellade in suis sedibus exsuperata, victor et sanus in patriam suam reversus est.

Post annos autem aliquot direxit illuc indefessus[e] Karolus quendam episcopum, praecellentissimum mente[f] et corpore virum, adiuncto ei comite[g] nobilissimo duce Hugone[h]. Qui, diutissime protracti[i], tandem ad praesentiam regis[k] perducti et indigne habiti, per diversissima sunt loca[l] divisi. Tandem[m] vero[n] aliquando dimissi, cum magno navis et rerum dispendio redierunt.

Non post multum[o] autem direxit idem rex legatarios[p] suos ad gloriosissimum Karolum. Forte[q] vero contigit, ut tunc idem episcopus cum duce praefato apud imperatorem fuissent. Nunciatis igitur legatis venturis[r], dederunt[s] consilium sapientissimo Karolo: ut circumducerentur per alpes et invia, donec, attritis omnibus et consumptis, ingenti penuria confecti ad conspectum illius venire cogerentur. Cumque tandem[t] venissent, fecit idem episcopus vel[u] socius eius comitem stabuli in medio subiectorum

a. praeter vitam, quam tibi contra *Z, W.* b. girasse *Z, W.* c. *om. H.* d. vidisset. Similiter regina et omnes reliqui proceres se excusabant. Tunc ille Francigena, nemine illum accusante, sanus ad patriam est reversus *Z, W. pro* videret — reversus est. e. gloriosissimus *Z, W.* f. mente — virum *om. Z, W.* g. *om. Z, W.* h. *om. H.* i. Qui cum diutissime fuissent protracti *Z, W* (protracte *Z*). k. sunt *add. Z, W.* l. diversa loca *Z, W.* m. et tandem *W.* n. *om. Z, W.* o. Non multum post *Z,* Non multo post *W.* p. legatos *Z, W.* q. Forte — fuissent *om. Z, W.* r. idem episcopus cum praefato duce *add. Z, W.* s. dedit *Z, W.* t. *om. H.* u. vel — eius *om. Z, W.*

suorum sublimi throno considere[a], ut nequaquam alius quam imperator credi potuisset. Quem ut legati viderunt, corruentes in terram[b] adorare voluerunt. Sed a ministris repulsi, ad anteriora[c] progredi sunt compulsi. Quo cum venirent, videntes[d] comitem palatii[e] in medio procerum concionantem, imperatorem suspicati, terratenus sunt prostrati. Cumque et inde colaphis propellerentur, dicentibus qui aderant: *Non hic*[f] *est imperator,* in ulteriora progressi et invenientes[g] magistrum mensae regiae cum ministris ornatissimis, putantes[h] imperatorem[i], devoluti sunt in humum. Indeque[k] repulsi, reppererunt in consistorio cubicularios imperatoris circa magistrum suum, de quo non videretur dubium, quin ille princeps posset esse[l] mortalium. Qui, cum se quod non erat abnegaret, pollicebatur tamen, quod cum primoribus palacii moliretur, quatinus, si fieri potuisset[m], in praesentiam imperatoris augustissimi pervenire deberent. Tunc ex latere caesaris[n] directi sunt, qui eos honorifice introducerent. Stabat autem gloriosissimus regum Karolus iuxta fenestram lucidissimam, radians sicut sol in ortu suo, gemmis et auro conspicuus, innixus super Heittonem[o] [1]; hoc quippe nomen erat episcopi ad Constantinopolim quondam destinati. In cuius undique circuitu[p] consistebat instar militiae coelestis, tres videlicet iuvenes filii eius, iam regni participes effecti[2], filiaeque cum matre non minus sapientia vel pulchritudine quam monilibus ornatae, pontifices forma et virtutibus incomparabiles, praestantissimique nobilitate[q] simul et sanctitate abbates; duces[r] vero tales, qualis quondam apparuit Iosue in castris Galgalae[3]; exercitus vero talis, qualis de Samaria Siros cum Assiriis effugavit; ut, si David medius esset, haec non inmerito praecinuisset:

a. residere *Z, W.* b. terra *H.* c. interiora *Z, W.* d. *om. Z.* e. palatinum *Z, W.* f. *om. Z, W.* g. invenerunt *Z, W. pro* et invenientes. h. Quem putantes *Z, W.* i. esse *add. Z, W.* k. Inde *Z, W.* l. esset *Z, W. pro* esse posset. m. posset *Z, W.* n. regis *Z, W.* o. Heitonem *Z.* p. in circuitu *Z.* q. duces *add. Z, W.* r. duces — nomen Domini *om. Z, W.*

1. ep. Basileensem, quem constat anno 811 legatum Constantinopolim missum esse annoque 812 rediisse. 2. Carolus, qui iam d. 4 Dec. 811 obierat; Pippinus, iam die 8 Iul. 810 mortuus; Ludovicus. 3. Cf. Iosue 10, 6.

Reges terrae et omnes populi, principes et omnes iudices terrae, iuvenes et virgines, senes cum iunioribus laudent nomen Domini[1]. Tunc[a] consternati missi Grecorum, deficiente[b] spiritu et consilio perdito, muti et exanimes in pavimentum deciderunt. Quos benignissimus imperator elevatos consolatoriis allocutionibus animare conatus est. Tandem itaque recreato spiritu, cum exosum quondam et abiectum a se Heittonem[c] in tali gloria vidissent, iterum pavefacti tam diu volutabantur humi, donec eis rex per regem coelorum iuraret, nihil[d] se illis mali in nullo aliquo facturum. Qua sponsione roborati, aliquantulum fiducialius agere coeperunt. Patriamque reversi, non sunt ulterius ad nostra progressi.

Hic replicandum videtur, quam[e] sapientissimos homines praeclarissimus Karolus habuerit in omnibus.

VII. Cum igitur Greci post matutinas laudes imperatori celebratas in octava die theophaniae secreto in[f] sua lingua Deo Ian. 13
psallerent antiphonas[g] eius melodiae et materiae, cuius sunt: *Veterem hominem* cum sequentibus, precepit imperator capellano cuidam suo Grecismi[h] perito: ut ipsam materiam in eadem modulatione Latinis redderet, et singulis eius modulaminis motibus singulas syllabas dare sollicite curaret, ne, quantum natura sineret, in illo[i] dissimiles forent. Inde est, quod omnes eiusdem sunt toni, et quod in una ipsarum pro *contrivit* „*conteruit*"[k] positum[l] invenitur.

Adduxerunt etiam idem praefati Grecorum[m] missi omne[n] genus organorum sed et variarum rerum secum. Quae cuncta ab opificibus sagacissimi Karoli, quasi dissimulanter aspecta, accuratissime sunt in opus conversa; et praecipue illud musi-

a. mente *add. Z, W.* b. deficiente — perdito *om. Z, W.* c. Heitonem *Z, W.* d. nihil se mali facturum eis in ullo *Z, W. pro* nihil — facturum. e. quam sapientes homines sapientissimus K. in omnibus habuerit *Z,* quam sapientissime Karolus in omnibus se habuerit *W.* f. *om. Z, W.* g. et ille occultatus in proximo carminum dulcedine delectaretur, praecepit clericis suis, ut nihil ante gustarent, quam easdem antiphonas in Latinum conversas ipsi praesentarent *H. pro* antiphonas — dissimiles forent *Z, W.* h. Grecissim *Z,* Grecismo *W.* i. illo *Z,* nullo *W.* k. conteruit *Z, W.* l. *om. Z.* m. praefati Grecorum *om. H.* n. omnē *Z.*

1. Ps. 148, 11. 12.

eorum organum praestantissimum, quod, doliis ex aere conflatis follibusque taurinis per fistulas aereas mire perflantibus, rugitum quidem tonitrui boatu[a], garrulitatem vero lyrae vel cymbali dulcedine coaequabat. Quod ubi positum fuerit quamdiuque duraverit et quomodo inter alia rei publicae[b] damna perierit, non est huius loci vel temporis enarrare.

VIII. Per idem tempus etiam[c] legati Persarum ad eum directi sunt. Qui, situm Franciae nescientes, pro magno duxerunt, si litus Italiae propter famositatem Romae, cui tunc illum[d] imperare cognoverant, apprehendere valuissent. Cumque episcopis Campaniae vel Tusciae[e], Emiliae vel[e] Liguriae Burgundiaeque sive[f] Galliae, simul et abbatibus vel comitibus causam adventus sui indicassent[g], dissimulanterque ab eisdem[h] suscepti vel repulsi[i] fuissent, tandem post anni revolutum circulum apud Aquasgrani famosissimum virtutibus[e] Karolum, defessi[k] et nimio defecti circuitu, reppererunt. Venerunt autem illuc in maioris quadragesimae ebdomada maiori. Nuntiatique imperatori, dilati sunt ab eius conspectu usque in vigiliam paschae. Cumque in festivitate praecipua incomparabilis ille incomparabiliter adornatus fuisset, iussit introduci personas eius gentis, quae cuncto quondam esset orbi terribilis. Quibus tamen excellentissimus Karolus ita terrificus videbatur prae omnibus, quasi nunquam regem vel imperatorem prius vidissent. Quos ille blande susceptos hoc munere ditavit: ut, quasi unus de filiis eius, ubicunque vellent ambulandi et singula quaeque perspiciendi et quaecunque rogandi vel interrogandi licentiam haberent. Quo tripudio gestientes, ipsi adherere[l], ipsum inspicere ipsumque admirari[m] cunctis orientalibus[n] praeposuere divitiis. Ascendentesque[o] in solarium, quod ambit aedem basilicae, et inde despectantes clerum vel exercitum, iterumque[p] ad imperatorem regredientes, propterque leticiae magnitudinem risum retinere[q] nequeuntes, complosis

a. boacy *W.* b. post *H.* *pro* rei publicae. c. *om.* *Z, W.* d. *om.* *Z.* e. vel Tusciae *om.* *Z, W.* f. Burgundiae vel *Z, W.* g. nunciassent *Z, W.* h. eis *Z, W.* i. expulsi *H.* k. defessi et *om.* *Z, W.* l. ipsi adherere *om.* *W.* m. admirarę *Z.* n. cuncti orientalium *Z, W.* o. Ascendentes *Z, W.* p. et iterum *add.* *H.* q. tenere *Z, W.*

manibus aiebant: *Prius terreos tantum homines vidimus, nunc autem aureos*[a]. Deinde ad singulos procerum accedentes, novitatemque[b] vestimentorum sive armorum admirati, ad mirabiliorem sunt augustum regressi. Quod cum[c] eadem nocte et sequenti dominica pasce[d] iugiter in ecclesia facerent[e], in ipsa[f] sacrosancta die ad opipare convivium opulentissimi Karoli cum Franciae Europaeque[g] proceribus sunt invitati. Inde vero insolitarum[h] rerum miraculo perculsi, propemodum exsurrexere ieiuni.

Postera[i] Phebea spargebat lampade terras[1],
Titoni croceum linquens Aurora cubile[2],

cum ecce quietis et otii impatientissimus Karolus ad venatum bissontium vel urorum in nemus ire et Persarum nuncios secum parat educere. Qui cum ingentia illa viderent animalia, nimio pavore perculsi, in fugam conversi sunt. At non territus heros Karolus, ut in equo sedebat acerrimo, appropinquans[k] uni eorum, extracta spata cervicem eius abscidere conabatur. Sed frustrato ictu, galliculam regis et fasciolam ferus immanissimus disrumpens tibiamque illius summo licet cornu perstringens, paulo tardiorem reddidit; et in convallem tutissimam, lignis et lapidibus asperatam, casso vulnere irritatus aufugit. Cumque ad obsequium domini cuncti pene hossas[3] suas vellent extrahere, ille prohibuit, dicens: *Sic affectus ad Hildigardam venire debeo.* Consecutus autem feram Isambardo[l] filius Warini[4], persecutoris patroni vestri Othmari, cum propius non fuisset ausus accedere, librata lancea inter armum et guttur cor eius penetravit et imperatori palpitantem consignavit. Quod cum ille quasi non advertisset, cadavere sociis relicto, reversus est domum; advocataque regina, ostendit ocreas disruptas et dixit ei: *Quid*[m] *dignus est, qui de hoste haec infligente me liberavit?* Illaque respondente: *Omni*

a. aureum *H.* b. novitatem *Z, W.* c. in *Z, W.* d. *om. H.* e. fecerant *Z, W.* f. vero *add. Z, W.* g. Europaeve *H.* h. Sed tamen *H. pro* Inde — insolitarum. i. Postea *H.;* Postera Phebea — ipsa eidem est munera largita *om. Z, W.* k. appropinquantes *H.* l. Isambard *H.* m. Quod *H.*

1. Virg. Aen. IV, 6. 2. Virg. Aen. IV, 585. 3. bracas (die Hosen). 4. de quo v. Vit. S. Otmari cap. 4 sq., Mon. Germ. SS. II 43.

bono, enarravit imperator cuncta per ordinem; et immanissimis cornibus in testimonium prolatis, ad lacrimas et suspiria pugnosque pectoris dominatricem coegit. Quae cum audisset, quod tunc odibilis et cunctis honoribus exspoliatus Isambardo imperatorem[a] de tali adversario vindicasset, eius pedibus advoluta, impetravit ei omnia, quaecunque illi fuerant ablata; sed et ipsa eidem est munera largita.

Attulerunt autem idem[b] Persae imperatori elephantum et simias, opobalsamum, nardum, unguentaque[c] varia, pigmenta, odoramenta vel medicamenta diversissima; adeo ut orientem evacuasse et occidentem viderentur implesse. Cumque multa apud imperatorem familiaritate uti coepissent, quadam[d] die, cum iam laetiores essent et graecingario[1] fortiori incaluissent, ad Karolum, serietate[e] sobrietateque semper armatum, iocculariter haec prolocuti sunt: *Magna quidem est, o imperator, potentia vestra*[f], *sed multo minor rumore, quo apud orientalia regna diffamati polletis*[g]. Quo ille audito et profundissima indignatione dissimulata, iocculariter inquisivit ab eis: *Cur ita filii mei dicitis? vel hoc vobis unde videtur?* At illi, repetentes a principio, narraverunt ei cuncta, quae sibi in cismarinis partibus contigerunt; dicentes: *Nos Persae vel Medi Armeniique vel Indi, Parthi*[h] *et Elamitae omnesque orientales multo magis vos quam dominatorem nostrum Aaron timemus. De Macedonibus autem vel omnibus*[i] *Achivis quid dicamus? qui iam iamque*[k] *magnitudinem vestram plus se fluctibus Ioniis*[l] *oppressuram pavitant*[m]. *Insulani autem omnes, per quos iter habuimus, ad obsequium vestrum ita prompti sunt et intenti, quasi in palacio vestro nutriti fuerint et beneficiis ingentibus honorati. Istarum autem partium pri-*

a. impr̄ *H.* b. *om. H.* c. unguenta *Z, W.* d. quadamque die letiores essent et mero forciori incaluissent *Z, W.* e. serenitate *Z, W.* f. tua *Z.* g. diffamatus polles *Z, W.* h. Parthi et Elamitae *om. Z, W.* i. *om. H.* k. *om. Z, W.* l. Ionii *H.* m. putant *Z, W.*

1. Pro „graecingario" ab ipso scriptore haud dubie „grûcingario" sive „grûzzingario" positum esse, me docuit Carolus Müllenhoff; „grûzzing" enim declarare cerevisiam. Cf. Müllenhoff und Scherer Denkmäler deutscher Poesie und Prosa p. 329.

mores, ut nobis videtur, non satis curant de vobis, nisi tantum in praesentia vestra[a]. *Nam cum eis, utpote peregrini, perinde suggereremus*[b], *ut aliquid nobis humanitatis in vestri amore, quoniam vos quaereremus, exhibere dignarentur, inadiutos et vacuos dimiserunt.* Tunc imperator omnes[c] comites et abbates, per quos idem missi profecti sunt, cunctis honoribus denudavit; episcopos autem infinita pecunia[d] multavit[e]; legatos vero cum ingenti cautela et honore ad usque proprios fines deduci praecepit.

IX. Venerunt quoque ad eum legatarii[f] regis Afrorum, deferentes leonem Marmaricum ursumque Numidicum cum ferrugine Hibera Tyrioque murice et caeteris earundem regionum insignibus. Quem[g 1] liberalissimus Karolus Libicosque omnes[h] iugi penuria semper[h] confectos Europe divitiis, frumento videlicet[i] vino et oleo[k], non solum tunc sed et omni tempore vitae suae remunerans et larga manu sustentans, subiectos sibi atque[l] fideles in perpetuum retentavit; et ab eis non vilia tributa suscepit.

Porro autem imperatori Persarum direxit indefessus augustus equos et mulos Hispanos[m]; palliaque[n] Fresonica, alba, cana, vermiculata vel[o] saphirina, quae in illis partibus rara et multum cara comperit; canes quoque agilitate et ferocia[p] singulares, quales ipse prius ad capiendos vel propellendos leones et[q] tigrides postulavit. Qui, caeteris muneribus quasi neglegenter inspectis, requisivit[r] a missis, quas feras et[s] bestias canes illi debellare solerent[t]. Cumque responsum acciperet, quia cuncta, quibus inmissi fuissent[u], absque mora discerperent, *Hoc* inquit *rei*[v] *probabit eventus.* Et ecce crastina die factus est maximus pastorum[v] clamor, a facie leonis fugientium. Quod cum in aula regis fuisset auditum, dixit ad legatos: *O socii Franci, ascendite in*[v] *equos vestros*[v] *et exite post me.* Qui statim, quasi nihil um-

a. vestri *Z, W.* b. suggeremus *H.* c. orientales *add. Z.* d. infinitę pecunię *H.* e. vel dampnavit *add. H.* f. legati *Z, W.* g. Quam *H.* h. *om. H.* i. et *add. Z, W.* k. et oleo *om. Z, W.* l. et *Z, W.* m. Hyspanios *Z,* Hyspanicos *W.* n. pallia *H.* o. *om. Z, W.* p. ferocitate *Z, W.* q. vel *Z, W.* r. requisivit a missis *om. Z, W.* s. aut *Z, W.* t. quesivit *add. Z, W.* u. si *add. Z.* v. *om. Z, W.*

1. regem.

quam laboris aut lassitudinis passi fuissent[a], alacriter sunt regem prosecuti. Cum autem ad conspectum leonis, eminus[b] licet, ventum fuisset, dixit[c] satraparum satrapa: *Instigate canes vestros in leonem.* Qui, iussa complentes et acerrime advolantes, a Germanicis canibus Persicum leonem comprehensum Yperboreae venae gladiis in Saxonum duratis sanguine[d] peremerunt. Quo viso, nominis sui fortissimus heres[e] Aaron, ex rebus minimis fortiorem Karolum deprehendens, his verbis in eius favorem prorupit: *Nunc cognosco, quam sint vera, quae audivi[f] de fratre meo Karolo; quia scilicet assiduitate venandi et infatigabili studio corpus et animam exercendi cuncta, quae sub coelo sunt, consuetudinem habet edomandi. Quid igitur ei possum condignum rependere, qui[g] ita me curavit honorare? Si terram promissam Abrahae et exhibitam Iosuae dedero illi, propter longinquitatem locorum non potest eam defensare a barbaris; vel si iuxta magnanimitatem suam defendere[h] coeperit, timeo, ne finitimae regno[i] Francorum provintiae discedant ab eius imperio. Sed tamen hoc modo liberalitati eius gratificari[k] temptabo. Dabo quidem illam in eius potestatem, et ego advocatus eius ero super eam; ipse vero, quandocunque voluerit vel sibi oportunum visum fuerit[l], dirigat ad me legatos suos, et fidelissimum me procuratorem eiusdem provintiae redituum[m] inveniet.* Hoc ergo[n] modo factum est, ut, quod pro impossibili dixit poeta:

Aut Ararim[o] Parthus bibet aut Germania Tigrim[1],

propter industriam[p] vigorosissimi[q] Karoli et itus et reditus[r] legatorum[s] eius et profectio et reversio[t] missorum[u] Aaron de Parthia in Germaniam sive de Germania in Parthiam iuvenibus pueris et senioribus non solum possibilis sed et[v] facillimus[w] vide-

a. *om. H.* b. licet eminus venissent *Z, W.* c. regis *add. Z, W.* d. gladiis duratis pro sanguine *H.* e. heros *Z, W.* f. cognosco *Z,* cognovi *W.* g. quia *Z, W.* h. defensare a barbaris *Z, W.* i. regni *Z, W.* k. liberalitatem .. gratificare *Z, W.* l. oportunissimum videtur *H.* m. reditum *Z,* redditum *W.* n. *om. Z, W.* o. Aaron *Z.* p. quia industria *W.* q. victoriosissimi *W.* r. exitum vel reditum *H.* s. missorum *H.* t. profectionem vel reversionem *H.* u. legatorum *H.* v. *om. Z, W.* w. possile — facillimum *H.*

1. Virg. Buc. eclog. I 63.

retur omnino[a]; utrumlibet Ararim quidem[b] velint accipere grammatici, eum videlicet qui Rhenum vel illum[c] qui Rhodanum precipitat[d], quia[e] hoc locorum confuderunt ignari. Ad huius rei testimonium totam ciebo Germaniam; quae temporibus gloriosissimi patris vestri[f] Hludowici de singulis huobis[g] possessionum 817—876 legalium[h] singulos denarios reddere compulsa est, qui darentur ad redemptionem christianorum, terram repromissionis[i] incolentium, hoc[k] pro antiqua dominatione atavi vestri Karoli avique vestri Hludowici ab eo miserabiliter implorantium.

X. Et quia ita se obtulit occasio, ut de indicibili patre vestro incideret honoranda mentio, libet[l] commemorare praesagium, quod de illo sapientissimum constat protulisse Karolum. Nam cum, natus et sex annis in domo patris cautissime nutritus[1], c. 810 sexagenariis hominibus sapientior haut inmerito videretur, genitor indulgentissimus, qui hoc vix egre expectaret, ut ad conspectum avi eum perducere potuisset, assumens puerum a matre delicatissime curatum coepit instruere, quam serie vel quam timorate ante imperatorem se agere aut, forte interrogatus, ei respondere nec non et sibi deferre deberet. Et sic eum ad palatium produxit. Cumque prima die vel secunda inter reliquos statores eum imperator curiosioribus oculis intueretur, dixit ad filium: *Cuius est ille puerulus?* Illo respondente: *Quia meus et vester, si dignamini,* postulabat eum, dicens: *Da illum mihi.* Quod cum factum fuisset, deosculatum serenissimus augustus pusionem remisit ad stationem pristinam. Ille, mox dignitatem suam cognoscens et cuiquam post imperatorem secundus remanere despiciens, collectis animis et membris compositissime collocatis, aequato gradu stetit iuxta patrem suum. Quod providentissimus aspectans Karolus vocato ad se filio Hludowico[m] praecepit, ut

a. *om. Z, W.* b. *om. H.* c. eum *Z.* d. unde ait: „Rodanumque morantem praecipitavit Arar" *add. Z, W.* e. quia — ignari *om. Z, W.* f. patris vestri *om. Z, W.* g. huob; vel mansis *Z,* huobis vel mansis *W,* nobis *H.* h. regalium *H.* i. promissionis *H.* k. hoc pro — implorantium *om. Z, W.* l. libet aliqua gestorum eius insignia commemorare *Z, W, ubi deest reliqua pars huius capitis:* Nam cum natus — digressus sum. m. .N. *H.*

1. Ludovicus circiter anno 804 natus erat. V. Dümmler Gesch. des ostfränk. Reichs I 1.

c. 810 interrogaret cognominem suum, cur ita faceret vel qua fiducia se patri adaequare praesumeret. Ille vero ratione subnixum reddidit responsum: *Quando* inquiens *vester eram vassallus, post vos ut oportuit inter commilitones meos steteram; nunc autem, vester socius et commilito, non inmerito me vobis coaequo.* Quod cum Hludowicus imperatori retulisset, ille huiusmodi sententiam promulgavit: *Si vixerit puerulus iste, aliquid magni erit.* Quae verba ideo de Ambrosio[1] mutuati sumus, quia, Karolus quae dixit, non possunt ex amussim in Latinum converti. Nec inmerito prophetiam de sancto Ambrosio magno accommodaverim Hludowico, qui[a] — exceptis eis rebus et negociis, sine[b] quibus res publica terrena non subsistit, coniugio videlicet usuque armorum — per omnia simillimus immo etiam quantum potentia regni tantum religionis studio, si dici liceat, quodammodo maior exstiterit Ambrosio; fide scilicet catholicus, Dei cultor eximius, servorum Christi socius tutor et defensor indefessus.

873 Quod adeo verum est, ut, cum fidelis eius abba noster Hartmutus[c][2], nunc autem vester inclusus, ei retulerit, quod reiculae Sancti Galli, non ex regalibus donariis sed ex privatorum tradiciunculis collectae, nullum privilegium aliorum monasteriorum vel communes populorum cunctorum leges haberent et ideo neminem sui defensorem vel advocatum repperire potuissent, ipse, se cunctis adversariis nostris opponens, advocatum se vilitatis nostrae coram cunctis principibus suis profiteri non erubuerit. Quo etiam tempore epistolam ad vestram indolem direxit[3], ut per vestram auctoritatem iuramento coacticio, quaecunque opus habuerimus, licenter quaerere deberemus. Sed heu, quam stultus ego, qui propter specialem benignitatem, ab eo nobis

a. cui *H.* b. *om. H.* c. Hart. *H.*

1. In Paulini Vita S. Ambrosii c. 2 (Opp. S. Ambrosii ed. Benedictini, Parisiis 1690, T. II app. p. II) leguntur haec: „Quo facto territus pater ait: „„Si vixerit infantulus, aliquid magni erit““. 2. qui a. 872 abbas factus, m. Decembri anni 883 voluntate se abbatia abdicavit. 3. die 9 Apr. 873, ap. Wartmann Urkundenbuch der abtei S. Gallen II p. 183 n. 570: „precipimus — ut res illius (monasterii S. Galli), ubi necessitas exigerit, cum sacramento inquirantur“.

praebitam, a generali et ineffabili eius bonitate et magnitudine vel magnanimitate parum consulte, privato gaudio retrahente, digressus sum.

XI. Erat itaque[a] Hludowicus, rex vel imperator totius Germaniae Rhetiarumque et antiquae Franciae nec non Saxoniae Turingiae Norici Pannoniarum atque omnium septentrionalium nationum, statura opimus[b], forma decorus, oculis astrorum more radiantibus, voce clara et omnino virili, sapientia singularis; quam, acutissimo fretus ingenio, scripturarum assiduitate cumulatiorem reddere[c] non cessabat. Ideoque[d] ad anticipandas vel superandas omnes inimicorum insidias et subiectorum litigia terminanda, fidelibusque[e] suis universa commoda providenda[f], incomparabili vivacitate pollebat. Cunctis gentilibus circumquaque versis[g] anterioribus suis magis magisque terrificus subinde perseverabat. Et merito; quippe qui nunquam linguam suam iudicio aut manus suas effusione sanguinis christiani commacularet praeter unam et ultimam quidem[h] necessitatem[1]. Quam prius enarrare non audeo, quam aliquem parvulum Luthowicum[i] vel Carolastrum vobis astantem[k] video. Post quam tamen cedem nullo unquam modo compelli[l] potuit, ut quempiam condempnaret ad mortem. Sed tamen hac districtione infidelitatis vel insidiarum insimulatos coercere solebat, ut[m] honoribus[n] privatos, nulla unquam occasione vel temporis[o] longitudine[p] mollitus, ad pristinum gradum conscendere[q] pateretur. Ad orationis studium et devotionem ieiuniorum curamque servitii divini supra omnes[r] homines ita erat intentus, ut exemplo sancti Martini, quicquid aliud ageret, semper[r] quasi praesenti Domino supplicare videretur. Carne et cibis lautioribus diebus certis abstinuit. Tempore vero laetaniarum de palatio discalciatis pedibus usque ad ecclesiam pastoralem 817—876

a. Et erat ita *Z, W.* b. optimus *H.* c. fructum *add. Z, W.* d. Ideo *Z, W.* e. fidelibus *Z, W.* f. conservanda *Z, W.* g. circumque universis *H.* h. praeter ultimam necessitatem *H.* i. Ludowiculum *H.* k. antistitem *Z, W.* l. cogi *Z, W.* m. *om. Z.* n. honore *Z, W.* o. temporum *W.* p. longinquitate *Z, W.* q. concedere *Z.* r. *om. Z, W.*

1. anno 842; quo quidem anno multos Saxones, qui Stellinga vocabantur, interfici iussit Ludovicus. Cf. Dümmler Gesch. d. ostfränk. Reichs I 178 n. 81.

817—876 vel ad Sanctum Hemmerammum, si quidem esset[a] Reganesburg[b], crucem sequi solitus erat. In aliis vero locis commanentium consuetudinem non abnuebat. Oratoria nova ad Franconovurt[c] et Reganesburg admirabili opere construxit. Cumque ibi[d] propter magnitudinem fabricae alii lapides non sufficerent, muros urbis destrui fecit. In quorum cavitatibus[e] tantum auri circa antiquorum ossa repperit, ut non solum[f] eandem basilicam eodem adornaret sed et libros integros exinde conscriptos thecis eiusdem materiae[g] grossitudine prope digiti cooperiret. Nullus clericus, nisi legere doctus et canere[h], non solum cum eo manere sed ne in conspectum[i] eius quidem[k] venire praesumpsit[l]. Monachos vero voti sui praevaricatores ita despexit, ut observatores omni affectu dilexit. Ita omni iocunditate ac dulcedine plenus semper exstitit, ut, si quis ad eum tristis adveniret, ex sola visione vel quantulacunque eius allocutione laetificatus abscederet. Quodsi quid forte sinistrum vel ineptum in eius conspectu subito fieret vel eum[m] aliunde comperisse[n] contingeret, sola oculorum animadversione sic omnia correxit, ut, quod de aeterno internoque iudice scriptum est: *Rex, qui sedet in solio regni sui, intuitu vultus sui dissipat omne malum*[1], supra fas mortalibus concessum in illo non ambigeretur[o] inceptum. Haec breviter per excessum dixerim, vita comite propitiaque divinitate votum habens plurima de eo scribere.

XII. Ad[p] propositum iam redeundum est[p]. Inter ea cum imperator Karolus propter adventantium[q] frequentiam vel infestationem indomitissimorum Saxonum vel latrocinia pyraticamque Northmannorum[r] sive Maurorum apud Aquasgrani paulo diutius consedisset, bellum autem contra Hunos a filio eius Pippino gereretur, exeuntes a septentrione barbarae nationes Nori-

a. esse *Z*, sedem *W*. b. Regini *Z*, regni *W*. c. Franchofurt *Z*, *W*. d. *om. H*. e. civitatibus *H*, *Z*, *W*, cavitatibus *scripsit Pertzius*. f. circa *add. W*. g. eius materiei *Z*, *W*. h. psallere *Z*, *W*. i. conspectu *Z*, *W*. k. *om. H*. l. praesumpserit *Z*. m. cum *W*. n. repperisse *Z*, *W*. o. ambiret *Z*, *W*. p. Unde nunc iam ad proposita redeamus *Z*, *W*. *pro* Ad — est. q. advenientium *W*. r. Northamannorum *Z*, Northmannorum *W*, Nordmannorum *H*.

1. Cf. Proverb. 20, 8.

cum et orientalem Franciam magna ex parte depraedatae sunt.
Quod ille comperiens, per se ipsum ita omnes humiliavit, ut
etiam pueros et infantes ad spatas metiri praeciperet et, qui-
cunque eandem mensuram excederet, capite plecteretur.

De[a] quo facto aliud multo maius et[b] illustrius opus ex-
crevit[c]. Cum enim sanctissimus avus imperii[d] vestri vita de- 840
cederet[e], quidam gigantes — quales propter iracundiam Dei
per filios Seth de filiabus Cain narrat scriptura procreatos; spi-
ritu superbiae inflati[1], eorum procul dubio suppares, qui dixe-
runt: *Quae nobis pars in David aut quae hereditas in filio
Isai?*[2] — eius prolem habitudinis optime despicientes, singuli
sibi principatum regni arripere et diadema portare conati sunt.
Tunc quibusdam de mediocribus Dei instinctu protestantibus,
quod inclitus[f] imperator Karolus hostes quondam christianorum
metiretur ad spatam et idcirco, quam diu de progenie illius[g]
aliquis spatae longitudinis inveniri posset, ille Francis immo
toti[h] Germaniae deberet imperare, factio illa diabolica, quasi
fulminis ictu percussa, est in diversa disiecta.

Sed, extraneorum victor, Karolus a propriis est mira[i] qui-
dem sed cassa fraude circumventus. Nam de Sclavis ad Regi-
nam[k] regressus, a filio, per concubinam progenito et[l] nomine 792
gloriosissimi Pippini a matre ominaliter[m] insignito[n], pene captus
et, quantum in eo fuit, est morti dampnatus. Quod hoc modo
compertum est. Cum in ecclesia sancti Petri, proceribus con-
gregatis, de morte imperatoris consiliatus fuisset, finito consilio,
omnia tuta timens, iussit explorare, si quis usquam in angulis
aut subter altaribus[o] fuisset absconsus. Et ecce, ut[p] timuerunt,
invenerunt unum clericum subtus altare celatum; quem appre-
hendentes ad iusiurandum compulerunt, ne proditor molitionis
eorum fieret. Qui, ne vitam perderet, ut dictaverunt, iurare non
abnuit; sed illis recedentibus, iuramentum illud sacrilegum parvi

a. E *Z*, Ex *W*. b. et illustrius *om. Z, W*. c. exercuit *W*. d. impe-ratoris *Z, W*. e. excederet *Z*. f. *om. Z, W*. g. illa *W*. h. tote *Z, W*. i. *om. Z*. k. regnum *Z, W*. l. *om. H*. m. criminaliter *W*. n. inge-nito *Z, W*. o. altare *Z*, altaria *W*. p. ut timuerunt *om. Z, W*.

1. V. Genes. 6, 4; Proverb. 14, 6. 2. 3 Reg. 12, 16.

792 pendens, ad palatium properavit. Cumque cum[a] maxima difficultate per septem seras et ostia tandem ad cubiculum imperatoris penetrasset, pulsato aditu, vigilantissimum semper Karolum ad maximam perduxit admirationem, quis eo tempore eum praesumeret inquietare. Praecepit tamen feminis[b], quae ad obsequium reginae vel filiarum eius[c] eum comitari solebant, ut exirent videre, quis esset ad ianuam vel quid inquireret. Quae, exeuntes cognoscentesque personam vilissimam, obseratis ostiis, cum ingenti risu et chachinno[d] se per angulos, vestibus ora repressae, conabantur abscondere. Sed sagacissimus imperator, quem nihil sub coelo posset effugere, diligenter a mulieribus exquisivit, quid haberent vel quis ostium pulsaret. Responsumque accipiens, quia quidam[e] coctio[f] derasus insulsus et insaniens, lineam tantum et femoralia[g] indutus, se absque mora postularet[h] alloqui, iussit eum intromittere[i]. Qui statim, corruens ad pedes illius, cuncta patefecit ex ordine. Nihil vero minus suspicantes, ante horam diei terciam omnes illi coniuratores dignissima poena vel exiliis[k] deportati sunt aut puniti. Ipse quoque nanus et gibberosus[l] Pippinus, inmanissime cesus et detonsus, ad cellam[m] sancti Galli, quae cunctis locis imperii latissimi pauperior visa est et angustior, castigandi gratia ad tempus aliquantulum destinatus est.

Nec multo post quidam de primoribus Francorum in regem manus[n] mittere voluerunt. Quod cum eum minime lateret et tamen non libenter eos perderet, quia, si bene voluissent, magnum christianis munimen esse potuissent[o], direxit legatos suos ad eundem Pippinum; sciscitans ab eo, quid de his fieri oporteret. Quem cum in orto cum senioribus fratribus, iunioribus ad maiora opera detentis, urticas et noxia quaeque tridente extrahentem repperissent, ut usui proficua vivacius excrescere valerent, indicaverunt ei causam adventus sui. At ille, ex imis praecordiis suspiria trahens, ut omnes debiles animosiores sanis esse consueverunt, in haec verba respondit: *Si Karolus consilium*

a. *om. Z, W.* b. feminas *H.* c. *om. H.* d. kachinno *Z, W.* e. quidem *Z, W.* f. cottio *Z,* garcio *W.* g. linea et femoralibus *H.* h. pulsaret *Z, W.* i. introduci *Z, W.* k. exilio *Z, W.* l. gipperosus *H.* m. cellulam *H.* n. in manus regem *Z.* o. possent *Z, W.*

meum[a] *dignaretur, non ad tantas me deponeret iniurias. Ego nihil illi demando. Dicite illi*[b], *quid me agentem inveneritis.* At illi, timentes ne sine certo aliquo responso ad formidabilem reverterentur imperatorem, iterum atque iterum requirebant ab eo, quid domino[c] renuntiare deberent. Tunc ille stomachando: *Nihil* inquit *aliud ei demando, nisi quod facio; inutilia recrementa extraho, ut holera*[d] *necessaria liberius*[e] *excrescere valeant.* Igitur illi tristes abscesserunt, quasi qui[e] nihil rationabile reportarent. Venientes autem ad imperatorem et requisiti, quid referrent[f], conquesti sunt, se tanto labore et itinere ne in uno quidem sermone certiorari. Sagacissimo autem rege per ordinem interrogante, ubi eum vel quid agentem repperint quidque responsi illis reddiderit[g], dixerunt: *In tripetio*[h] *rusticano sedentem eum invenimus et tridente areolam holerum*[i] *novellantem. Causamque itineris nostri revolventes, hoc solum ab eo responsi magnis flagitationibus extorquere potuimus: „Nichil“ aiente*[k] *„aliud ei demando, nisi quod facio; inutilia recrementa extraho, ut holera necessaria liberius excrescere valeant“.* His auditis, astu non carens et sapientia pollens[l] augustus, confricatis auribus et inflatis naribus, dixit ad eos: *Rationabile responsum, optimi vassalli, reportastis.* Illis itaque de periculo vitae[m] metuentibus, ipse, vim dictorum ad effectum perducens, cunctos[n] illos insidiatores suos de medio viventium auferens, fidelibus suis occupata ab infructuosis loca crescendi et se extendendi[o] causa[p] concessit. Unum vero adversariorum, qui excelsissimum[q] in Francia collem et quaecunque de eo prospicere posset sibi in possessionem delegit, in eodem colle altissimae trabi affixum iussit elevari[r] [1]. Pippinum vero nothum suum[s] praecepit eligere sibi, quomodo vitam degere voluisset. Qui, optione concessa, optavit locum[t] in quodam monasterio[2] tunc nobilissimo, nunc autem,

a. accipere *add. W.* b. ei *Z, W.* c. suo *add. W.* d. olera *Z.* e. *om. Z, W.* f. ferrent *Z, W.* g. quidque eis responderit *Z, W.* h. tripedio *Z, W.* i. olerum *Z.* k. *om. Z, W.* l. *om. Z.* m. *om. Z, W.* n. *om. Z.* o. extollendi *Z, W.* p. causam *Z, W.* q. excellentissimum *Z, W.* r. levari *Z, W.* s. *om. H.* t. *om. Z.*

1. De hac fabula cf. T. Livii L. I c. 54. 2. Prumia.

non incertum de qua causa, destructo[1]; quam[a] antea non absolvam, quam Bernhardulum vestrum spata femur accinctum conspiciam.

Indignatus est autem magnanimus Karolus, quia ipse ad barbaras illas nationes sit[b] exire provocatus, cum quilibet ducum suorum ad hoc videretur idoneus. Quod etiam ita esse, ex unius conprovincialium meorum facto probabo. Erat quidam vir de Durgowe iuxta nomen suum „magna pars terribilis exercitus", vocabulo Eishere[c][2], tantae proceritatis, ut de Enachim stirpe[3] ortus[d] credi potuisset, nisi tantum temporis ac locorum interesset. Qui, quotienscunque[e] ad fluvium Duram alpinis torrentibus tumefactum exundantemque[f] venisset nec caballum maximum[g] in eius ne[h] dicam fluenta sed nec liquentia posset impellere[i], apprehensis habenis, fluitantem post se traxit, inquiens: *Per dominum Gallum, velis nolis me sequi debebis.* Is itaque[k], cum in comitatu caesaris Bemanos Wilzos[l] et Avaros in morem prati secaret et in avicularum modum de hastili suspenderet, domum victor reversus et a torpentibus interrogatus, qualiter ei in regione Winidum[m] complaceret, illos dedignatus hos[n] indignatus, aiebat: *Quid mihi ranunculi illi? Septem vel octo vel certe novem de illis, hasta mea perforatos et quid nescio[o] murmurantes, huc illucque portare solebam. Frustra adversum tales vermiculos domnus rex et nos fatigati sumus.*

XIII. Eodem itaque tempore cum imperator Hunorum bello extremam manum imponeret[p] et supra dictas gentes in deditionem suscepisset, exeuntes Northmanni[q] Gallis et Francis magnam inquietudinem fecerunt. Reversus autem invictissimus Karolus itinere terrestri, quamvis multum angusto et invio, domi eos invadere molitus[r] est. Sed vel Dei providentia prohibente,

a. Quam — conspiciam *om. Z, W.* b. rex *add. W.* c. eishere *H,* cisheqre *Z,* cishere *W.* d. exortus *Z, W.* e. cum *W.* f. exundantem *Z, W.* g. caballus maximus *W.* h. non *H.* i. explere *H.* k. autem *Z, W.* l. Culzos *Z, W.* m. Wunidum *W.* n. hisque *H.* o. nescio quid *Z, W. pro* et quid nescio. p. imposuisset *Z, W.* q. Nordmanni *H.* r. conatus *Z, W.*

1. a Normannis anno 882. 2. Nam „eis" declarat: terribilis, et „her": exercitus. 3. Deuter. 2, 10.

ut secundum scripturam[a] in his experiretur Israhelem[1], vel peccatis nostris obsistentibus, cuncta illius temptamenta in irritum deducta sunt; in tantum, ut ad incommoda[b] totius exercitus comprobanda de unius abbatis copiis in una nocte quinquaginta boum paria repentina peste numerarentur extincta[c]. Sapientissimus igitur virorum Karolus, ne scripturae inoboediens contra ictum[d] fluvii[e] conaretur[2], destitit[f] ab incepto. Cum vero per non modicum tempus latissimum peragraret[g] imperium, Gotefridus[h] rex Northmannorum[i], absentia eius animatus, fines regni Francorum invasit Mosellanumque pagum in sedem sibi delegit[k]. Cum vero falconem suum de aneta vellet extrahere, consecutus eum filius suus, cuius nuperrime matrem repudians[l] reliquit et alteram super[m] eam duxit uxorem, per medium ense[l] divisit. Quo facto, sicut quondam Holoferne perempto, nullus suorum[l] in animis aut[n] armis sed in solo fugae praesidio ausus est confidere; et ita, ne[o] exemplo ingrati Israhelis contra Deum gloriaretur[3], absque sua industria liberata est Francia. Invictus autem nec vincendus unquam Karolus de tali quidem iudicio Deum glorificavit; sed[p] plurimum conquestus est, quod propter absentiam suam aliquis de illis evaserit: *Heu proh dolor* inquiens[q] *quia videre non merui, quomodo christiana manus mea cum cynocephalis*[r] *illis*[s] *luserit.*

XIV. Contigit quoque, ad quandam maritimam Galliae Narbonensis urbem vagabundum Karolum inopinato[t] venire. Ad cuius portum, eo[u] prandente sed ignorato, piraterium[v] exploratores Northmannorum[w] fecerunt. Cumque, visis navibus alii Iudeos[x] alii vero Africanos alii Brittannos mercatores esse dicerent,

a. scripturas *H.* b. commoda *Z.* c. extructa *Z.* d. ięctum *H,* tractum *Z, W.* e. fluminis *Z, W.* f. abstitit *Z.* g. perageret *Z.* h. Godefridus *H.* i. Normannorum *H.* k. p̄legit *H.* l. *om. H.* m. super eam *om. Z, W.* n. vel *Z, W.* o. in *add. Z, W.* p. glorificans *Z, W. pro* glorificavit sed. q. inquit *Z, W.* r. cenopcephalis *Z,* cenocephalis *W.* s. *om. Z, W.* t. inopinatum *Z, W.* u. illo adesse ignorato *Z, W. pro* eo — ignorato. v. quidam piratarum *Z, W. pro* piraterium. w. praedam *add. Z, W.* x. Indos *W.*

1. Iudic. 2, 22: „ut in ipsis experiar Israel". 2. Eccli. 4, 32: „nec coneris contra ictum fluvii". 3. Cf. Iudic. 7, 2.

sapientissimus Karolus, ex[a] instructione navium[b] vel agilitate non mercatores sed hostes esse deprehendens, dixit ad suos: *Non istae naves confertae mercimoniis, sed hostibus fetae[c] sunt acerrimis.* His sui[d] auditis, alter alterum praevenire cupientes, festine properabant ad naves. Sed frustra. Nam comperto Northmanni, quod ibidem esset, ut ipsi eum nuncupare solebant, Martellus[e] Karolus, ne omnis armatura sua in illo aut retunderetur aut in minutissimas resoluta particulas disperiret, effugio satis incomparabili insequentium non solum gladios sed et oculos evitaverunt. Religiosissimus[f] autem Karolus, iustus et timoratus, exurgens de mensa, ad fenestram orientalem constitit; et inestimabilibus lacrimis diutissime perfusus, cum nullus eum compellare praesumeret, tandem aliquando ipse, bellicosissimis[g] proceribus suis de tali gestu et lacrimatione satisfaciens: *Scitis* inquit *o fideles mei, quid tantopere ploraverim? Non hoc* ait *timeo, quod isti*[h] *nugae et*[i] *nihili mihi aliquid nocere praevaleant; sed nimium*[k] *contristor, quod me vivente ausi sunt litus istud attingere; et maximo dolore torqueor, quia praevideo, quanta mala posteris meis et eorum sunt*[l] *facturi subiectis.*

Quod ne adhuc fiat, Christi domini nostri tutela prohibeat, et gladius vester, in sanguine Nordostranorum[m] duratus, obsistat; adiuncto[n] sibi mucrone Karlomanni fratris vestri[1], tincto quidem in eorundem cruore, sed nunc non propter ignaviam sed propter inopiam rerum angustiamque terrarum fidelissimi vestri Arnoldi[2] ita in rubiginem versus[o], ut tamen iussu et voluntate potentiae vestrae haut difficulter possit ad acumen et splendorem perduci. Hic enim solus ramusculus cum tenuissima Bennolini[p][3] astula de foecundissima[q] Hludowici radice sub singulari cacumine pro-

a. rex *Z, W. pro* K. ex. b. *om. H.* c. ferte *Z, W.* d. *om. H.* e. Marcellus *Z, W.* f. religiosus *H.* g. bellicosissimus *Z, W.* h. istę *Z*, iste *W.* i. et nihili *om. Z, W.* k. nimirum *H.* l. sint *Z, W.* m. Northmannorum *Z, W.* n. adiuncto — pullulascit *om. Z, W.* o. *sic codd. pro* verso. p. Bennonili *H.* q. facundissima *H.*

1. regis Bavariae et Italiae, mortui d. 22 Sept. 880. 2. s. Arnolfi (postea imperatoris, filii Carlomanni). 3. qui supra p. 686 in cap. 12 Bernhardulus vocatur, Caroli Crassi filius.

tectionis vestrae pullulascit. Interim ergo[a] de proatavo[b] vestro Pippino in historiam vestri cognominis[c] aliquid inseratur, quod, concedente clementia divina, mox futurus Karolaster[d] aut Lothowiculus[e] vester imitetur.

XV. Longobardis vel caeteris hostibus Romanos infestantibus, miserunt legatos suos ad eundem Pippinum, ut propter amorem sancti Petri sibi quantocius in auxilium venire dignaretur. Qui, absque mora subiugatis hostibus, orationis tantum gratia Romam[1] victor ingreditur et a civibus hac laude suscipitur: *Cives apostolorum et domestici Dei advenerunt hodie, portantes pacem et[f] illuminantes patriam, dare pacem gentibus et liberare populum Domini.* Cuius vim carminis et originem quidam ignorantes[g], hoc in nataliciis apostolorum canere consueverunt. Ipse vero, invidiam Romanorum, immo ut verius loquar Constantinopolitanorum, declinans, mox in Franciam revertitur. 752—768

Comperto autem, quod primates exercitus eum clanculo despicientes carpere solerent, praecepit adduci taurum magnitudine terribilem et animis indomabilem, leonemque ferocissimum in illum dimitti. Qui, impetu validissimo in eum irruens, apprehensa cervice tauri, proiecit in terram. Tunc rex dixit ad circumstantes: *Abstrahite leonem a tauro vel occidite eum super illum.* Qui, spectantes ad alterutrum congelatisque[h] praecordiis pavefacti, vix haec singultando musitare potuerunt: *Domine, non est homo sub coelo, qui hoc audeat attemptare.* Quo ille confidentior, exurgens de throno[i], et extracta spata per[k] cervicem leonis cervicem tauri divisit ab armis; et spata in vaginam remissa[l], consedit in solio: *Videtur vobis,* inquiens *utrum dominus vester esse possim? Non audistis, quid fecerit parvus David ingenti illi Goliath[m] vel brevissimus Alexander procerissimis satellitibus suis?* Tunc, quasi tonitru[n] perculsi, ceciderunt in ter-

a. Sed iam nunc *Z, W. pro* Interim ergo. b. proavo *Z, W.* c. cognovimus *Z.* d. Carolaster *Z, W.* e. Ludowiculus *H,* Lothowiculus *Z,* Lothowicus *W.* f. *om. Z, W.* g. nescientes *Z, W.* h. congelatis *Z.* i. occidit leonem *add. W.* k. per — spata *om. W.* l. missa *Z, W.* m. Goliaht *H.* n. tonitrui *Z.*

1. ubi Pippinum regem nunquam fuisse constat.

752—768 ram, dicentes: *Quis nisi insaniens, dominationem vestram mortalibus imperare, detrectet*[a]*?*

Nec[b] solum contra bestias et homines talis exstitit, sed etiam contra spiritales nequitias inauditum certamen exercuit. Nam cum apud Aquasgrani, thermis nondum aedificatis, calidi saluberrimique fontes ebullirent, iussit camerarium suum praevidere, si fontes purgati essent et ne quis ignotus ibi dimitteretur. Quod cum factum fuisset, assumpto rex gladio, in linea et subtalaribus[c] properavit ad balneum, cum repente hostis antiquus eum quasi perempturus aggreditur. Rex autem, crucis signo munitus, nudato gladio, umbram[1] in humana advertens effigie, invincibilem gladium ita terre infixit, ut diutino luctamine vix eum revocaret[d]. Quae tamen umbra tantae crassitudinis erat, ut cunctos illos fontes tabo et cruore abhominandaque pinguedine deturparet[e]. Sed nec his motus, insuperabilis Pippinus dixit ad cubicularium: *Non sit tibi cura de talibus. Fac effluere infectam illam*[f] *aquam; ut in ea, quae pura*[g] *manaverit, sine mora lavari debeam.*

XVI. Proposueram quidem, o imperator auguste, de solo proavo vestro Karolo, omnia vobis scientibus quaecunque fecit, brevem narratiunculam texere[h]; sed cum ita se optulerit occasio, ut necessario memoria fiat gloriosissimi patris vestri Hludowici[i] cognomento illustris, et religiosissimi avi vestri Hludowici agnomine pii, vel bellicosissimi proatavi[k] vestri Pippini iunioris, de quibus propter ignaviam[l] modernorum grande silentium est, omnia intacta praeterire nefarium iudicavi[m]. Nam de maiore Pippino integrum pene librum doctissimus Beda in ecclesiastica procudit historia. His ita per excessum commemoratis, ad cognominem vestrum illustrem Karolum olorinus iam redeat natatus. Sed si bellicis rebus ab eo gestis aliquid non subtraxerimus, nunquam ad cottidianam eius conversationem revolvendam per-

a. decertet *Z, W.* b. Non *H.* c. subtalantibus *W.* d. revocaverit *H.* e. deturbaret *Z.* f. *om. Z, W.* g. quae manaverit pura laver *Z, W. pro* quae pura — debeam. h. retexere *H.* i. Alberti *W.* k. attavi *Z, W.* l. per ignorantiam *Z, W.* m. putavi *Z, W.*

1. larvam.

ducimur[a]. Quapropter, quae concurrunt in praesenti, quam strictissime[b] potuero, memorabo.

XVII. Post mortem victoriosissimi Pippini cum iterato Longobardi Romam iam[c] inquietarent, invictus Karolus, quamvis in cisalpinis partibus nimium occupatus esset[d], iter in Italiam haut segniter arripuit. Et incruento[e] bello sive spontanea deditione humiliatos, in servitium accepit Longobardos; et firmitatis gratia, ne unquam a regno Francorum discederent vel terminis sancti Petri aliquam irrogarent iniuriam, filiam Desiderii Longobardorum principis duxit uxorem. Qua non post multum temporis, quia esset clinica et ad propagandam prolem inhabilis, iudicio sanctissimorum[f] sacerdotum relicta velut mortua, iratus pater, iuramento sibi provintiales astringens ipseque in muris Ticinensibus se concludens, invincibili Karolo rebellare disposuit. Quod ille pro certo comperiens, illuc iter acceleravit. Contigit autem ante aliquot annos, quendam de primis principibus[g] nomine Otkerum[h] offensam terribilissimi imperatoris incurrere[i] et ob id ad eundem Desiderium confugium facere. Audito autem iam proximo[k] adventu metuendi Karoli, ascenderunt in turrim eminentissimam, unde longe lateque prospicere venientem potuissent[l]. Apparentibus vero impedimentis, quae expeditiora Darii vel Iulii fuissent expeditionibus, dixit Desiderius ad Otkerum[m]: *Estne Karolus in tanto exercitu?* At ille respondit: *Non adhuc.* Videns vero exercitum popularium de latissimo imperio congregatum, diffinite pronuntiavit ad Otkerum[m]: *Vere in his copiis Karolus exultat.* Respondit[n] Otkerus: *Set non adhuc neque adhuc.* Tunc aestuare coepit et dicere: *Quid faciemus, si plures cum eo venerint?* Dixit Otkerus[o]: *Videbis, qualis*[p] *ille veniat. De nobis autem*[q] *nescio quid fiat.* Et ecce ista sermocinantibus apparuit scola, vacationis semper ignara. Quam videns Desiderius stupefactus: *Iste est* inquit *Karolus.* Et Otke-

a. reducimur *H.* b. districtissime *Z, W.* c. *om. Z, W.* d. *om. H.* e. cruento *Z, W.* f. sanctorum *Z, W.* g. quendam, de primatibus *Z, W.* h. Otherum *Z, W.* i. incurrisse *Z.* k. iam proximo *om. H.* l. possent *Z, W.* m. Otherum *Z.* n. Sed audivit: Non adhuc *Z, W. pro* Respondit — adhuc. o. Othorus *Z.* p. si *W.* q. aut *Z, om. W.*

rus[a]: *Non* infit[b] *adhuc neque*[c] *adhuc.* Post hanc cernuntur episcopi abbatesque et clerici[d] capellani cum comitibus suis. Quibus aspectis, haec vix egre iam lucis inimicus mortisque desiderius singultando blateravit: *Descendamus et abscondamur in terra a facie furoris adversarii tam inmanis.* Ad quae retulit extimescens Otkerus[e], rerum et[e] apparatus[f] incomparabilis Karoli quondam expertus et in meliori tempore assuetissimus: *Quando videris* inquiens[g] *segetem campis inhorrescere ferream Padumque et Ticinum marinis fluctibus ferro nigrantibus muros civitatis inundantes, tunc est spes Karoli venientis.* His necdum finitis[h], primum ad occasum[i] circio vel[k] borea coepit apparere quasi nubes tenebrosa, quae[l] diem clarissimam[m] horrentes convertit in umbras[n]. Sed propiante paululum imperatore, ex armorum splendore dies omni nocte tenebrosior oborta est inclusis. Tunc visus est ipse ferreus[o] Karolus, ferrea galea cristatus, ferreis manicis armillatus, ferrea torace ferreum pectus humerosque Platonicos tutatus; hasta ferrea in altum subrecta sinistram implevit[p], nam dextra ad invictum calibem semper erat extenta; coxarum exteriora, quae propter faciliorem ascensum[q] in aliis solent lorica nudari, in eo ferreis ambiebantur bratteolis[r]. De ocreis quid dicam? Quae et cuncto[s] exercitui solebant ferreae semper esse usui. In clipeo nihil apparuit nisi ferrum. Caballus quoque illius animo et colore ferrum renitebat. Quem habitum cuncti praecedentes, universi ex lateribus ambientes omnesque sequentes et totus in commune apparatus iuxta possibilitatem erat imitatus. Ferrum campos et plateas replebat; solis radii reverberabantur acie ferri; rigido[t] ferro honor a rigidiori[u] deferebatur populo[v]. Splendidissimum ferrum horror expalluit cloacarum. *O*[w] *ferrum, heu ferrum!* clamor confusus insonuit civium. Ferro[x] contremuit firmitas murorum, et iuve-

a. Otherus *Z.* b. inquit: „Non" *Z, W.* c. neque adhuc *om. Z, W.* d. abbates clerici *Z, W.* e. *om. W.* f. apparatos *Z, W.* g. *om. Z, W.* h. expletis *Z, W.* i. ab occasu *Z, W.* k. vel borea *om. Z, W.* l. quē *Z.* m. clarissimum *Z, W.* n. tenebras *Z, W.* o. *om. Z, W.* p. impletus *H.* q. facilitatem ascensus *Z, W.* r. brateolis *Z, W.* s. Quae quidem exercitui *Z, W.* t. frigido *H.* u. frigidiori *H.* v. populo — cloacarum *om. Z, W.* w. Heu heu ferrum *Z, W.* x. Ferro — temptavi *om. Z, W.*

num consilium ferro deperiit seniorum. Haec igitur[a], quae ego balbus et edentulus, non ut debui, circuitu tardiore diutius explicare temptavi, veridicus speculator Otkerus celerrimo visu contuitus[b], dixit ad Desiderium: *Ecce habes Karolum*[c], *quem tantopere perquisisti;* et haec dicens, pene exanimis cecidit. Sed quia[d] ipso[e] die vel propter amentiam vel propter aliquam spem resistendi cives urbici[f] eum suscipere noluissent, dixit artificiosissimus Karolus ad suos: *Faciamus hodie aliquid memoriale*[g], *ne diem istum otiosi transegisse vituperemur. Acceleremus efficere unum oratoriolum*[h], *in quo, si nobis cicius apertum non fuerit, divinis servitiis insistere debeamus*[i]. Et hac emissa voce, alius alio discurrentes, calcem et lapides, alii vero ligna vel pigmenta congregantes artificibus semper eum comitantibus[k] attulerunt. Qui a quarta diei hora ante duodecimam talem basilicam muris et tectis, laquearibus et picturis, auxiliante tyronum manu militumque construxerunt, ut nulli adhuc eam cernenti nisi per annum integrum fieri potuisse[l] credatur. Postera vero die quanta facilitate — quibusdam civium sibi aperire volentibus[m], quibusdam licet frustra rebellare vel[n], ut verius dicam, se includere volentibus — absque cruoris effusione sola tantum industria civitatem superaverit ceperit possederit, illis scribendum relinquo, qui non aliquo amore sed questus tantum gratia vestram celsitudinem comitantur.

Exin ad ulteriora progressus, venit religiosissimus Karolus ad urbem Furiolanam, quam, qui sibi scioli videntur, Forum Iuliensem nuncupant. Contigit autem, ut[o] eodem tempore episcopus civitatis illius aut[p], ut modernorum loquar consuetudine, patriarcha occasui vitae propinquaret. Ad quem cum religiosissimus Karolus visitandi gratia properaret, ut successorem suum ex nomine designare deberet, ille religiose admodum, ex[q] imis praecordiis suspiria trahens: *Domine* inquit *episcopatum istum,*

a. His *H.* b. haec contuens *Z, W.* c. *om. H.* d. quoniam *Z,* cum *W.* e. ipsa *Z, W.* f. urbis *Z, W.* g. memorabile *Z, W.* h. oratorium *Z.* i. insistamus *Z, W.* k. semper·cum comitantibus *Z,* semper concomitantibus *W.* l. posse *H.* m. *om. Z, W.* n. vel — includere *om. Z, W.* o. in *add. Z.* p. aut — patriarcha *om. Z, W.* q. ex — praecordiis *om. Z, W.*

diu sine aliqua utilitate vel profectu spiritali retentum, iudicio divino et vestrae dispositioni relinquo; ne ad cumulum peccatorum, quem vivens exaggeravi, etiam mortuus aliquid superinicere[a] *apud inevitabilem et*[b] *incorrumpendum iudicem deprehendar.* Quod sapientissimus Karolus ita accepit, ut eum antiquis patribus non inmerito coaequandum iudicaverit.

Cum autem in eadem regione aliquantisper demoratus fuisset exercitatissimus exercitatissimorum Francorum Karolus, donec episcopo decedente dignum ei successorem substitueret, quadam festiva die post missarum celebrationem dixit ad suos: *Ne otio torpentes ad ignaviam perducamur, eamus venatum, donec aliquid capiamus; et singuli in*[c] *eodem habitu pergamus, quo nunc induti sumus.* Erat autem ymbrifera[d] dies et frigida. Et ipse quidem Karolus habebat[e] pellicium berbicinum non multo[f] amplioris precii, quam erat roccus[1] ille sancti Martini, quo pectus ambitus nudis brachiis Deo sacrificium obtulisse astipulatione divina comprobatur. Caeteri vero[g], utpote feriatis diebus — et qui modo de Papia venissent, ad quam nuper Venetici de transmarinis partibus omnes orientalium divitias advectassent — Phenicum pellibus[h] avium, serico circumdatis, et pavonum collis cum tergo et clunis mox florescere incipientibus, Tyria purpura vel[i] diacedrina[2] littea[3] decoratis, alii de lodicibus[k] quidam de gliribus circumamicti procedebant; saltusque[l] peragrantes, ramis arborum spinisque et tribulis lacerati vel[m] imbribus[n] infusi, tum etiam sanguine ferarum pelliumque[o] volutabro foedati, remeabant. Tunc astutissimus Karolus dixit: *Nullus nostrum*[p] *pellicium suum extrahat, donec cubitum eamus; ut in nobis ipsis melius siccari possint.* Quo iusso[q], singuli, corpora magis quam indumenta curantes[r], usque quaque focos inquirere et calefieri studebant. Ac mox reversi et in ministerio eius usque ad pro-

a. adicere *Z, W.* b. et incorrumpendum *om. Z, W.* c. *om. Z, W.* d. imbrica *Z, W.* e. habuit indutum *Z, W.* f. multum *Z, W.* g. *om. Z* h. vel pennis *add. W.* i. vel — littea *om. Z, W.* k. locidibus *Z, W.* l. saltus *Z, W.* m. *om. Z, W.* n. ymbribisque *Z, W.* o. pellium *Z, W.* p. Karolus: Nullus, inquit, vestrum *Z, W.* q. uiso *Z, W.* r. procurantes *Z, W.*

1. cappa. Cf. L. I c. 4 supra p. 633. 2. colore citri. 3. taenia.

fundam noctem persistentes, ad mansiones[a] remittebantur[b]. Cumque tenuissimas illas[c] pelliculas vel[d] tenuiores brandeas[1] extrahere coepissent, rugarum et contractionum rupturas, quasi virgarum in ariditate fractarum, procul audiri fecerunt; gementes et suspirantes conquerentesque, tantum se pecuniae sub[e] una die perdidisse. Praeceptum vero ab imperatore susceperant, ut in eisdem pellibus crastina die se illi praesentarent. Quod cum factum fuisset, et omnes non induviis resplenderent sed potius[f] pannis et decolori foeditate horrerent, dixit industria plenus Karolus ad cubicularium suum: *Tere illud pellicium nostrum inter manus, et affer in conspectum nostrum.* Quo integerrimo et[g] candidissimo allato, assumens illud inter manus et cunctis astantibus ostendens, haec pronuntiavit[h]: *O stolidissimi*[i] *mortalium! Quod pellicium modo preciosius et utilius est*[f], *istudne meum uno solido comparatum an illa vestra non*[k] *solum libris sed et multis coempta talentis?* Tunc, vultibus in terram declinatis[l], terribilissimam eius animadversionem sustinere nequibant.

Quod exemplum religiosissimus pater vester non semel sed 825–876
per[m] totam vitam suam ita imitatus est, ut nullus, qui eius agnitione et[n] doctrina dignus videbatur[o], aliquid in exercitu contra hostem nisi tantum arma miliciae et lanea vestimenta cum lineis portare praesumeret. Quodsi quisquam inferiorum, disciplinae illius ignarus, aliquid de serico auro vel argento circa se habens eum forte incurrisset, his verbis increpatus et melioratus immo sapientior effectus abscessit: *O te bis aureum eccum*[p]*! o te argenteum*[q]*! o te totum coccineum! Miser et infelix, non tibi sufficit, ut tu solus vel*[r] *sorte belli intereas; quin etiam et*[r] *res, quibus anima tua redimi valeret, in manus hostium tradas, ut de eis simulacra gentium adornentur.* Quan-

a. ad mansiones *om. W.* b. revertebantur *W.* c. *om. Z.* d. vel — brandeas *om. Z, W.* e. *om. Z, W.* f. *om. H.* g. et candidissimo *om. Z, W.* h. ait *Z, W. pro* haec pronuntiavit. i. stultissimi *Z, W.* k. non — sed et *om. Z, W.* l. deiectis, verecundiam rubore confessi sunt *Z, W. pro* declinatis — nequibant. m. in omni vita sua *Z, W. pro* per — suam ita. n. et doctrina *om. Z, W.* o. habebatur *Z, W.* p. O te aurum *Z, W. pro* O te bis aureum eccum. q. argentum *Z, W.* r. *om. Z, W.*

1. fascias.

825—876 tum vero a primeva aetate usque ad septuagesimum annum ferro gauderet invictissimus Hludowicus[a], quantum[b] ante Northmannorum legatos spectaculum de ferro faceret, melius hoc vobis scientibus replicabo.

873? XVIII. Cum reges Northmannorum singuli pro devotione sua aurum vel[c] argentum et pro sempiterna subiectione vel deditione gladios suos ipsi dirigerent[1], praecepit rex: ut pecunia quidem in pavimentum proiceretur et a nullo nisi indignanter aspiceretur, sed potius[d] ab omnibus velut lutum conculcaretur. Gladios vero, in sublimi solio residens, sibi attemptandos[e] iussit afferri. Porro legati, metuentes ne quid sinistrae suspicionis contra eos posset[f] oriri, eo modo, quo solent ministri dominis suis cultellos de summis oris[g] praebere, ita[h] spatas imperatori cum sui periculo porrigebant. Quarum[i] ille cum unam de capulo acceptam et ab extremitate ultima ad summum curvare niteretur[k], inter fortiores ferro manus disrupta[l] est. Tunc unus de missis suam de vagina protrahens ministrantiumque more[m] ad ipsius obsequelam protendens: *Domine* inquit *ut credo, et flexibilis et rigida invenietur ista spata ad votum victoriosissimae dexterae vestrae.* Qua caesar accepta — et vere caesar iuxta vaticinium Isaiae prophetae[n]: *Adtendite ad petram, unde excisi estis*[2], de tota Germaniae populositate singularis[o] divinitatis opificio[p] in antiquos hominum artus et animos exurgens — ab ora ultima capulotenus in modum viminis contraxit et sensim ad statum pristinum redire permisit. Tunc legati semet aspectantes[q] et ad alterutrum obstupescentes: *O utinam* inquiunt[r] *principibus nostris tam vile videretur aurum et argentum*[s], *et ferrum tam preciosum.*

XIX. Et quia de Northmannis mentio incidit, quanti fidem

a. Karolus *W.* b. qualeque *Z, W.* c. illi et *H.* d. et *Z, W. pro* sed potius. e. ad temptandos *Z, W.* f. possit *Z.* g. horis *Z, W.* h. ita — porrigebant *om. Z, W.* i. Quorum *Z, W.* k. niterentur *Z.* l. dirupta *Z, W.* m. *om. Z, W.* n. *om. H.* o. singulare *Z, W.* p. opificum *Z,* opificium *W.* q. aspicientes *Z, W.* r. O inquit, o utinam *Z, W.* s. et argentum *om. Z, W.*

1. Cf. Dümmler Gesch. des ostfränk. Reichs I 802. 2. Isai. 51, 1.

habeant et baptismum, de rebus avi vestri temporibus[a] gestis 814—840
paucis evolvam. Ut[b] post mortem bellicosissimi David multo tempore finitimae gentes, manu fortissima subiugatae, eius filio Salomoni pacifico tributa dependerunt[c], ita propter timorem et tributa, augustissimo imperatori Karolo persoluta, filium eius Hludowicum gens immanissima Northmannorum simili veneratione solebat honorare[d]. Quorum legatos religiosissimus imperator tandem aliquando miseratus, interrogatos[e] si christianam religionem suscipere vellent, et responso accepto, quia semper et ubique atque in omnibus essent oboedire parati, iussit eos in eius nomine baptizari, de quo doctissimus ait Augustinus: *Si non esset trinitas, non dixisset veritas: „Ite docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti"*. Qui, a primoribus palacii quasi in adoptionem filiorum suscepti, de camera quidem[f] caesaris candidatum, a patrinis vero suis habitum Francorum in vestibus preciosis et armis caeterisque ornatibus[g] acceperunt. Quod cum diutius actitaretur, et non propter Christum sed propter commoda terrena ab anno in annum multo plures iam non ut[f] legati sed ut devotissimi vasalli ad obsequium imperatoris in sabbato sancto paschae[f] festinarent occurrere, contigit, ut quodam tempore usque ad quinquaginta venissent. Quos imperator interrogatos, si baptizari votum haberent, et confessos iussit aqua sacrata sine mora perfundi[h]. Cumque tot lineae vestes non essent in promptu, iussit incidi camisilia[i] et in modum sepium consui vel in modum vitium[k] pastinari. Quarum cum una cuidam seniorum illorum repentino fuisset imposita, et ille eam curiosioribus oculis ex tempore contemplatus fuisset, iamque indignatione non modica mente concepta, dixit ad imperatorem: *Iam vicies hic lotus sum et optimis candidissimisque vestibus indutus; et ecce talis saccus non milites sed subulcos*[l] *addecet*[m]. *Et nisi nuditatem erubesce-*

a. in temporibus avi vestri *H. pro* de rebus avi vestri temporibus. b. Et *Z*, Et sicut *W*. c. dependerent *Z*. d. venerari *Z, W*. e. interrogavit *Z, W*. f. *om. Z, W*. g. ornamentis *Z, W*. h. baptizari *Z*, baptizari Amen. Explicit libellus de gestis Karoli imperatoris Romanorum. Laus Deo *W*. i. camisialia *Z*. k. vicium *Z*. l. bubulcos *Z*. m. decet *Z*.

814—840 *rem, meis privatus nec a te datis contectus, amictum tuum cum Christo tuo*[a] *tibi relinquerem.* Tanti pendunt hostes Christi, quod ait apostolus Christi: *Omnes, qui in Christo baptizati estis, Christum induistis*[1], et illud: *Quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus*[b][2], et quod maxime contra contemptores fidei violatoresque sacramentorum vigilat: *Rursum crucifigentes sibi filium Dei et ostentatui habentes*[3]. Quod utinam apud gentiles tantum et non etiam inter eos, qui Christi nomine censentur, sepius inveniretur!

XX. Adhuc referendum est de bonitate Hludowici[c] prioris, et sic ad Karolum remeandum. Quietissimus imperator Hludowicus, a cunctis hostium incursionibus immunis, religiosis tantum operibus, orationibus scilicet[d] elemosinis causisque audiendis et iustissime determinandis, insudabat. In quo negotio tantum et ingenio et usu exercitatus erat, ut, cum ei quidam, in similitudine Achitofel pro angelo habitus a cunctis[4], illudere temptavisset, huiusmodi responsum comi vultu blandissimaque voce sed mente aliquantulum commota rependeret: *O sapientissime Anshelme, si fas sineret, dicere auderem, quia tramite non recto incedis.* Ex qua die idem iuridicus ab universis est pro nihilo deputatus.

XXI. Elemosinis vero ita intentus erat misericordissimus Hludowicus, ut eas non solum in conspectu suo sed et per se ipsum fieri maluisset. Insuper, et ubi ipse absens fuisset, ita pauperum causas moderari decrevit, ut uni ex eis, qui ex omni parte debilis sed animosior ceteris videbatur, ipsorum commissa, furtorum redditiones, iniuriarum vel lesionum taliones, in maioribus etiam commissis membrorum abscisiones aut truncationes capitum nec non et suspensiones corporum per eum fieri praeciperet. Qui, constitutis ducibus tribunis et centurionibus eorumque vicariis, rem sibi delegatam haut segniter implevit. Ipse

a. *om. Z.* b. *hic desinit Z.* c. ludouũ *H.* d. *hic desinit H.*

1. Galat. 3, 27. 2. Rom. 6, 3. 3. Hebr. 6, 6. 4. 2 Reg. 16, 23: „consilium autem Achitophel, quod dabat in diebus illis, quasi si quis consuleret Deum“.

autem clementissimus augustus, in cunctis illis dominum Christum veneratus, eis alimenta, et quibus tegerentur, impendere nunquam destitit; et praecipue in illa die, qua Christus, mortali tunica exutus, incorruptibilem resumere parabat. In qua etiam cunctis in palatio ministrantibus et in curia regia servientibus iuxta singulorum personas donativa largitus est; ita ut nobilioribus quibuscunque aut balteos aut fascilones preciosissimaque vestimenta, a latissimo imperio perlata, distribui iuberet; inferioribus vero saga Fresonica omnimodi coloris darentur; porro custodibus equorum pistoribusque et coquis indumenta linea cum laneis semispatiisque, prout opus habebant, proicerentur. Cumque — iam nullo indigente secundum actus et dicta apostolica[1] — esset in omnibus gratia magna, quando et pauperes pannosi, iocundissime dealbati, *Kirieleyson Hludowico beato* per latissimam curtem et curticulas Aquarumgrani, quas Latini usitatius porticuum nomine vocant, usque ad coelos voces efferrent, et qui poterant de militibus, pedes imperatoris amplectentibus, aliis vero eminus adorantibus, iam caesare ad ecclesiam procedente, quidam de scurris iocolariter inquit: *O te, beate Hludowice, qui tot homines una die vestire potuisti! Per Christum, nullus in Europa plures hodie vestivit quam tu praeter Attonem.* Cumque imperator ab eo quaereret, quomodo ille plures vestire potuisset, mimus, quasi gaudens se imperatorem in admirationem vertisse, cum chachinno intulit: *Hodie* inquiens *ille nova indumenta largitus est plurima.* Quod imperator blande pro ludo et ineptiis[a], ut erat vultu dulcissimi gestus[b], percipiens, humili devotione ecclesiam intravit, in qua ita timorate se gessit, quasi ipsum dominum Iesum Christum prae oculis corporalibus habere videretur. 814—840

Qui etiam omni tempore, non pro aliqua necessitate sed pro largiendi occasione, singulis sabbatis balneari et cuncta, quae deposuerat, praeter gladium et balteum apparitoribus suis dare

a. ineptiis *scripsi pro* ineptus *edd.* b. Quod dulcissimi gestus imperator — ut erat vultu percipiens *edd.*

1. Act. apost. 4, 34: „Neque enim quisquam egens erat inter illos".

814—840 consueverat. Quae eius liberalitas usque ad infimos etiam pervenit; adeo ut Stracholfo vitreario, servo Sancti Galli, totam vestituram suam tunc sibi servienti praeciperet dari. Quod cum erronei militum vassalli cognovissent, ei iuxta viam insidias ponentes, spoliare moliti sunt. Quibus cum idem diceret: *Quid facitis, vitreario caesaris vim inferentes?* responderunt: *Officium quidem tuum habere te permittimus* . . .

VISIO CAROLI MAGNI.

Moguntiae litteris consignatus est post medium saeculum nonum visus nocturnus, quem Carolus Magnus de lapsura progenie sua habitum cum Einharto communicavisse ex istoque compertum Rhabanus scriptori tradidisse fertur. Quem libellum duobus ex codicibus deduxi:

1. ex codice quondam ecclesiae S. Bartholomaei Francofurtensis 67, hodie bibliothecae eiusdem urbis, membranaceo saeculi XII; unde edita visio est ap. Graff Althochdeutscher Sprachschatz III 853—856;

2. ex codice bibliothecae imperialis Parisiensis lat. 5016, membranaceo saec. XII fol. 159v—160v.

Quatuor autem veterum, quae huic fabellae insunt, verborum Germanicorum interpretatio in adnotationibus addita Carolo Müllenhoff debetur.

Berolini Idibus Augustis 1867.

Incipit[a] visio domni Karoli regis Francorum.

Karolus, imperator quondam Francorum diversarumque gentium, ubicunque noctu manebat, sive domi sive in expeditione, lucernas et tabulas sibi[b] contiguas habere solitus erat; et quicquid vidit in somnis memoria dignum, litteris tradere curavit, ne a memoria labi potuisset.

a. Incipit — Francorum *desunt 2, ubi superior margo abscisus est.* b. *sequitur* .c. *in* 2.

Quadam vero nocte, cum membra ad quiescendum in lectulo collocasset ac se sopori dedisset, vidit quandam personam ad se venientem, evaginatum gladium in manu habentem[a]. Quem cum metuens interrogasset[b], quis esset vel[c] unde venisset, audivit ab eo in responsione huiuscemodi verba: *Accipe* inquit *gladium istum pro munere tibi a Deo transmissum. Et scripturam in eo digestam lege et memoriter retine; quoniam*[d] *statutis temporibus*[e] *implebitur.* Quem cum accepisset formamque illius diligenter[f] inspexisset, vidit quatuor loca in eodem litteris exarata. In primo quidem loco iuxta capulum eiusdem mucronis erat scriptum *.Raht.*[g]; in secundo vero *.Radoleiba.*[h]; in tercio *.Nasg.*; in quarto iuxta cuspidem[i] eiusdem ensis *.Enti.*[1] Evigilans vero, iussit sibi lucernam et tabulas afferri; et eadem verba eodem tenore conscripsit.

Mane autem facto, horis kanonicis[k] iuxta morem decantatis et suis[l] orationibus finitis, omnibus qui aderant optimatibus[m] suis somnium, quod viderat, indicavit; et solutionem eius[n] sibi ab eis exponi postulavit. Cumque omnes tacuissent, unus, qui sapientior caeteris dicebatur nomine Einhart[o], respondit: *Domine* inquiens *imperator, ille, qui vobis illum transmisit gladium, etiam interpretationem scripturae in eo exaratae, nobis tacentibus, vobis revelabit.* Tunc[p] imperator: *Si vultis* inquit *audire, prout nobis videtur, secundum possibilitatem ingenioli nostri significationem predictae insinuabimus vobis scripturae. Gladius, qui nobis a Deo transmissus est, potestas ab illo nobis collata non inconvenienter accipi potest; quoniam, auxilio illius freti, hostes plurimos armis*[q] *nostrae subiectos habemus ditioni. Et quod modo, sedatis hostibus, plus quam parentum nostrorum tempo-*

a. tenentem 2. b. interrogaret 1, interrogasset 2. c. aut 2. d. quia 2. e. diebus 2. f. *om.* 2. g. .Rant. 2. h. Radeleba 2. i. capulum 2. k. canonicis 2. l. *om.* 2. m. obtimatibus 2. n. *om.* 2. o. Einart 2. p. Tū 2. q. *om.* 2.

1. „Enti“ est hodiernum nostrum „ende“, finis. Et quatuor quidem visionis huius verba Germanica ei linguae generi conveniunt, quod in Denkmäler deutscher Poesie und Prosa p. X appellavi „hochfränkisch“. MÜLLENHOFF.

ribus ubertas frugum esse dinoscitur; quod significat prima in mucrone scriptura: .Raht.[a] [1], *id est rerum omnium habundantia. Quod autem secundo loco exaratum erat .Radoleiba., arbitramur, nobis a seculo transeuntibus, filiorum nostrorum temporibus compleri; videlicet quod nec tanta frugum erit habundantia et quaedam gentes, modo subactae, deficiant. Quod significat .Radoleiba. in omni re, quae cito deficiet*[2]. *Cum autem et illi obierint et filii eorum post eos regnare ceperint, erit, quod tertio loco scriptum erat, .Nasg.*[b] *Augebunt enim theloneum turpis lucri gratia, et advenas et peregrinos obpriment per potentiam; nullam habentes verecundiam, cum quali confusione et ignominia sibi congregent divitias. Res aecclesiasticas quoque, a nobis vel a*[c] *progenitoribus nostris clericis et monachis ad servitium Dei traditas, sive minis sive blandimentis tollent suisque satellitibus more beneficii dabunt; quod significat .Nasg.*[d] [3] *Sed et hoc quod in*[e] *cuspide eiusdem ensis scriptum erat .Enti., id est finis, duobus modis intellegi potest. Aut enim finis seculi tunc erit aut stirpis nostrae; scilicet quod nullus*[f] *de progenie*[g] *nostra deinceps in gente Francorum regnaturus sit.*

Haec sicut ipse somniator interpretatus est, et Einhart[h]

a. Rant 2. b. Hasg 2. c. *om.* 2. d. Hasg 2. e. *om.* 1. f. *om.* 1. g. proienie 2. h. Einhrt 2.

1. „Raht" est „rât", copia, facultas, opes (v. Graff Althochd. Sprachschatz II 461). MÜLLENHOFF. 2. „Radoleiba" scriptor pro sua re ita interpretatus est, quasi compositum sit ex „rad" sive „hrad" i. e. celer, vel adverbio „rado" (girado) celeriter (v. Graff l. l. IV 1150 sq.) et ex „leiba" i. e. reliquiae, hereditas (v. Graff l. l. II 48 sq.). Neque vero verbum illud quidquam nisi vetus Saxonicum „radelêve" (v. Grimm Deutsche Rechtsalterthümer p. 567) esse ideoque proprie idem quod „hereditas utensilium" valere videtur; licet Grimmius censeat, superioris Germaniae homines pro „radelêve" non „radoleiba" sed „râtleiba" enunciavisse. MÜLLENHOFF. 3. „Nasg" ut cetera visionis verba: „enti" „raht" „radoleiba" nomen appellativum esse oportet, et par Latino verbo: „abliguritio". Nam nostrum „naschen", antiquum „nascôn" est catillare, ligurire (v. Graff l. l. II 1105) et derivatum est ex adiectivo, quod Anglosaxonice sonat „hnesc", Anglice „nesh", Gothice „hnaqus" μαλακός. Simili modo homines medii aevi et adiectivo „zart" et appellatione „der zart" (i. e. amor, luxuries, effeminatio) utebantur. MÜLLENHOFF.

abbas Rabano monacho, et idem Rabanus postea archiepiscopus[1] multis narrare solebat; quorum[a] unus ego sum, qui[b] litteris commendavi.

Quorum quaedam prioribus, quaedam modernis completa sunt temporibus. Nam Ludowico[c] imperatore post obitum Karoli regnante, Brittones et plurimae Sclavorum gentes defecerunt et rerum penuria regnum illius in nonnullis locis afflixit. Post cuius obitum filii eius Lotharius[2] et Pippinus[3] et Ludowicus[d] per regnum sibi derelictum .Nasg. dilatare ceperunt. Nam Pippinus quanta monasteria spoliaverit in Aquitania et res aecclesiasticas ac[e] utensilia clericorum et monachorum tulerit suisque satellitibus dederit, longum est enarrare. Lotharius[f] quoque in Italia similia fecisse perhibetur. De qua re extat ępistola temporibus filii sui ab universis ępiscopis Romanae aecclesiae Ludowico[g] regi Germanico destinata, sciscitanti per Witgarium ępiscopum[4], qualem pacem haberet sancta Romana aecclesia. Quae adhuc in armario Sancti Martini[5] scripta[h] continetur; in qua ei inter caetera responsum est: *Sancta Romana aecclesia suusque patronus et populus generaliter sauciatur, diripitur, discerpitur*[i], *humiliatur, adnichilatur.*

Explicit v(isio) K(aroli)[k].

a. ex quibus 2. b. et 1, qui 2. c. Ludoico 2. d. Ludoicus 2. e. ac *om.* 2. f. Lutharius 2. g. Ludoico 2. h. *om.* 2. i. *om.* 2. k. Explicit v. K. *om.* 1.

1. Moguntinus, 847—856 Febr. 2. 2. imp. 822—855. 3. Pippinum I regem Aquitaniae (814—838) ante patrem suum Ludovicum I imp. obiisse constat. 4. Augustensem, 860?—887. 5. Moguntiae.

INITIA EPISTOLARUM

HUIUS TOMI.

	pag.
Ad aures clementissimae	276
A Deo institute	88
.... (ad co)gn(i)tionem	345
Ad hoc omnipotens	330
Ad referendas gratiarum	95
Ad referendum precellentissimae	223
Amicorum meorum revelatione	454
Audientes orthodoxam vestrae	234
Audivi ergo, domine	396
Audivimus tribulationem vestram	443
Beatus David rex	227
Benedicimus dominum	415
Benedictus dominus Deus	155
Bene igitur recordari	388
Christianissima et admirabilis	411
Cognoscatis, quia epistola	390
Cognoscat utilitas vestra	371
Cognoscere dignetur piissima	447
Commendo, dilectissime mi	441
Considerantibus nobis et	134
Credimus, quod iam	207
Cum caritatis amor	139
Cum gravi gemitu	67
Cum in adquirendis	369
Cum in omni humane	393
Cum magno dolore	168
Cum maximo honorificentiae	91
Cum nos divina semper	372
Cum regalis potentiae	124
Desiderantissimae vestrae	176
Destinavit nobis per	201
Dictum est mihi	477
Directus a regali	278
Directus a vestigia	210
Directus a vestra	266
Divina regente misericordia	353
Divinitus preordinata	225
.... dominatio vestra	346
Domine mi, christianissime	407
Domine mi rex	336
Domine noster, constans	419
Domine pater, te	382
.... (do)mini mei gloriosissimi	456
Dominus meus, piissimus	474
Domnus imperator mandavit	460
Dubium mihi est, utrum	467
Dudum praecipua	243
Dum divina scripturarum	141
Dum illa, quae ad	115
Dum in tanta securitatis	185
Dum internae mentis	149
Dum nimio provocati	198
Dum nimis in nostro	230
Dum omnium electorum	158
Dum regni vestri	34
Dum tam copiosam	75
Dum tam maxima	119
Dum tanta amoris	182
Dum tantam piae	166
Dum tanta securitatis	194
Dum tantis beneficiorum	164
Dum tanto ex puro	217
Dum tanto vestrae	136
Dum vestrae imperiales	320
Duo pauperes homines	466
Duo servi Sancti Martyni	469

	pag.
Ego Petrus apostolus	56
Excellentissimae et a Deo	196
Eximiae et a Deo	108
Explere lingua, excellentissime	61
Explere verbis, clementissime	311
Explere verbis nequeo	145
Frater iste nomine	465
Frumoldus filius N.	440
Gloriosissime imperator	414
Gratiarum actiones vestrae	368
Gratias agimus sanctitati	374
Gratia sancti Spiritus	232
Gratia vobis et pax	18
Homines nostri, qui	479
Igitur inmensae omnipotentis	404
Inmensas gratias omnipotenti	367
Insignis preconii vestre	205
Institutio universalis	292
Is, quem ad me misisti	462
Iste clericus nomine Otmarus	476
Iste presbiter nomine N.	464
Iter peragratum	273
Laeta gaudet sancta	33
Lator praesentium litterarum	72
Magno munere misericordiae	308
Maximas et, si fieri	485
Mellifluae et a Deo	203
Meminit vestra a Deo	256
Memorem esse dominum	449
Memorem te esse, non	480
Memor nostri iam	431
Miramur valde, propter	470
Missam relationem excellentiae	103
Modo vobis, domine	436
N. comes rogavit me	479
Nectareas mellifluasque	220
Nectareas nimisque	263
Nectareos suavissimosque	259
Nescio, quis praevenit	445
.... N. hominis nostri	482
Nimia fluctuamur tribulacione	15
Non incognitum bonitati	417
Notum igitur sit Deo	343
Notum sit dilectioni	379
Not(um sit fraternitati) tuae	392

	pag.
Notum sit (fraternita)ti vestrae	472
Notum sit, quia volumus	461
Notum sit tibi, quia placitum	387
Notum sit tibi, quia volumus	461
Notum sit tibi, quia volumus	464
Notum sit tibi, quod volumus	463
Notum sit venerabili	423
(Notum sit vobis), quia	457
Notum sit vobis, quod	476
Notum tibi facimus, quia	462
Novimus regalis excellentiae	269
Novo et insolito	459
Nullatenus, vastam	352
Nullum plus credimus	208
Nuperrime suscepi a	424
N. vassus dominicus	440
Ob nimium dolorem	14
Obsecro dilectionem tuam	457
Olim omnipotens Deus	117
Omnes enim, qui	315
Omnia, quae de singulis	386
Omnino confidimus et	189
Omnino conpertum habet	102
Omnino credimus, iam	147
Omnipotens Deus, repertor	229
Omnipotenti Deo et	450
Optutibus prestantissimi	483
Orthodoxe fidei plenissimos	271
Perlectis excellentiae vestrae	354
Pervenit ad aures clementiae	391
Pervenit ad nos, eo quod	171
Pietati splendidi senioris	483
Postquam enim epistolam	328
Postquam fidelis ... ad	482
Precelsae et a Deo	112
Praecelsae et a Deo	113
Precelsas ac Deo	212
Praeceptum tuum, vir	413
Praecipere nobis dignati	410
Precor, ut sanctitas	458
Praefulgidos atque	268
Praemissis nostris apicibus	106
Praerectissimos atque	251
Presens Droctegangus	32
Presbyter iste et Scottus	351

	pag.
Presbiter quidam nomine	466
Prestolatos nimisque nobis	246
Primo gratias agimus	357
Properans ad nos harum	99
Propter paucitatem ministrorum	482
Pro quodam amico	475
Prospera nobis, carissime	366
Providi et sapientissimi	37
Putabam, tibi bene	455
Quamvis certissime credam	452
Quamvis me multum	442
Quamvis perplura sint	451
Quanta luctuosa et	43
Quanta luctuosa et	48
Quanto amoris annisu	285
Quanto decoris nitore	122
Quia excellentia vestra	86
Quia fidem vestram tam	473
Quia, Spiritus sancti	138
Quidam homo vester nomine Gundhartus	469
Quidam homo vester nomine Hunno	468
Quidam servus Sanctae Mariae	470
Quidam servus vester	468
Qui in vestra amicicia	472
Quoniam sublimitas vestra	486
Quotiens fidelium Dei	104
Quotiens perspicua eximiaetatis	78
Recordari vos credimus	218
Recordetur bonitas vestra	484
Remeante ad nos	318
Remeantes ad nos	332
Reminiscere consideramus	191
.... rependimus gratias vestrae	484
Reversus a vestris	173
Revertentes ad nos	180

	pag.
Rogo benignitatem vestram, ut hunc	465
Rogo benignitatem vestram, ut mihi	463
Rogo dilectionem tuam	462
Sepe vestrae a Deo	249
Saepe volui, domina	429
Sepius tecum, immo	401
Sepius tecum, immo	402
Sagacissima vestra cognoscat	434
Sagacissimos nectareosque	279
Salubri providentia	97
Salutem amabilem	349
Scimus igitur, vestram	323
Scio, vos non latere	455
Scripta nobis tua	409
Semper benivolam erga	450
Sicut ex litteris	458
Sicut me petitionis	471
Si in rebus secularibus	288
Si interius mente	69
Si me imbecillitas	447
Solet epistularis visitatio	84
... statu rerum palatinarum	473
Tam per epistulae	359
Tertio igitur Idus	325
Tu nosti, quia iuxta	480
Ut reor, dici	275
Vasallus ..... heo	481
Venientem ad nos Eburonem	453
Venientes ad nos fidelissimi	258
Vereor namque, fili	477
Vestra beneficia, quae	432
Vestra copiosissima	430
Vestra ergo, domine	434
Vestre a Deo protectae	248
Vivat domnus meus	445
Volumus, ut Egmunelo	479
Votiva cordis desideria	129

INDEX
RERUM MEMORABILIUM.

Aaron rex Persarum v. Harun.
Abbo 564.
Abdella fil. Abinmage regis Maur. 585.
Abdiraman II rex Cordubae 443. 444.
Abinmage rex Maurorum 584.
Abodriti 519. 521. 522. 586. 589.
Abolaz rex Cordubae 443.
acanonisti 288.
Aciulfus presb. 211.
Acropolis Lucaniae 258.
Adalberga, Athalberga, Adelperga, Alberga, ux. Arigisi ducis Benevent. 255. 257. 258. 261. 346. 348.
Adalbertus pater Werinberti sacerdotis 666. 667.
Adalgarius ep. (Trecensis?) 359.
Athalgisus, Adalgisus fil. Desiderii regis Langob. 163. 192. 209. 253. 254. 260. 261. 264. 339. 515. 549.
Adalgisus camerarius Caroli M. 560. 561.
Adalhaidis fil. Pippini regis Ital. 527.
Adalhardus, Hadalhardus abb. Corbeiae antiquae 417.
Adalhardus comes palatii 463.
Adallindis concubina Caroli M. 526.
Adalthrud filia Caroli M. 526.
Adalungus abb. Lauresham. 541.
Adam abbas 432.
Addo, Atto diaconus, missus Caroli M. 210—212. 256—261. 346. 348.
Aderna fl. 556.
Adrianus v. Hadrianus.
Aegyptus 532. 621.
Africa, Afri 138. 327. 532. 621. 658. 677.
Agamus 386.
Agareni, Agarini 201. 323.
Agatho diac. Rom. 228.
Agino v. Egino.
Aimo v. Haimo.
Aisti 520.
Aistulfus v. Haistolfus.
Alahfridus 463.
Alamanni 519. 522. 556. 568. 599. 611. 640.
Alara fl. 561.
Alasatiense vinum 652.
S. Albani eccl. Mogunt. 581.
Albinus, Alcoinus, Alquinus diac. 531. 613. 632. 638. 639.
Albis, Albia fl. 516. 558. 560. 562—564. 572. 584—586. 589. 601.
Albuuinus 468.
Alcmona fl. 579.
Aldulfus diac. Rom. 318.
Alexandria 532. 621. patr. Cosmas.
Alfdeni dux Northmannorum 600.
Allo dux 174. 205.
Amalarius, Amalharius ep. Trevirensis 402. 406. 409. 416. 423—426.
Amalharius presb. Mettensis 444.
Amalfitani 250. 262. 323.
S. Amandi coen. Elnonense 367.
Ambianensis ep. Iesse.
Ambra fl. 563.
Ambrosius Autpertus v. Autbertus.
Amoria (Amorium Phrygiae) 231.
Amulwinus 564.
Anastasius cubicularius Hadriani I papae 173. 174. 177. 178. 180.

Anastasius notarius regionarius eccl. Rom. 153.
Anastasius religiosus 355.
Ancona 64. 80.
Andreas ep. Praenestin. 177. 180. 185. 186. 200. 202. 203.
Andreas abb. (Luxoviensis?) 246.
Andreas missus Pippini reg. 91. 93. 132.
SS. Andreae et Victoris coen. 98.
Anesus fl. 576.
Angarii 545. 551. 557.
S. Angelus in Gargano 255.
Angilbertus, Engilbertus abb. S. Richarii Centulensis (Homerus) 353. 355. 365. 367. 368. 541. 583.
Ansfredus missus Caroli et Carolomanni regum 156.
Ansgisus abb. Flaviacensis, deinde abb. Fontanellensis 457.
Anshelmus comes palatii 518.
Anshelmus 698.
Ansoaldus abb. S. Petri 213.
Anthât 18.
Anthi spatarius 125. 127.
Anthimus dux Neapolit. 323.
Antiochinus patriarcha Theodorus I.
Aquileia 321.
Aquilinus abb. de Varegio 213.
Aquis palatium, Aquisgranum 321. 436. 447. 448. 461. 468. 477. 521. 524. 529. 532. 535—537. 571. 581—584. 586. 590. 592. 595. 598. 600. 605. 615. 619. 623. 625. 644. 659. 661. 674. 682. 690. 699.
Aquitania, Aquitani 514. 522. 535. 555. 599. 611. 640. 704.
Ardulfus v. Eardulfus.
Arelas 539. archiep. Iohannes II.
Argentinensis ep. Recho.
Argis, Aragisus, Arghis, Arighis, Arichisus dux Benevent. 79. 183. 191. 192. 208. 209. 250. 254. 260—262. 518. 566.
Ariminum 188.
Arimundus mon. montis Oliveti Hierosolym. 385.
Aristolis 101.
Arno, Arnus ep. Salzburg. 366—368. 541. 567.
S. Arnulfus ep. Mettensis 609.
Arnulfus, Arnoldus imp. 610. 618. 688.
Arrabo fl. 576.
Arsafius spatarius, protospatarius 394. 395. 416.
Aruinus, Haruinus comes, dux 253. 263. 264. 268.
Ascaricus 294.
Asgbah 455.
Athilhardus archiep. Cantuar. 352.
Attila 575.
Attiniacum 544. 564.
Atto 460.
Atto cf. Addo.
Atula filia Pippini regis Ital. 527.
Aucharius dux 87. 89.
Audbertus nuntius Carolomanni regis 166.
Audemundus Capuanus 258. 345.
Audriaca villa 457.
Audualdus, Audulfus Capuanus 258. 345.
Audulfus dux 565.
Augusta Praetoria 522.
Augusta (Vindel.) 568, ep. Witgarius.
S. Augustini coen. Papiense 632.
Aurelianum 455. ep. Theodulphus.
Ausimum 64. 80.
Austria 460.
Autbertus (Ambrosius Autpertus) abb. S. Vincentii Vulturnensis 213. 214.
Avaria, Avari 349. 686. cf. Huni.
Azan 591.
Baddanfeldun 556.
Baioaria, Baiuarii 260. 460. 464. 519. 522. 528. 568. 570. 571. 576. 578. 599. 640.
Baleares insulae 587.
Balearicum mare 522.
Balneoregis 256.
bandum 261.
Barbarae insulae coen. Lugdun. 422.
Bardonwich 582.

Barzinona 584.
Basileensis ep. Heito.
Basilius egumenus 330.
Batavi 524.
Baugulfus, Baugolfus abb. Fuldens. 343. 507.
S. Bavonis coen. Gandense 447—449. 476. 484.
Bebo 458.
Beda presb. 632. 690.
Bellerofonsus 243.
Benedictus abb. coenobii insulae Barbarae Lugdunensis 422.
Benetici v. Venetici.
Beneventum, Beneventani 44. 50. 65. 79. 112. 133. 165. 190. 200. 202. 203. 209. 211. 250. 252—265. 290. 323. 346. 518. 522. 566. 567. 571. 592.
Beraldus abbas 166.
Berdango pagus 564.
Berneradus ep. 286.
Bernhardulus, Bennolinus fil. Caroli Crassi 686. 688.
Bernhardus rex Ital. 527. 602.
Bernhardus dux, patruus Caroli M. 547.
Bernharius ep. Wormatiensis et abb. Weissenburgensis 441. 442.
Bernoinus ep. Vesontionensis 541.
Bero comes 541.
Berta filia Caroli M. 525.
Berthaidis filia Pippini regis Ital. 527.
Bertrada, Berthrada ux. Pippini regis 63. 66. 68. 71. 74. 83. 85. 88. 95. 97. 100. 106. 108. 111. 117. 121. 129. 134. 137. 144. 147. 149. 154. 160. 164. 168. 169. 525. 526.
Betto missus Caroli M. 253. 263.
Birra fl. 511.
Bituriges, Bituricas 278. 539. ep. Erminbertus.
Blandinium coen. 476.
Blidthrut 468.
Bobium 171. 188. 638.
Bocholt 557.
Boemani, Behemi, Bemani 522. 598. 686. Boemanicum bellum 521.
Boma 468.
S. Bonifacius 370. 548.
Bononia 64. 80. 171. 184. 187.
Bonottus vicedominus Einharti 468.
Bota fl. 387.
Brittones, Brettones 518. 565. 590. 591. 703. Brittannicus limes 518.
Brunesberg 550.
Bukki pagus 551.
Bulgares, Vulgari 328. 329. 658. 659. 668.
Burchardus comes 541.
Burdigala 539.
Burgundia 440. 599.
Caesaraugusta 555.
Caesena 171. 188.
Caieta, Kaietani 133. 202. 209. 253. 323. 324. ep. Campulus.
Calabria 253. 571.
Calistus candidatus 395.
camaradum 211.
Cambus fl. 576.
Campulus ep. Caietanus 253. 264.
Campolus religiosus 355.
Campulus notarius 213.
Candidi mart. corpus 211.
Cantuarienses archiepp. Athilhardus, Wilfredus.
cappa S. Martini, roccus S. Martini 633. 694.
Capua 258. 260. 265. 345. 346. 518. 566.
Carbonata 544.
Carisiacum 549. 598.
carmina vulgaria 609.
Carolomannus, Carromannus, Karlomannus rex, fil. Pippini regis 34. 37. 43. 52. 56. 57. 63. 83. 95. 100. 103. 108. 111. 117. 122. 129. 144. 147. 155. 158. 166. 168. 170. 337. 512. 513. 525. 544. 611.
Karlomannus rex Bavariae et It., fil. Ludovici II Germanici 688.
Carolomannus dux Francorum 67. 98.
Carolus, Karolus (Martellus) subregulus 13—15. 118. 160. 511.
Carolus I imp. 13 sq. 34 sq. 103 sq. Martellus 688.

Karolus (Crassus) III imp. 646. 680. 690.
Karolus fil. Caroli M. 521. 525. 526. 563. 581. 589. 599. 601. 602. 614.
Kartago, Cartago 532. 621.
Casinense coen. 512.
Catena 326.
Cathuulfus 336.
Centumcellae 206. 525. 618.
Ceoluulfus ep. Sidnacestrensis 352.
S. Chodowaldi coen. 458.
Christophorus primicerius Rom. 128. 168. 169.
Christophorus presb. Rom. 153.
S. Chrysogoni tit. Rom. 101.
Cicero 510.
Cinisius mons 547.
Clemens Scottus 632. 633.
Coenulfus rex Merciorum 313.
Colonia 539. archiepp. Hildibaldus, Willibertus.
S. Columbani coen. Bobiense 638.
Columbrense genicium 669.
Comiaclum 171. 188.
Comita 47. 54.
Compendium 448. 449. 457.
Conibertus vassus Pippini regis 90.
Constantia 667. ep. Agino.
Constantinopolis, regia urbs 108. 110. 132. 231. 329. 427. 672. urbis descriptio 540.
Constantinus II papa 147. 149.
Constantinus presb. Hierosolymit. 153.
Constantinus IV imp. Graec. 75. 79. 102. 125. 161. 196. 549.
Constantinus V imp. Graec. 258. 260. 527. 570. 580. 586. 614.
Constantinus dux 275. 276.
Constantinus patricius Siciliensis 325.
Constantinus patricius 328. 329.
Corbulus Capuanus 258. 345.
Corsica 200. 310.
Cosmas patriarcha Alexandr. 138. 153.
Crescentius dux 265.
Cumberg 576.
Custodia 436.
Dacia 522. 612.
Dagolfus venator 460.
Dalmacia 522. 612.
Dani cf. Nortmanni 520. 521. 564.
Danubius fl. 521. 522. 568. 576. 578. 579. 611.
Darantasia 539.
David 462.
Dertosa 522.
Desiderata fil. Desiderii regis Langob., ux. Caroli M. 525. 526. 691.
Desiderius rex Langob. 64. 65. 74—83. 86—97. 112—114. 119—121. 127—133. 136. 137. 159. 163. 168. 170. 197. 226. 266. 337. 339. 515. 544. 546. 548. 549. 566. 691—693.
S. Dionysii coen. Paris. 526.
SS. Dionisii Rustici et Eleutherii cineres 434.
Diutia 556.
Dodo abbas 176. 177.
Dodo comes, missus Pippini regis, post Carolomanni regis 95. 146. 168—170.
Dominicus comes Gabellensis 188.
Dragawiti rex Wiltorum 572.
Dreini pagus 563.
Droctegangus, Droctegandus abb. Gemeticensis 32. 33. 103. 104. 106.
Drogo, Truogo fil. Caroli M., ep. Mettensis 526. 640.
Dubargawe 455.
Dungalus reclusus S. Dionysii Paris. 396. 429—436.
Dura fl. 686.
Durasinia castra 427.
Durgowe 686.
Duria vicus 550.
Eanbaldus II archiep. Eboracensis 313. 316. 317.
Eardulfus, Ardulfus rex Northanhumbrorum 313. 316.
Eboracensis archiep. Eanbaldus II.
Ebrodunum 539.
Eburo 453. 454.
Edo comes 541.
Edui 640.
Eggihardus regiae mensae praep. 518.

Egila ep. (Illiberitanus?) 234. 243. 293. 294.
Egilolfus 455.
Eginense castrum 427.
Egino, Agino ep. Constant. 374. 392.
Egmunelus 479.
Eguvium 188.
Eigil abb. Fuld. 478.
Einhartus, Einhardus 437—508. 597. 702. 703.
Eishere 686.
Eistetensis ep. Gerhohus.
Elipandus, Helipandus ep. Toletanus 294. 577.
Emeritani 443.
Emilia 171. 184. 188.
Emilianus ep. Polanus 321.
S. Emmerammi coen. Ratisbon. 682.
Engilbertus v. Angilbertus.
Ercanbaldus cancellarius 322.
Ercangarius comes 541.
Eresburg 546. 550. 552. 557. 563.
Ericus, Erichus dux Foroiulanus 520. 583. 590.
Ermenaldi filia 284. 288.
Erminbertus ep. Bituricensis 278.
Ermenbertus presb., miss. Car. M. 266.
Ethelredus rex Northanhumbrorum 357.
Etruria 525.
S. Eulaliae eccl. Lugdunensis 421.
Eustachius dux 172.
Fastrada ux. Caroli M. 246. 252. 260. 263. 268. 270. 271. 274. 276. 277. 280. 285. 286. 292. 341. 345. 349. 525. 528. 562. 578. 581.
Faventia, Vaventia 64. 171.
Felicitatis castellum 196. 197.
Felix ep. Orgellitanus 577. 578. 580.
Felix religiosus, missus Pippini reg. 112.
Ferdi 561.
Ferraria 64. 171. 188.
fidedicere 161.
Flaginus cappellanus, missus Pippini regis 124.
Florentia 566.
Folco abb. Fontanellensis 474.
Folquicus ep. Wormatiensis et abb. Weissenburg. 441.
Folradus, Fulradus abb. S. Dionysii Paris. 37. 40. 63. 64. 66. 80. 211.
Fulradus abb. S. Quintini Veromanduensis 387. 417.
Forobono 219.
Forolivi 171. 188.
Forum Iulii 539. 570. 693.
Forumpopuli 171. 187.
Fortunatus archiep. Gradensis 321. 322.
Francia antiqua 653.
Francia nova 650.
Francia orientalis, Franci orientales 507. 556. 560. 683.
Francicus vestitus 529. 665.
Franconoford 580. 682.
Frideslare 471. 548.
Fridugisus abb. S. Martini Turon. et Sithiens. 541.
Frisia, Fresones 521. 525. 579. 599. 611. 618. 666. Fresonica pallia 677. saga 699.
Frumoldus fil .N. comitis 440.
Fulcbertus religiosus, missus Caroli et Carolomanni regum 156.
Fulda coen. 507.
G. comes 461.
Gabellum 184. 188.
Gaidifridus v. Gausfridus.
S. Galli coen. 641. 665. 684.
Garamannus dux 271. 277.
Garonna amnis 514.
Garrinodus dux 64.
gasindi 284.
Gausfridus, Gaidifridus Pisanus 173. 174. 178.
Gauzibertus ep. 155.
Gebehardus comes 460.
Geboinus comes palatii 462. 463.
Geilo comes stabuli 560. 561.
Genua (Geneva) 547. Genawensis pagus 440.
Georgius ep. Ostiensis 47. 54. 66. 77. 82. 84. 94. 132. 133. 154.
Georgius ep. 229.

Georgius prior scholae cant. Rom. 140.
Georgius missus imp. Graec. 74. 79. 102.
Gerberga, Girberga ux. Carolomanni regis 167. 513.
Gerbertus abb. 120.
Gerbertus 455.
Gerhohus ep. Eistetensis 374.
Germanici canes 678.
Geroldus, Keroldus, frater Hildigardae reginae, praefectus Bavariae 521. 590. 666. 668.
Geroldus comes 541.
Gersuinda concubina Caroli M. 526.
Gerwardus bibliothecarius 467.
Ghaerbaldus, Garibaldus ep. Leod. 379. 388. 389.
Gisila, Ghisyla, Gisla filia Pippini regis 73. 95. 100. 108. 111. 117. 144. 147. 161. 163. 526.
Gisla filia Caroli M. 525.
Gisulfus abb. S. Petri 213.
Godofridus, Gothefridus rex Danorum, Northmannorum 521. 537. 624. 687.
Goteramnus, Goddramnus ostiarius, missus Caroli M. 256—262. 346. 348.
Godescalcus dux Benevent. 16.
Godescalcus legatus Caroli M. 586.
Gothi 668.
Gozbertus abb. S. Galli 458.
Gozzilo 484.
Gradus 321. 539. patriarcha Iohannes, archiep. Fortunatus.
graecingarius 676.
Gratiosus archiep. Ravennas 267.
Gregorius III papa 14. 15.
Gregorius saccellarius Hadriani I papae 187.
Gregorius presb. Capuanus 258. 260. 262. 345.
Gregorius mon. Nonantulanus 426.
Gregorius patricius Siciliensis 325. 327—329.
Gregorius iudex Ravennas 232.
Grimaldus abb. S. Galli 638.
Grimualdus, Grimaldus dux Benev. 254. 255. 261. 263—265. 347. 518. 566. 571.
Grimoaldus 64.
Gudibrandus dux Florentinus 270.
Gundericus missus Pippini regis 91. 93.
Gundhartus 469.
Gundrada filia Pippini regis Ital. 527.
Guntfridus 284.
Hadalhardus v. Adalhardus.
Hadefonsus I rex Galleciae et Asturiae 522. 585. 587. 615.
Hadrianus, Adrianus I papa 170—292. 341. 345. 347. 349. 353. 355. 357. 514. 515. 527. 530. 544. 546. 558. 567. 577. 580. 582. 614.
Adrianus dux 265.
Hadulfus diac. Rom. 315. 316.
Haimo, Aimo Capuanus 258. 345.
Haistolfus, Haistulffus, Aistulfus rex Langob. 34. 37. 39. 43. 44. sq. 49. sq. 64. 514.
Hardradus 565.
Haribertus abb. Murbacensis 146.
Hartmutus abb. S. Galli 680.
Hartrichus ep. (Tolosanus?) 374.
Harun Arraschid, Aaron, chalifus 326. 523. 596. 615. 676. 678.
Hasa fl. 517. 562.
Hassi pagus 548.
Hatto comes 460. 468.
Hatto comes 541.
Hedabahc villa 469.
Heilambrunno 461.
Heito, Heitto ep. Basil. 541. 672. 673.
Heleutherius iudex Ravennas 232.
Helmengaudus comes, missus Caroli M. 309. 310. 312. 315.
Helmgarius missus Caroli et Carolomanni regum 156.
Herena ux. Leonis IV. imp. Graec. 581. 586.
Heristalli, Eristalli 553. 562. 585.
Herminus 331.
Hessi 550.
Hetti archiep. Trevirensis 458.
Hibernia 631.
Hiberus fl. 522. 555. 611.
Hierosolyma, Ierusalem 382. 386. 532.

591. 596. 621. patriarchae Theodorus I, Thomas.
Hildibaldus, Hildeboldus archiep. Colon. 322. 351. 374. 541.
Hildebertus 467.
Hildibrandus dux Spolet. 189—192. 213. 214. 557. 571.
Hilprandus rex Langob. 15.
Hildigarda ux. Caroli M. 181. 183. 186. 195. 197. 198. 204. 210. 212. 216. 220. 221. 226. 228—231. (Hildibranda 251). 525. 526. 535. 634. 642. 645. 675.
Hildigernus comes 541.
Hildrichus III rex Franc. 510. 511. 639.
Hiltrudis filia Caroli M. 525.
Hirmingarda ux. Lotharii I. 457.
Hispania, Spania, Hispani, Spani 292. 326. 327. 511. 517. 555. 640. Hispani muli 677.
Hister v. Danubius.
Histria 207. 350. 522.
Hl. v. L.
Homerus v. Angilbertus.
Hr. v. R.
Hugbaldus missus Pippini regis 120.
Hucbaldus missus Caroli M. 266.
Hucbertus ep. 274.
Hugo dux 671.
Hugus fil. Caroli M., abb. S. Quintini et Laubiensis et Sithiensis 526.
Humana 64.
Hunbertus ep. Wirziburg. 455.
Hunfridus comes, missus Caroli M. 309. 310. 315.
Huni, cf. Avaria 519. 520. 521. 528. 569. 570. 573—576. 578. 579. 582. 583. 590. 645. 658. 659. 667. 668. 682. 686. Huniscum bellum 666.
Hunno 468.
Hunoldus dux Aquitaniae 513.
Hunricus abbas 567.
Iacobus ep. 476.
Ibinalarbi 554. 555.
Iesse ep. Ambianensis 314. 541.
S. Ilarii coen. Galliatense 269.
Imma ux. Einharti 442.
Immo, missus Pippini regis 68.
Imula 64. 76. 80. 171. 184. 187.
Indi 596.
Ingilenheim, Ingulenheim 524. 569. 619.
S. Iohannis eccl. Lugdunensis 421.
Iohannes patriarcha Gradensis 182.
Iohannes II archiep. Arelatensis 541.
Iohannes VIII archiep. Ravenn. 267.
Iohannes ep. 330. 331.
Iohannes subd. et abb. (Rom.) 124. 146.
Iohannes regionarius et sacellarius 66.
Iohannes abb. Ravennas 274.
Iohannes mon. et presb. 271. 272.
Iohannes presb. 234.
Iohannes vir religiosus 32.
Iohannes nutritor Liutprandi ducis Benevent. 80.
Iohannes silentiarius 66.
Iopila 477.
Ioseph diac., missus Caroli M. 257—262. 348.
Iovis mons 547.
Irmino abb. S. Germani Paris. 541.
Isambardo fil. Warini 675. 676.
Ittherius abb. S. Martini Turonensis 165. 218. 223. 248. 250.
Iudaei 242. 644. 687.
Iuditha ux. Ludovici I imp. 447—449.
Iugurgus 559.
Iuvavum v. Salzburgum.
K. cf. C.
Kaganus, Caganus 520. 559.
Karolus v. Carolus.
S. Kiliani locus v. Wirziburg.
Lampadusa insula 323.
Landemarus, Landemaris Capuanus 258. 345.
Langbard missus Pippini regis 99.
Langobardi 14. 43. sq.
Lechus fl. 519. 568.
Leidradus, Ledradus, Laidradus ep. Lugdunensis 410. 411. 419. 541.
Lensis villa 485.
Leo III papa 307—334. 353. 354. 366. 378. 382. 386. 530. 533. 582. 587-590. 592-594. 598. 621. 640. 656-658.

Leo archiep. Ravennas 171. 181—188. 266.
Leo ep. 255.
Leo mon. montis Oliveti Hierosol. 384.
Leo IV imp. Graec. 161.
Leo V imp. Graec. 327—329. 427. 523. 615.
Leon imperialis 114.
Leodienses epp. Ghaerbaldus, Waltgaudus.
Libici 677.
Liburnia 520. 522. 590. 611.
Hlidbeki 551.
Lini 601. Linonicum bellum 521.
Liutberga, Leutberga fil. Desiderii regis Langob., ux. Tassilonis ducis Bav. 519. 569.
Liudericus comes, missus Caroli M. 257—262.
Liutfridus praepositus domus Caroli M. 662. 663.
Liutgarda, Liudgardis ux. Caroli M. 525. 592.
Liuthardus presb. 476.
Liudprandus rex Langob. 15.
Liudprandus dux Beneventanus 79. 80.
Lotharius, Hlotharius I imp. 445. 450. 451. 456—458. 463. 473. 703. 704.
Lucensis ep. Peredeus.
Ludinaca 461.
Ludovicus, Hludoicus I imp. 440. 443. 445. 447—449. 452. 459—465. 473. 508. 525. 535. 541. 584. 585. 599. 603. 623. 679. 680. 690. 697—699. 703.
Ludovicus, Hludowicus II rex Germanicus 456. 474. 475. 679—680. 690. 695. 696. 703. 704.
Lugdunum 539. ep. Leidradus.
Lullus ep. Mogunt. 369.
Lupus dux Wasconum 514.
Lyppia fl. 553. 557. 559.
Macrobius 397.
Madelgarda concubina Caroli M. 526.
Maginarius, Magnarius abb. S. Dionysii Parisiensis 219. 223—226. 248. 257. 262. 345. 346. 348.
Magenfridus comes 576.
Maginhartus ep. (Rotomagensis?) 374.
Meginhardus comes 541.
Meginheri comes 541.
Magnus archiep. Senonensis 413. 414.
Mahdi chalifus 231.
maiores domus 511.
Maiorica 587.
Makesbah 468.
Manniacum 466.
Marcarius dux Foroiuliensis 207.
SS. Marcellini et Petri 447—450. 452. 458. 466. 468—472. 474.
Marchradus vicedomnus 469.
S. Mariae basilica Aquisgran. 524.
S. Mariae eccl. Lugdunensis 421.
Marinus presb. Rom. 101. 102. 110. 111. 154.
S. Martini eccl. Mogunt. 452. 704; coen. Turonense 632.
Massilia 547.
Mauri 323. 324. 326. 428. 524. 525. 587. 618. 682.
Mauricius ep. Histriensis 207.
Mediolanum 539.; archiep. Odilbertus.
Megistus archidiac. Rom. 198.
meisa 656.
Meroingi 510.
Metae 454.
Mettensis urbs 575. 640; cantilena 641. epp. S. Arnulfus, Drogo.
Mette, Mettisca 641.
Michael ep. 394. 416.
Michael invasor eccl. Ravennatis 266.
Michael I imp. Graec. 323. 328. 415. 523. 615. 656.
Michael legatus Graec. 587.
miliaria Italica, Theutonica 668.
milschida 393.
Mingetii errores 294.
Minorica 587.
Moguntia, Mogontiacum 466. 524. 536. 539. 592. 619. 646.; archiepp. Bonefacius, Lullus, Rihcolfus, Otgarius, Rabanus. Magontiacensis pons v. Rheni pons.

Mohammed Alemin chalifus 326.
Moingeuui pagus 507.
Moinus fl. 573. 579. 580.
Mosellanus pagus 687.
Mulinheim (cf. SS. Marcell. et Petri) 470.
Munda 586.
Musella fl. 556.
Narbona 511. 524.
Narnia 45. 51.
Navarri 522. 555.
Nazarius 284.
Neapolis, Neapolitani 79. 133. 208. 209. 211. 250. 254. 258. 261. 262. 265. 323. 324. ep. Stephanus.
Niciforus patriarcha Constantin. 328.
Nicephorus imp. Graec. 328. 393. 523. 615.
S. Nicetii eccl. Lugdunensis 421.
Nomentum 592.
Northalbingi 585. 586.
Nortmanni, Nordmanni, Nordmanni, Normanni 520. 521. 524. 525. 559. 561. 592. 618. 682. 686-688. 696. 697.
Nordmannica classis 460.
Nordostrani 688.
Noricum, Norica regna 568. 683. Noricus sinus 601.
Noviomagum 524. 553.
Obtatus abb. Casinensis 67.
Optatus, mon. Casinensis 365.
Odilbertus archiep. Mediolan. 401. 403.
Odo magister 536.
Offa, Offanus rex Merciorum 279—282. 351. 352. 357.
Oliveti montis congregatio Hierosolymit. 382. 386.
Ora fl. 558.
Orgellis 577.
Osca 584. 591.
Osneggi mons 516.
Osterliudi v. Ostfalhi.
Ostfalhi, Ostvali, Osterliudi 545. 550. 557.
Otbertus servus 469.
Otgarius archiep. Mogunt. 452. 465. 466.
S. Othmarus 675.
Otmarus clericus 476.
Otkerus 691—693.
Otolfus comes 541.
Otorantum (Hydruntum) 79.
Ovaccra fl. 550. 557.
Pampilus, Pampylus defensor regionarius eccl. Rom. 124. 164.
b. Pancratii porta Romae 44. 50.
Pannonia 520—522. 576. 577. 579. 611. 668.
Papia, Ticinum 90. 127. 171. 185. 337. 514. 548. 558. 595. 691. 694. ep. Petrus II.
Pardus egumenus 177. 186.
Parisii, Parisius 512. 640.
Parthia 678.
Pascalis nepos Hadriani I papae 202.
Pascalis 178.
Pathalbrunnon, Padarbrunnon, Padarbrunnon 554. 564. 589.
patriciatus Caroli M. 267.
Paulinus 179.
Paulini pseudopittacium 221.
S. Pauli coen. 353. 366.
Paulus I papa 67—148. 151—154. 161. 211. 544.
Paulus diaconus 372. 373.
Paulus grammaticus 274.
Paulus dux 275. 276.
Pentapolis, Pentapolenses 75. 79. 114. 120. 171. 184. 253. 277. 289.
Peredeus ep. Lucanus 175.
Pergulfus Capuanus 258. 345.
pergus 384.
Persae 231. 615. 674—677.
Perusia 189.
S. Petronellae eccl. Rom. 73.
S. Petri eccl. Romana 533. 621. coen. Lugdunense 421.
Petrus legatus Hadriani I papae 547.
Petrus presb. Rom. 87. 94. 132. 133. 154. 163.
Petrus primus defensor eccl. Rom. 116. 118. 119. 122. 146.
Petrus II ep. Papiensis 244.
Petrus ep. Virdunensis 220. 221.
Petrus abb. Nonantul. 416. 423—426.

Petrus abbas 394.
Petrus Pisanus diacon. 531. 613.
Petrus cantor 641.
Petrus nuntius Neapolitanorum 209.
Pheringa 568.
Philippus presb. Rom. postea episcopus 127. 172. 198. 200. 202. 203.
Pictavium 511.
Pippinus II de Heristal maior domus, fil. Ansgisi 118. 160.
Pippinus rex 8. 13. 18. 32. 33. 37. 43. 48. 56. 57. 61. 67. 69. 72—102. 104—154. 156. 160. 161. 171—173. 186. 205. 232. 234. 267. 280. 290. 291. 334. 511—514. 521. 611. 689—691.
Pippinus fil. Pippini regis 85.
Pipinus fil. Carolomanni regis 167.
Pippinus (Carolomannus) rex It., fil. Caroli M. 198. 226. 309. 310. 349. 366. 373. 391. 394. 515. 520. 525. 527. 559. 568. 583. 584. 585. 592. 599. 602. 614. 682.
Pippinus fil. Caroli M. ex Himiltruda concubina 528. 578. 683—685.
Pippinus I rex Aquitaniae, fil. Ludovici I imp. 703. 704.
Pisa 175.
Pola 321. ep. Emilianus.
Pompelon 555.
Poppo comes 460. 466. 477.
Populonium, Populonienses 252. 256. 264. 265.
Portuensis porta Romae 44. 50.
Possessor archiep. 212.
Possessor ep. 177. 189. 192. 194.
Potho abb. S. Vincentii Vulturnensis 213—217.
Praenestinus ep. Andreas.
Prandulus 213.
Procopia ux. Michaelis I imp. Graec. 328. 329.
Prumia coen. 528.
Pyrenaei, Pirinei 517. 522. 555. 577. 611.
R. comes 463.
Hrabanus, Rabanus abb. Fuld., archiep. Mog. 465. 469. 477. 703.
Rabigaudus abbas 189. 192. 194.
Radantia fl. 579.
Rado protonotarius Caroli M. 286.
Radolfus comes, pater Fastradae reginae 562.
Raginaldus 284.
Reginbaldus, Raginaldus dux Clusinus 192. 196. 197.
Raginbaldus abb. S. Mariae Farf. 213.
Raginbaldus 284.
Ragenisburg, Reganesburg, Regina 351. 577. 682. 683.
Ratbertus missus Pippini regis 112.
Ratumagus v. Rotomagum.
Ravenna, Ravennates 15. 75. 79. 111. 112. 114. 137. 172. 178. 184. 188. 233. 261. 266. 268. 277. 288. 289. 331. 532. 539. 540. 592. 619. archiepp. Sergius, Michael invasor, Leo, Iohannes VIII, Gratiosus.
Recho ep. Argentinensis 650.
Regina concubina Caroli M. 526.
Regium 175.
Remedius ep. Rotomagensis, fil. Caroli Martelli 87. 89. 139.
Remi 539. 598. archiep. Wolpharius.
Rheni pons, Magontiacensis pons 524. 536. 619. 624. 661.
Rhodanus fl. 547. 679.
S. Richarii coen. Centulense 368. 592.
Richolfus, Rihcolfus archiep. Moguntinus 392. 541.
Rihwinus comes 541.
Rigium 326.
Hringus, regia Hunorum 583.
Hriustri pagus 579.
Hroccolfus comes 541.
Roculphus 386.
Hrocculfus 417.
Rodcausus, Hruodgausus, Hrodgaudus dux Foroiulanus 192. 515. 552.
Rodicausus mon. Vulturnensis 213. 214.
ad rogum 17.
Romanae urbis effigies 540.
Romanus 276.
Roro capellanus, missus Car. M. 253. 263.

Venetici, Benetici 114. 277. 321. 327. 694.
Verecundus ep. 221.
Vesontio 539. ep. Bernoinus.
Victorinus clericus 235.
Vienna 539.
S. Vincentii Vulturnense coen. 213. 217.
Virdunensis ep. Petrus.
Visula fl. 522.
Vitruvius 478.
Vulgari v. Bulgares.
Vussin 477.
Wado 313.
Waepere v. Waifarius.
Waifarius, Waepere dux Aquitan. 339. 512. 514.
Walafridus Strabo 507. 508.
Walath comes 541.
Waldo abb. S. Dionysii Paris. 396. 400.
Waltgaudus ep. Leodiensis 541.
Wandali 668.
Warinus 675.
Warna fl. 563.
Warnefridus, Uualdifridus Capuanus 258. 345.
Warneharius abb. 47. 48. 54. 55.
Wasconia, Wascones 514. 517. 518. 522. 555. 611.
Welatabi cf. Wilzi.
Wenilo servus 468.
Werdricus mon. Fuldensis 465.
Werinbertus sacerdos S. Galli 666.
Westfali 545. 552. 557. 562. 563.
Wichadus missus Pippini regis. 95.
Widmarus abb. Centulensis 119.
Wido comes 590.
Widokindus, Widukindus 554. 559—561. 564.
Wilcharius archiep. Senonensis 176. 211. 235. 242. 293.
Wilharius, Wicharius ep. Nomentan. 42. 66. 74. 95. 102. 112.
Wilfredus archiep. Cantuar. 313.
Willibaldus presb. 476.
Willibertus archiep. Colon. 2.
Williramnus servus 469.
Wilzi, Wilti, Welatabi 519. 520. 522. 572. 589. 686.
Wingisus dux Spolet. 588. 589.
Winidi 686.
Wippo 427.
Wirciniacum 557.
Wirziburg, S. Kiliani locus 580. epp. Wolfgarius, Hunbertus.
Wisura fl. 546. 550. 551. 557. 563. 579. 584—586.
Witgarius ep. Augustensis 704.
Witzun rex Abodritorum 582.
Wolfgarius ep. Wirziburg. 455.
Wolpharius archiep. Remensis 541.
Wormatia 442. 544. 553. 557. 563. 568. 573. epp. Bernharius, Folquicus.
Uulfardus abb. S. Martini Turon. 72. 103. 104. 106. 133.
Uulfuinus 208.
Zacharias papa 18. 98.
Zacharias presb. 591.
Zatus rex Sarracenorum 584.

Berolini apud Weidmannos (J. Reimer).

Typis Gustavi Schade, Berolinensis.

DATE DUE
